Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
33 F
12

11

14-9-e.29

Google

Digitized by Google

THOMAE GIANINII FERRARIENSIS

In Patrio Gymnaſio primi Philoſophiæ Doctoris

DE MENTIS HVMANÆ STATV

Poſt Hominis obitum.

Diſputatio Ariſtotelica.

AD HORATIVM SPINVLAM S. R. E. Cardinalem Ampliſſimum Ferrariæ Legatum, & Genuæ Archiepiſcopum.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

PATAVII, MDCXIIII.

Apud Nicolaum Albanenſem.

Ad Signum S. Caroli. Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

HORATIO SPINVLÆ
S. R. E.

LVI. 9.5

ALI AMPLISS.

IÆ LEGATO,

ARCHIEPISCOPO.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

Thomas Gianninius felicitatem.

DIſputationem Ariſtotelicam de Mentis Humanæ ſtatu poſt Hominis obitum edere cùm decreuerim Tui Nominis inſcriptione, Cardinalis Ampliſſime, diuulgandam eſſe duxi, tum quia Te Ferrariam ſummo cum imperio regente conſcripta, habitaque fuit, tum etiam quoniam tanta eſt beneficiorum, quibus me exornaſti, multitudo & magnitudo,

Digitized by Google

ut iuſta reprehenſione non caream, ſi committam, ut nulla grati erga Te animi mei ſignificatio extet, nullaque obſeruantiæ, qua Te unicè colo, ac ueneror, teſtificatio. Huc acceſſit, quòd cùm hæc diſputatio in Animi Humani Immortalitate verſetur, illius dicatione fuit nobilitanda, qui cùm Illuſtriſſimæ familiæ gloria ſplendeſcat, atque inter præclaros huius ætatis viros prudentia, iuſtitia, temperantia, & ſanctitate longè multùmque excellat, ijs laudibus eſt cumulatus, quæ incredibili omnium fauore exceptæ Paullum Quintum Pontificem verè Maximum impulerunt, ut eum in Sacrum Cardinalium Collegium ipſo Collegio comprobante, mirificèque lætante cooptaret. Accipe igitur Antiſtes Religioſiſſime hanc meam qualemcunque diſputationem, atque ſic accipe, ut eius tenuitas Tuæ Humanitatis magnitudine ſubleuetur. Quòd ſi conſequar, ut illum gratiæ locum in tuis manibus nanciſcatur, quem ſumma mea in Te obſeruantia meretur, immortaliter gaudebo, atque ex meis laboribus uberrimum cepiſſe fructum exiſtimabo. Viue diu quàm feliciſſimè Sacri Cardinalium Senatus lumen ac decus, pergeque, ut feciſti, me Tibi ex animo deditiſſimum Tua complecti benignitate.

Ferrariæ Cal. Ianuarij CIↃ IↃCXIV.

IN-

INDEX.

A

Abubacheri opinio de mente humana 10

Accidentia quot, quibuſque modis inteꝛeant 170

Actiones, quæ cum ſenſu, aut per ſenſum exercentur, corpori & animæ communes 213

Actus in animę definitione aſſumptus non eſt varius 201

Actus in animę definitione aſſumptus ſignificat verã propriamque formam 116

Actus non ſemper fuit ab Ariſtotele tributus formæ à materia inſeparabili 202

Actus non ſemper huiuſmodi eſt', vt nunquam diſiungatur ab eo, cuius eſt actus 204

Aeternitatis cupiditate omnia ducuntur 31

Affectiones animi cur variæ pro varia corporis tẽpera ione 181

Pleriſque in hominibus pugnant cum naturali ipſorum temperatione 91

Ἀκρίβεια nomen quot habeat notiones 148

Alexander Aegeus à quibuſdam creditus author comm. in lib. poſtnat. 20

Alexander Aphrodiſienſis an author comm. in lib. poſtnat. & problematum 20

Ademit animæ definitione animis Deorum 12

Confutauit æthereum animi vehiculum poſitum à Platonicis 202

Definitionem animæ quibus animis tribuerit 12

Induxit cœlorum animas à corpore inſeparabiles 15

Sentit mente non apprehendi ſingularia 190

Alex. ſtatuit in probl. animam rationis compotem eſſe immortalem 13

Alexander & Alexandrei neceſſe habent fateri animam noſtram eſſe immortalem 95

Alexandri argumenta quòd anima non ſit in nobis, vt nauta in naui 201

Angeli ex anima & corpore compoſiti, & cur 238

Sine corpore introducendi 239

In loco continentur ibid.

Vt ſe habeant ad proprium locum 240

Sub eadem ſpecie numero multi 234

Et cur multi 235

Animam eſſe nomen inane, cui nihil ſubijciatur, putauit Dicearchus 149

Anima corporis vitio quandoque contra-

Senſu conſtituitur 198
Animalis vocabulo quandoque ſignificatur viuens 198
Annus magnus Platonicus
Appetitus *in quibus hominibus rationi obtemperare, & in quibus repugnare videatur* 198
Appetitus nomine tria intelliguntur 193
Appetitus contrarij qui 193
In homine cur quandoque contrarij 194
Appetituum contrarietas non demonſtrat animam ex diuerſis partibus compoſitam 193
Oſtendit in homine vnam eſſe animam, quę ſimul ſentiens, & intelligens eſt 194
Ariſtippus cur mathematicas contempſit 139
Ariſtoteles accuſatus ab Eurymedonte 173
Caſtigatus, quia animam finiuit ἐντελέχειαν 25
De anima ſic diſputauit, ut de immortalitate nihil ſibi dicendum eſſe putauerit 96
De animi immortalitate ſcripſit ad Eudemum 174
In conſuetis naturę operibus contemplandis ſolùm eſt verſatus 41
In multis fuit dubius 250
Mentium noſtrarum originem & flatum à corpore diſiunctũ nunquam fuit contemplatus 41
Religionẽ magni ſemper fecit 89
Reſurrectionem repudiauit 35
Atticus in quas partes diuiſerit philoſophiam 131
Auerroes in ijs, quæ ſcripſit de duplici cęlorum motore Alexandrum ſequutus 104
Quid de cauſſa ſenſerit, quę induxit Ariſtotelem ponere mentes à materia ſeparatas 103
Auicennę opinio de formarum origine 164

B

B*Oetij locus de veritatum conſenſione* 178
Bonorum genera 17
Brutę animantes felicitatis expertes 87

C

C*Alor animæ inſtrumentum in ſpiritibus reſidet, & tenuiſſima ſanguinis portione* 51
Caloris magnum momentum ad obeundam intelligentiam 51
Canities mentem hebetat 56
Carneades cur ſe helleboro purgaret 143
Cęlo pręter mentem motricem tribuenda eſt alia forma, quę ſit ipſius natura & anima 137
Cæli Deorum nomine à veteribus appellati 15
Cęli lumine motuque agunt 99
Cęleſtia corpora animata 103

Cauſſæ

Cauſſæ communes 98
Cognoſcunt ſenſibilia alia ratione, quàm ſenſu 221
Cerebrum cur datum ſanguineis animalibus 144
Cerebro læſo cur lædatur mentis actio 144
Cerebro læſo lædi mentis actionem non demonſtrat cerebrum eſſe mentis inſtrumentum 144
Ciceronis error in voce ἐντελέχεια 117
Cogitatrix Auerrois non Ariſtotelica 118
Cognitionis amor in homine inſitus 82
Cognoſcens natura fit id, quod cognoſcitur 66
Cognoſcere eſt imitari id, quod cognoſcitur 66
Contemplatio diuturna in hac vita eſt laborioſa 85
Contemplatio vita feliciſſima 18
Corpora quo modo ſint in loco 240
Corpora ſequuntur ſuarum formarum conditionem 30
Corpus cur græcè σῶμα 113
Creatio ab Ariſtotele & priſcis philoſophis pro nihilo habita 46
Creatio cur recipiatur à multis cauſſa ex Auerroe 69
Creatio Dei proprius agendi modus 232

D

Dæmones non ſine corpore de multorum ſententia.
Dæmones ſæpe nos illudunt apparitionibus 99
Dæmonum naturam Alexandrei odio habent 99
Deus ab Aegyptijs vt definitus 239
Deus animal ſempiternum & optimum 198
Deus mentis noſtræ genitor 232
Deus non occupatur in rebus agendis 18
Deus loco non concluditur & cur 239
Dei cognitio eſt Dei ſimilitudo 83
Dei opera noſtram cognitionẽ prætereunt 38
Dei vis ſitne finita in infinita 232
Deum feciſſe homine ad ſui imaginem & ſimilitudinem explicatio 83
Diuinitatis attributum latè patet 16
Διανοία quæ pars animi 68

E

Effectum cauſſam ſuam perpetuò imitatur 91
Efficiens à patiente diſiungitur 91
Efficiens tempore antecedit id, cuius eſt efficiens 110
Efficientia naturalia non agunt ſine motu 231
Efficientis eiuſdem eſſe materiam parare, & formam tribuere, in quibus verum 163
Embrio non interit anima ſenſuali

Digitized by Google

ſuperueniente 195
ευτελέχεια Ariſtoteli quid 117
Eorum, quæ ſunt diſtributio 190

F

Felicitas in præſtantiſſima hominis functione conſiſtit 87
Felicitas tam latè patet, quàm contemplatio 87
Finis cuiuſque in muneris functione locatur 81
Forma in natura cognoſcente cur impediat aliarum receptionem 66
Forma in natura recipiente cur prohibeat formæ ſimilis, aut contrariæ receptionem 66
Forma natura dimidiata. 24. 203
Forma non agit in materiam, in qua hæret 91
Forma omnis duobus continetur 22
Forma omnis non eſt huiuſmodi, vt non poſſit ab eo, cuius eſt forma, diuelli 202
Forma operationis principium 26
Forma, quæ eſt hoc aliquid, non ſic eſt hoc aliquid, vti ſubſtantia compoſita 206
Forma quot modis labatur in interitum 90
Forma ſimplicem habens modum exiſtendi non tribuit, niſi vnicum eſſe 192
Forma ſimul eſt cum eo, cuius eſt forma 110
Formæ ſimplicis ratio ſimplex exeundi in actum 108
Formam, cuius actio ſine corpore exerceatur, ſua vi eſſe à corpore ſolutam quomodo intelligendum 50
Formam per ſe conſtare nihil prohibet 203
Formæ aſſidentes & inhærentes quæ 112
Formæ manent incolumes iis, quorum ſunt formę, multas ſubeuntibus mutationes 47
Formæ naturales in eo, quòd formæ, nequeunt à materia ſeparari 203
Formæ nonnullæ habentur, quæ ſimul ſunt hoc aliquid, & id, quo eſt hoc aliquid 204
Formarum & efficientium diſcrimen 175
Formarum magna varietas 206
Formarum materiatarum non eſt generatio, aut creatio 230
Formarum, quæ ſunt principia cognoſcendi, & formarum nullam cognitionem tribuentium diſcrimen 149
Formis omnibus facultate cognoſcendi præditis datum in ſe reflecti 53

G

Galenus non ſecus ac Alexander accipit ſententiam Ariſtotelis de mente humana 10

Generatio eſt ex forma & materia compoſiti 230
Generatio vt fiat, quot & quæ poſtulentur 230
Generis proprium e ſpecie non poteſt tolli 201
Gregorius Nazianzenus voluit, quę animo percipiuntur, à nobis non intelligi ſine rerum corporearum adminiculo 212

H

Heracliti dictum: ſplendor ſiccus animus ſapientiſſimus 51
Hermias eruditus ab Ariſtotele ſcripſit animum eſſe immortalem 174
Hippocratis locus de calido 51
Hominis actio propria quæ 81
Hominis figura cur recta & celſa 82
Hominis finis in Dei cognitione poſitus 80
Hominis vita multiplex 17
Homo anima præſtantior 207
Homo contemplationi deditus ſupra hominis naturam 18
Homo cur græcè ἄνθρωπος 82
Homo cur hominem dicatur generare 164
Homo in hac vita non habet explicatam rerum ſenſibilium cognitionem 84
Homo inter diuina & caduca medius 17
Homo qua mente ſimilis Deo 18
Homo quo pacto animam tribuat 163
Homo quod homo & animal ſit, non ex opere, ſed ex anima conſequitur 197
Homo, ſi anima eſſet mortalis, nũquid poſſet mortem appetere 54
Homines virtute & ſapientia præditi non diffidunt animam noſtram eſſe immortalem 39
Hominum inuentum non occupat omnes gentes 89

I

Ideas eſſe ponendas Platonis argumentum 132
Idem vario modo ſe habens principium diuerſarum functionum 192
Ignauus is, qui quod neſciat ablatas argumentationes diſſoluere, ſuccumbit 251
Ignis motus duo de quorundã ſententia 223
Imaginatio duplex 189
Imaginationis vocabulo quandoque mens amplectitur 189
Imaginatricis ſtatus quatuor de ſententia Auempacis & Abubacheri 10
Immortalitas animæ vt oſtendatur, non eſt accuratum demonſtrandi genus poſtulandum 40
Immortalitatem animæ inueſtigandi

gandi viæ duæ cæteris firmiores 22
Impartibile eſt & non eſt abſque motu & mutatione 230
Indiuiduum an poſſit moueri, & quo motu 247
Indiuiduorum multitudinis ſub eadem ſpecie cauſſa 31
Infinitas affectio quantitatis 250
Infinitas e quibus ab Ariſtotele eiecta 250
Infinitatem ſubſtantiarum à materia ſeparatarum an Ariſtoteles conceſſurus 250
Infinitum an à Deo poſſit effici 250
Infinitum incrementum non excipit 35
Infinita ſit necne Dei ius 232
Infinito tempore nullum eſt maius 29
Ingenium præſtans indicat ſubtilem cerebri ſubſtantiam 51
Inſtrumentum eatenus inſtrumentum quatenus illius aliquis vſus 155
Intelligendi actus animæ cur Ariſtoteles tribuerit 210
Intelligendi actus in perpeſſione ſitus 53
Intelligendi actus non ſine imaginatione 211
Intelligendi actus non poteſt exerceri ſine corpore ab anima corpus animante 142
Intelligendi modus per eſſentiam præſtantior eo, qui eſt per ſpecies 32
Intelligendi vis cur non ſine altrice in mortalibus 160
entelligere quid. 65. 150. 152
Intelligibilium varietas 148
Intelligibilium voce quæ intelligantur 132
Interitus propriè non eſt animæ, ſed rei animatæ 21

L

Lares familiares qui 97
Laruæ quæ 97
Locus affectio qualis 239
Lemures qui, ac tripartitò diuiſi 97
Lucretij locus, quòd anima non antegrediatur corpus 110
Quòd mens vna cum corpore intereat. 2. 3 56
De anima diſcedente à corpore 109
Quòd anima ſenſibus augenda, ſi à corpore ſecreta in rebus ſentiendis eſt verſatura 33

M

Manij Dei qui 97
Materia erroris cauſſa & incertitudinis
In cuiuslibet corporis productione poſtulatur 231
Natura dimidiata & rudimentum 24

Non

Non poteſt iudicium ferre de forma in ipſa hærente 72
Non poteſt ſine forma conſiſtere 203
Non ſemper cauſſa multitudinis numeralis 235
Radix multitudinis ſecundum numerum 31
Mathematicæ non ſunt contemnendæ 131
Sint necne in partibus philoſophiæ 126.130
Mathematicarum certitudo in quo poſita 150
Mathematicæ formæ aditum aperiunt ijs, qui e rebus materiatis ſeſe attollunt ad mentium diuinarum cognitionem 141
Cur non cadant in philoſophi naturalis contemplatiouem 139
Ex abſtractione dicuntur, & cur 139
Mediæ interiectæ inter formas ſenſibiles, & formas, quæ ſola mente capiuntur 141
Mathematicis formis abiunctus finis 139
Mens abſque generatione eſt 230
Mens actu tempore progrediente innaſcitur, & in ſenectute perficitur 157
Mens corpori copulata non adipiſcitur perfectam Dei cognitionem 83
Mens corpori copulata non intelligit ſine opera facultatis imaginatricis 52
Mens cur non ſuſcipiat formas more materiæ 72
Mens cur poſt comprehenſionem excellentis intelligibilis, quæ minora expeditiùs intelligat 49
Mens cur quandoque offendatur 160
Mens dum intelligit uon verè afficitur ab ijs, quæ intelligit, & cur 61
Mens in eo, quòd mens, non eſt principium motus 145
Mens in eo, quòd νοῦς, non eſt pars animæ & actus corporis 120
Mens in homine duplex 18
Mens in nobis cur ſenſui coniuncta 169
Mens inſtrumento caret 141
Mens inſtrumento cur careat 145
Mens non mouet vi imaginandi interiecta 138
Mens non ſecus mouet ac vis imaginandi 137
Mens non ſemper inualeſcit corpore ſeneſcente 56
Mens quando νοῦς, & quando διάνοια 119
Mens, quæ mouet, actiua 138
Mens quo modo fiat id, quod intelligitur 149
Mens quomodo natura hominis, & quomodo non 17.19

Mens

Mens quo pacto ſeparet formas mathematicas 151
Mens vicem gerit inſtrumenti 155
Mentis actio cur ob corporis ægrotationem lædatur 94
Mentis appellatione intelligitur facultas intelligendi, & anima rationalis 122
Mentis & materiæ diſcrimen in formis ſuſcipiendis 149
Mentis finis & bonum 18
Mentis impatibilitas purior ea, quæ ſenſus 141
Mentis munera duo 119
Mentis nomen in iis, quæ ab vno, & ad vnum 143
Mentis vocabuli ſignificationes variæ 131
Mentem ad ſuum munus obeundum nulla vti corporis parte, an verum 50
Mentem immixtam eſſe trifariam intelligitur 62
Mentem inſtrumento carere quæ perſuadere videntur 142
Mentem ſeparabilem eſſe quot quibuſque modis intelligatur 140
Mentem ſeparabilem eſſe vt acceperint nonnulli ex Auerrois ſectatoribus 217
Mentem ſequi corporis temperationem an poſſit dici 182
Mens contemplatrix an ſede ſit diſcluſa, à reliquis animæ partibus, cur dubium 585
Mens efficiens Deus 76
Mens efficiens prima ſupremaque mens 154
Mens efficiens ſemper actu mens, actuque intelligibilis 77
Mens efficiens ſimpliciter ſuaque natura mens 132
Mens humana natura 137
Tempore infinito non antegreditur corpus humanum 109
Mentis humanæ vis & natura explicatur in libris de anima 142
Mentis humanæ quiditatis & naturæ contemplatio non eſt naturali philoſopho adimenda 127
Mentes humanæ cur numero multæ
Mentium humanarum dignitas nō par. 182
Mens noſtra ab Auerroe poſita in numero mentium à materia ſeparatarum 100
Mens noſtra cur hebeſcat corpore ſeneſcente 57
Cur nos ad mortem excitet 54
Non intelligit ſe per eſſentiam 52
Principium motus 136
Quo modo intelligat ſe 53
Quo modo pertineat ad philoſophum naturalem, & quomodo ad diuinum de quorundam ſententia 126
Quo modo non ſit naturalis contemplationis 143
Quot modis ſe ipſam poſſit intelligere 52
Se ipſam tantùm intelligit, &

non ſola diuina 149

Mentis noſtrę actiones cur uigeant corpore defloreſcente 56

Mentis noſtra diſcrimen à formis materiatis actu intellectis 162

Mentis noſtrę & materię primę ſimilitudo 70

Mentis noſtrę & mentis diuinę diſſimilitudo 70

Mentis noſtrę oculi ſcientia & prudentia 56

Mentem noſtram eſſe immortalem quot modis poſſit accipi 100

Mentem noſtram eſſe vnicam in cunctis hominibus non facit cum Ariſtotele 217

Mens patibilis quę ſit opiniones varię 77

Mens patiens duobus modis poteſt conſiderari 155

Mens poteſtate mens minus propriè 155

Mens ſeparata cœlum mouet veluti finis 103

Mens ſeparata non eſt proximum principium motus & mutationis 232

Menti ſeparatę vni non eſt adimendum, quod cęteris fuit conceſſum 106

Mentem ſeparatam nihil noui efficere in quibus intelligendum 237

Mentes à materia ſeparatę cur ab Ariſtotele poſitę 103

Ex duabus partibus ab Auerroe & aſſeclis compoſitę 105

Mentes à materia ſeparatę non occupantur in rebus agendis 181

Sunt cauſſę communes 98

Sunt eiuſdem ſpeciei 106

Mentium à materia ſeparatarum attributa 105

Eſt intelligere ſe per eſſentiam 52

Mors cur maximè terribilis 172

Mors non poteſt virum bonum perterrere 54

Motus diuiſio in continuum & diſcretum 247

Motus continuus affectio corporum naturalium 247

Motus diſcretus affectio ſubſtantiarum à materia ſeparatarum 247

Motus diſcretus non improbabilis 247

Motuum tria genera 135

Motor primus mouet per modum finis 232

Motor primus non mouet in tempore ex Simplicio 229

Mouens per modum efficientis corpus 232

Mundum eſſe factum ex quo concluſerit Moyſes Aegyptius 35

Muneris functio non ex rei ſubſtantia ſed contra hac ex illa inueſtiganda 216

N

NAtura omnis compoſita eſt pars ſui princeps 81

Natura rerum ex operibus dignoſcuntur 33
Nauta quo pacto nauis actus 123
Νοῦς quæ pars animi 68

O

Operatio cur compoſito & non formæ tribuatur 26
Operationis principium forma 26
Opinio eſt illius animæ partis, quæ ratione vtitur 188
Orpheus corpus putauit eſſe tanquam animæ ſepulchrum 113

P

Panætius quo dogmate vſus ſententiam Platonis de animi immortalitate confutauerit 29
Pars toti coniuncta perfectior, quàm à toto ſeparata 224
Parti potius eſt in toto exiſtere, quàm à toto eſſe diſiunctam 209
Paſſio vera ac propria corporis 141
Paſſio vera, & paſſio ſimilitudine in quo conueniant, & in quo diſſentiant 60
Phantaſmata ad intelligēdum neceſſaria 211
Philo animas duas in nobis ſtatuit 187
Philo ſenſit ſtellas eſſe animatas 186
Philo vt illud fuerit interpretatus: faciamus hominem ad imaginem noſtram 186
Philolaus ſenſit animam propter ſupplicia eſſe corpori alligatam 113
Philoſophia naturalis in quibus poſita 135
Philoſophiæ ſpectatiuæ partes de ſententia veterum 129
Philoſophi ętatis priſcę de noſtra anima cur impiè ſenſerint 37
Philoſophis ea ſola ponenda, quę in omnibus, aut in multis videntur 28
Phyſiognomica ars non contemnenda 170
Plato animi partes inter ſe pugnantes loco diſcluſit 185
Formas naturales re ipſa ſeparauit à corporibus 203
In nobis tres animas poſuit 73
Mathematicas magni fecit 131
Negauit nos in hac vita poſſe beatos eſſe 85
Noluit animam eſſe in corpore, ſed contra corpus in anima 200
Partem animi immortalem ab ea, quę eſt mortalis, ſeparauit 186
Putauit animam eſſe id, quod primùm ac propriè cognoſcit 216
Qua ratione monſtrauerit animam non eſſe corporis harmoniam 92
Quos Deos fecerit authores animæ partium 186

Quot & quæ genera rerum induxit 133
Vt finiuerit hominem 113
Platonis argumentum, quòd anima ſit immortalis, & eiuſdem defenſio varia 55
Cœna laudatæ à Timotheo 143
Locus in lib. 10. *de Repub.* 21
Locus in quo animæ partes ſeparantur 58
Locus in Timæo explicatus 5
Ratio, quòd anima ſit immortalis, conſiderata 21
Platonici animas noſtras cũ æterno corpore copularunt 202
Mathematicas non poſuerunt in numero partium philoſophiæ 131
Qua ratione adducti voluerint animam vti corpore, & non eſſe in corpore, vt formam in materia 23
Plotinus Ariſtotelem vituperauit, quia animam finiuit ἐντελέχειαν 199
Ex religione argumentum ſumpſit ad confirmandam animi immortalitatem 90
Porphyrius ex animarum defunctorum apparitionibus intellexit animam noſtram eſſe immortalem 98
Præſtabilius non eſt poſitum in virtute minus præſtabilis 181
Pythagoras dixit hominem eſſe factum ad contemplandum 84
Pythagorici animas non ſine ortu & interitu poſuerunt 36

R

Receptionis modi varij 65
Religio ſocietatis humanæ vinculum 88
Religionis fundamentum animi immortalitas 83
Religionem magni fecit Ariſtoteles 89
Res per formam & non per materiam ſcientia comprehenduntur 48
Rerum à materia diſiunctarum genera
Rerum genera à Platone inducta 133
Rerum gradus quot & qui de ſententia veterum 130
Rerum, quæ mente percipiuntur, genera 210
Rerum triplex diuerſitas 140
Reſurrectio veterum pleriſq; probata 254

S

Scientia de anima vt alijs certior 149
Scientia eſt propriè primi, ex quo reliqua pendent 143
Scientia habetur per formam rerũ, non per materiam 147
Scientia vna quot quibuſque modis ſit altera certior 147

Scientiæ quot quibuſque modis poſſint inter ſe comparari in certitudine 149
Scientiarum certitudo maior nunquid indicet amplicrem præſtantiam 151
Scientiarum certitudinis modi poſiti in lib.1 poſt.analyt. quibus ſcientijs accommodentur 150
Scoti argumenta quòd animæ eſſe non ſit idem, quòd hominis eſſe 207
Seneca quid ſenſerit de animæ immortalitate dubium 36
Senes ob frigiditatem deſipiunt 51
Senſus aliquo pacto in ſe conuertitur 53
Senſus animæ rationali cur datus 160
Senſus cur inſtrumentum habuerit 145
Senſus cur lædatur à vehementi ſenſibili 49
Senſus non omnino expers veræ perpeſſionis 141
Senſus impatibilitas impura 141
Separabilis vox Ariſtoteli ſignificat quandoque id, quod eſt ſeparatum 204
Separabilis vox quid ſignificet Ariſtoteli in lib.4.phyſ.17 203
Sexus differentiæ animalibus propter quid data 3
Somnia ſi mittuntur à Deo, abſurdum quibuſuis hominibus mitti 99
Stellæ animatæ poſitæ à Philone 186
Stellarum occultæ proprietates reiectæ 99
Stoici Dæmones interire poſuerunt 151
Stoici diffidentes de animi immortalitate 36
Subſtantiam eſſe ſeparabilem, quid ſignificet Ariſtoteli 205
Subſtantiæ & accidentia vt differant 205
Subſtantiæ immateriatę non intelliguntur ſine phantaſmatis 212
Subſtantię immateriatę quibus modis intelligantur 212

T

Tangunt ſeſe propriè, quæ corpora 141
Temperationis perfectiſſimę vis 8
Tempus diſcretum menſura motus diſcreti 247
Tempori non ſubijciuntur à magnitudine ſeparata, atque expertia motus 229
Theologi priſci ſenſerunt animam propter ſupplicia corpori eſſe alligatam 113
Theophraſtus ſtatuit animum noſtrum eſſe immortalem 176
Totum præſtabilius parte 210

V

Veritas duplex de ſententia quorundam 173

Veritas non eſt in multas diducenda 177
Veritatum nulla diſcordia 177
Vita quid 17
Vitę gradus quatuor 119
Vitę quartus gradus ex mente 119
Vitę duę de ſententia quorundam Platonicorum 55
Vnum fit magis ex mente & intelligibili, quàm ex materia & forma 149
Voluntatis libertatis cauſſa & origo 92

X

Xenophanes equè impios ſtatuit qui Deos natos eſſe exiſtimarent, atque qui interituros 29

Z

Zeno putauit animam à corpore diſiunctam aliquando interire 250
Zoroaſtri exclamatio, quòd homo ſit opus naturę audaciſſimę 93

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ADditio ad pag. 220. linea 5. poſt verba: cuius eſt forma, manere: Quòd ſi Alexander & Alexandrei ægretulerint hanc explicationem, voluerintque propriam huius vocis ſeparabilis ſignificationem eſſe retinendam, qua ſignificatur id, quod alicui coniunctum, poteſt ab eo ſeparari, hic quoque locus parum eis opitulabitur, nam ſeparabile id propriè dicitur, quod dum ſeiungitur, nihil damni affert ei, à quo ſeiungitur, vt nauta eſt à naui ſeparabilis, quoniam ex nautæ ſeparatione nullum incommodum peruenit ad naturam & eſſentiam nauis, quæ incolumis illæſaque ſeruatur: quod ſi ita eſt, liquet nullam formam eſſe ab eo, cuius eſt forma, ſeparabilem, quoniam ea ſeparata corpus, cuius eſt forma, diſrumpitur, deſinitque eſſe illud ipſum, quod antè erat iacturam faciens ſuæ naturæ, ſuæque eſſentiæ: Atqui ſi anima non habuerit vllum opus proprium, erit corporis animati forma, quemadmodum expoſitum eſt: ergo non erit à corpore animato ſeparabilis: Cæterùm non ſequitur, vt eius natura ſit mortalis, quoniam nihil prohibet animam corpore diſſoluto illam manere ſuperſtitem.

Erra-

Digitized by Google

Errores in excudendo opere facti ſic ſunt corrigendi.

Pag.	Linea	Errata	Correctiones
3	14	*lactumque*	*luctumque*
4	17	*definita*	*definitæ*
5	11	*& quorum*	*e quorum*
	36	*fabricatorum*	*fabricatorem*
6	23	*facta*	*fata*
8	6	*affici*	*effici*
9	6	*vt*	*at*
10	13	*Abubasharum*	*Abubasherum*
12	14	*ineſpectabiles*	*inaſpectabiles*
13	5	*ſe*	*re*
14	26	*Aluxandro*	*Alexandro*
	28	*patricidio*	*parricidio*
15	5	*& quam*	*eſt quam*
	eadẽ	*& doctrina*	*& in doctrinã*
	34	*ſimplicius*	*Simplicius*
16	36	*conſilia*	*concilia*
17	28	*indicent*	*iudicent*
	32	*ijs qui diditi*	*ijs dediti*
20	20	*imparante*	*imperante*
21	8	*ac*	*at*
	12	*vim*	*cùm*
	31	*caſus*	*cæſus*
23	5	*tradictam*	*traditam*
25	12	ἐντελέκειαν	ἐντελέχειαν
29	1	*&*	*ea*
31	8	*& æternitatemque*	*vt diuinitatẽ, & æternitatẽ*
33	27	*anima*	*animai*
37	11	*mulitarunt*	*mulctarunt*
	24	*turpæ*	*turpe*
38	9	*demetram*	*demerſam*
	30	*lactantius*	*Lactantius*
39	9	*illa*	*illam*
40	18	*cru-*	*eru-*

ab eo

41	16	*abeo*	*abeo*
42	23	*natus*	*nactus*
43	23	*inebrietatibus*	*in ebrietatibus*
45	5	*ſint*	*ſine*
46	16	*formas & animas,*	*format & animat,*
49	18	*etſi*	*& ſi*
51	13	*extat*	*exeat*
56	22	*pueris*	*puer is*
62	11	*amittuntur*	*enituntur*
	30	*pati*	*parti*
65	30	*tentamus*	*teneamus*
66	10	*&*	*ne*
	12	*& pror-*	*eſt pror-*
68	2	*enunciatu*	*enunciato*
	12	*quam*	*quæ*
	21	*cadentes,' per ſe*	*cadentes, quæ per ſe*
	34	*Throdorus*	*Theodorus*
	35	*Abdenites*	*Abderites*
75	37	*adoptio*	*adeptio*
78	13	*poriſque*	*porciſque*
81	33	*neceſſaria*	*neceſſariò*
82	23	ὕπαπȣ	ὅπωπȣ
83	10	*&*	*vt*
85	15	*dua*	*duo*
87	17	*vnus*	*vni*
88	37	*rhoros*	*thoros*
89	21	*principes, adde,*	*mente à diuino cultu alieni populos*
90	5	*ſubducta*	*ſubducta*
91	33	*Bracchi*	*Bacchi*
97	23	*meritæ*	*merita*
	12	*prohibere*	*prohiberi*
98	20	*habeat*	*habent*
99	6	*clariſſimi*	*chariſſimi*
	20	*quæcunque*	*quocunque*
100	35	*cieri*	*veri*
101	33	*log.*	*lyt.*
102	32	*à corpore*	*corpore*
104	25	*cieſque*	*cietque*

Reſpon-

Digitized by Google

106	16	*Reſpondens*	*Reſpondent*
107	22	*analog.*	*analyt.*
	28	*ſe*	*ſi*
113	12	*metitas*	*meritas*
	16	σῶμα	σῦμα
	18	*dignus*	*dignat*
115	20	*preperam*	*perperam*
	34	*rationem*	*ratione*
116	5	*erit*	*erat*
117	6	ἐντελέκειαν	ἐντελέχειαν
	29	*Miſsel.*	*Miſcel.*
119	5	*excepea*	*excepta*
	11	δοξαατικον	δοξάστικον
	22	*propria*	*propriè*
121	24	*ratione*	*rationem*
122	27	*recupetur*	*occupetur*
123	20	*tertia*	*tertiæ*
124	16	*Mædius*	*Madius*
125	21	*et*	*at*
129	22	*qua*	*quæ*
132	23	νοκτά	νοηκὰ
136	35	*Zimaræ*	*Zimara*
137	16	*eijcitur*	*eijciatur*
139	20	ἀψαιρεσείσα	ἀφαιρεσείσα
141	11	*creditorum*	*eruditorum*
142	29	*tametſi*	*tanti*
141	28	*Cauſſa*	*Cauſſa*
142	5	*quæſi*	*quaſi*
144	23	*Albofaragus*	*Albefaragus*
145	8	*ſeribit*	*ſcribit*
145	15	*realis*	*oculis*
148	6	*efficiantur*	*efficiantur*
156	37	*eamque*	*tanquam*
158	12	*quia*	*quin*
160	18	*offenſionem*	*offenſionem*
	36	*efficientis*	*efficientis*
163	25	*adducendo*	*educendo*
164	15	*quamque*	*quamquam*
	19	*cui*	*qui*

ſuppe-

169	30	*ſuppetia*	*ſuppetias*
171	16	*huiuſmodi*	*huiuſmodi eſt,*
	12	*officijs*	*officijs*
174	3	*multaſſe*	*occultaſſe*
178	2	*veritatis*	*veritates*
180	25	*ceato*	*ceant*
181	4	*fundare*	*fundere*
182	15	*accommodatum*	*accommodatam*
183	32	*partem*	*partes*
186	8	*malè*	*mali*
187	35	*penoſum*	*penſum*
190	34	*ſe*	*re*
193	22	*contemplanti*	*contemplante*
195	35	*vrgeat*	*vergat*
197	19	*procedentem*	*procedente*
	33	*verſi*	*etſi*
199	37	*etſi*	*aeri*
	24	ἐντελέκειαν	ἐντελέχειαν
201	2	*non intelligunt*	*certum habent*
	31	*inſitè*	*inſcitè*
202	33	*cæteroquia*	*cæteroquin*
204	8	ἐντελέκεια	ἐντελέκεια
	28	*ſcribit*	*ſubit*
	35	*naturæ*	*natum*
213	31	*perſenſu*	*per ſenſum*
219	33	*quo*	*quod*
221	28	*poſtnut.*	*poſtuat.*
222	24	*rei*	*vti*
225	14	*animas*	*animans*
227	10	*formam*	*formant*
229	24	*At*	*An*
	29	*eam*	*cum*
230	32	*quod*	*deleatur*
233	9	*hominis*	*homines*
234	25	*mart*	*mens*
237	17	*cumulatiſſimi*	*cumulatiſſimè*
242	15	*virtutem*	*virtute*
244	18	*Motione*	*Motioni*
252	35	*deſiderant*	*deciderant*

Cætera & læuiora Lectoris æquitati ſunt permiſſa.

THOMÆ GIANINII
Ferrarienſis
IN PATRIO GIMNASIO
Primi Philoſophiæ Doctoris.

De Mentis Humanæ ſtatu poſt hominis obitum.

Diſputatio Ariſtotelica.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

De Animæ noſtræ ſtatu poſt obitum quid Ariſtoteles ſenſerit variæ ac diſſidentes opiniones, & diſſenſionis origo. Cap. I.

IN hac quæſtione Ariſtotelici ſic inter ſe diſſentiunt, vt nulla inter ipſos grauior ſit diſſenſio. Hi in tres factiones ſunt diſtracti; nam plerique affirmant Ariſtotelem ſenſiſſe animam, mentemque noſtram homine extincto manere. Alij negant animi noſtri ſtatum poſt hominis occaſum Ariſtoteli fuiſſe probatum. Et aliqui ſentiunt hunc ſtatum Ariſtoteli ambiguum fuiſſe. Primæ factionis amatores ſeſe tuentur, primùm quòd Ariſtoteles ſcriptum reliquerit in lib. 1. de anima 65. mētem noſtram eſſe quandam ſubſtantiam, quæ non corrumpitur; deinde quòd in lib. 2. eiuſdem operis 21. voluerit mentem ſeparari a reliquis animæ partibus tanquam id, quod eſt perpe-

Digitized by Google

tuum, ab eo, quod eſt mortale; poſtremò quod in lib. 3. eiuſdē operis menti, quæ in nobis eſt principium intelligendi, tribuerit ea, quæ non obſcurè declarant eius immortalitatem, nam in text. 3. eſt impatibilis: in text. 4. quia omnia intelligit, eſt immixta: in tex 6. corpori non eſt admixta: in tex. 20. poſt hominis obitum non recordatur eorum, quæ in hac vita intellexit, quoniam licet ipſa ſit vacua ab omni perpeſſione, & ab interitu aliena, attamen mens patibilis, quæ eſt facultas imaginatrix, ſine qua nihil intelligit, extinguitur. Hæc huiuſmodi ſunt, vt niſi menti æternæ, conſtantique corpore diſſoluto non poſſint attribui: Quamobrem cùm perſpicuè fuerint ab Ariſtotele noſtræ menti tributa, is planè ſtatuit hanc eſſe æternam, neque cum corpore intereūtem. Secundæ verò factionis defenſores, vt eſſent huiuſce animi noſtri ſtatus poſt hominis interitum contemptores, his locis Ariſtotelicis fuerunt adducti. Et primùm in lib. 2. de anima 15. vis alendi à cæteris animæ facultatibus poteſt ſeparari, hæ verò in mortalibus nequit fieri vt ab illa diſiungantur: atqui cùm alendi vis nūquā ſine corpore maneat, nec etiam vis intelligendi homini mortali impertita poterit ſine corpore conſtare. Deinde in eodem lib. paulò poſt in text. 22. ſentiendi & opinandi facultates non ſubſtantia, ſed ratione tantùm inter ſe differunt: ergo ſi virtutis ſentiendi ſubſtantia non manet diſſoluto animali, nec quoque facultatis opinatricis ſubſtantia manebit homine diſſoluto, & quod ſequitur, intelligendi, & ratiocinandi facultas, ſiue mens, cuius eſt opinio lib. eodem 152. homine morte deleto nequaquam in rerum natura conſtabit. Inſuper ad calcem eiuſdem libri ſcriptum eſt animantes multa facere per imaginationem, alias, quod mentis ſint expertes, vt beſtias, & alias, quòd mens in eis interdum vel perturbatione, vel ſomno, vel morbo impedita, & obſcurata ſit, vt homines: Hoc in loco cùm Ariſtoteles ſtatuat noſtram mentem eſſe corporis morborum participem, ſtatuat quoque neceſſe eſt eandem æquè, ac corpus interire. Nec ſecus Lucretius noſtrarum animarum impius paricida in lib. 3. de rerum natura oſtendere conatus eſt noſtram animam interire: illius ſunt hæc:

,, *Quinetiam morbis in corporis auius errat*

,, *Sæpe*

„ *Sæpe animus, dementit enim, delireque fatur:*
„ *Interdumque graui Lethargo fertur in altum*
„ *Æternumque ſoporem oculis, nutuque cadenti,*
„ *Vnde neque exaudit voces, neque noſcere vultus*
„ *Illorum potis eſt, ad vitam qui reuocantes*
„ *Circunſtant lacrymis rorantes ora, genasque.*
„ *Quare animam quoque diſſolui fateare, neceſſe eſt,*
„ *Quandoquidem penetrant in eum contagia morbi.*

Nec verò Lucretius ſolum putauit noſtrum animum corporis morborum eſſe participem, ſed præterea vitijs proprijs laborare, idque ante hæc ita cecinit:

„ *Huc accedit, vti videamus corpus vt ipſum*
„ *Suſcipere immanes morbos, durumque laborem,*
„ *Sic animum curas acreis, luctumque, metumque.*
„ *Quare participem leti quoque conuenit eſſe.*

Quinetiam eidem adhibuit medicinam, & hinc concluſit illum habere naturam mortalem his carminibus:

„ *Et quoniam mentem ſanari corpus vt ægrum*
„ *Cernimus, & flecti medicina poſſe videmus,*
„ *Id quoque præſagit mortalem viuere mentem.*

Sed Lucretium mittamus, ad Ariſtotelemque redeamus, qui in lib. 3. eiuſdem operis 20. cum ſcribat mentem effectricem, quæ non eſt pars animi noſtri, ſolam eſſe immortalem; & nos non reminiſci, quoniam mens patibilis eſt caduca & mortalis, nemo non intelligit ipſum odio habere hunc poſt hominis obitum animæ, mentique humanæ ſtatum; quem præterea euertit, cum in text. 36 eiuſdem libri proponit poſt conſiderandum eſſe, nunquid noſtra mens poſſit ea percipere, quæ à materia ſunt ſeparata, cum ipſa non ſeparetur à magnitudine. Ad hæc in lib. 2. de generat. animal. cap. 1. Ariſtoteles cauſsã exquirens, cur in genere animalium alterum ſit mas, & alterũ fœmina, ſentit has ſexus differentias eſſe propter generationẽ, atque à fœmina corpus & magnitudinem præberi, à mare animam; hincque concludit hominum ac beſtiarum genus ſemper eſſe. Ne igitur mas ſit fruſtra datus hominum ſpeciei, de ſententia Ariſtotelis exiſtimandum eſt in eius ſemine mentem & animam intelligentem contineri, quæ eſt propria hominis

Digitized by Google

„ forma ; id quod poſt paulò in cap. 3. Ariſtoteles his verbis te-
„ ſtificatur : Corpus autem geniture, in quo ſemen animalis
„ principij contentum vnà prouenit partim ſeparabile à cor-
„ pore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt, quæ
„ mens appellatur, partim inſeparabile, hoc inquam genitu-
„ ræ ſemen diſſoluitur, verſumque in ſpiritum euaneſcit cum
„ naturam humidam & aquoſam habeat. In his Ariſtoteles dubitationem explicat initio capitis propoſitam, quæ eſt, quonam vertatur corpulentia ſeminis in fœminam à mare emiſſi, cum ſemen pars conceptus non efficiatur; ſentitque corpus genituræ diſſolui, verſumque in ſpiritum euaneſcere, quippe cuius ſubſtantia & natura eſt humida, & aquea : Cum hoc autem genituræ corpore inquit in vterum peruenire ſemen & facultatem inducendi animam, quæ eſt forma & principium animalis, quæque varijs partibus & facultatibus eſt diſtincta, quarum vna eſt à corpore ſeparabilis, neq; alicui corporis parti definita addicta, qua veluti inſtrumento vtatur ad ſuum munus obeundum, nempe ea pars animæ, & facultas, quæ rebus diuinis eſt cognata, & mens appellatur; reliquę verò ſunt prorſus inſeparabiles, quippe quæ certas ac definitas corporis partes poſtulant, quibus tanquam inſtrumentis fungantur ſuis muneribus. Ex his patet in ſeminis facultate mentem, & animam intelligentem contineri; quod quoque intelligitur ex paulò ſupra in hoc capite conſtitutis, quibus ſtatuit Ariſtoteles in conceptibus nondum ſeparatis & diſtinctis animam poteſtate, & non actu reperiri; cum autem fuerint ſeparati & diſtincti, in his primũ haberi animã vegetalem, tum procedente tempore recipi ſenſualem, qua animal eſt, & rationalẽ, qua homo; finẽ.n. poſtea cõtingere, atq; hunc propriũ eſſe cuiuſq; generationis Hæc declarant Ariſtotelẽ ſentire animã rationalẽ, atq; intelligentem, qua homo eſt homo, prius poteſtate, quam actu haberi, & hanc eſſe generationis finem ; verum enim verò quæcunque ſunt huiuſmodi, vt in ipſis actum poteſtas prægrediatur, hæc omnia naturam habent fragilem & caducam lib. 9. poſt nat. 17. ergo anima intelligens de ſententia Ariſtotelis cum corpore naſcitur, & cum corpore interit. Sed & Ariſtotelem ſenſiſſe eadem non manere abſque corpore te-

ſtantur

ſtantur ea, quibus in eodem cap. 3. lib. 2. de generat. animal. ſtatuitur omnem animæ virtutem participare aliquod corpus, cuius natura differt, pro vt nobilitate, ignobilitatève animæ inter ſe differunt. Poſtremò ſub exitum lib. 7. poſt nat. quæcunque partes poſſunt manere à toto ſeparatæ, ſunt elementa & partes materiales; atqui Ariſtoteles vult animam intellectualem eſſe hominis formam; non igitur hæc ad ſententiam Ariſtotelis diſſoluto corpore humano poteſt manere. At verò qui ſentiunt Ariſtotelem animæ mentiſque noſtræ ſtatum poſt hominis obitum certum non habere, huncque interdum approbare, & interdum damnare, & quorum numero ſunt Scotus in lib. 4. ſent. diſt. 43. quæſt. 2. Heruæus in quolib. 1. quæſt. 11. & in lib. 1. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. & Molina in com. p. 1. D. Thomæ quæſt. 45. ſuam opinionem confirmant, quòd Ariſtoteles, cùm de mentis humanæ perpetuitate loquitur, ea habet verba, quæ ſunt hæſitantis, & minimè aſſeuerantis; nam ſcribit in lib. 1. de Anima 65. videri mentem innaſci, & non corrumpi: & paucis interpoſitis mentem fortaſſe eſſe aliquod diuinum, paſſioneque vacare: in lib. 2. eiuſdem operis 21. mentem & facultatem ſpeculandi videri aliud genus animæ eſſe, quod ſolum poteſt ſeparari tanquam perpetuum ab eo, quod eſt interitui obnoxium: & in lib. 12. poſt nat. 17. in quibuſdam nihil prohibere formam manere diſſoluto corpore, cuius eſt forma, veluti ſi anima eſt aliquid huiuſmodi, non quidem tota, ſed mens, vt enim omnis anima permaneat, fieri fortaſſe non poteſt: His in locis cùm Ariſtoteles eas dicendi formas vſurpet, quæ ſunt ambigentis, non immeritò quiſpiam ſibi poterit perſuadere eum, quid de hoc mentis & animæ humanæ ſtatu poſt hominis obitum ſit ſtatuendum, non ſatis certum, conſtitutumque habuiſſe. Cauſſa huius inter Peripateticos diſſenſionis eſt anceps, & ambigua humani animi natura, quippe quæ media interijcitur inter formas à materia ſeparatas tempore perpetuo manentes, & formas in materia penitus infixas fragiles & caducas; atque huius teſtis eſt Plato, & vniuerſa huius familia: etenim cùm Plato in Timæo ſcribat mundi fabricatorum animam ex ſubſtantia, quæ indiuidua eſt, ſemperque vniuſmodi, ac

Digitized by Google

di,ac ſui ſimilis, & ex ea, quæ circa corpora eſt diuidua, compoſuiſſe, probatiſſimi quique Platonici inquiunt his explicari mediam animæ naturam, quæ inter res ſola mente apprehenſas planè diuinas, atque omnino indiuiduas, & res, quæ ſenſibus accipiuntur, penitus caducas & circa corpora diuiduas interijcitur. Plerique Ariſtotelicorum noſtram animam hunc medium locum ſibi aſſerere ex eo intellexerunt, quòd mentes diuinæ cœlis præſidentes ita à corpore, & a materiæ vinculis ſunt ſolutæ, vt in ſuis obeundis operibus nullo modo ex corpore pendeant, contra ſtirpium & beſtiarum animæ ſic in materia ſunt infixæ, vt ſine corporis famulatu ſua officia exequi nequeant; & hominum animæ ad ſua obeunda munia corpus in ſocietatem partim recipiunt, & partim non recipiunt; nam quæcunque opera ſunt facultatum alendi & ſentiendi, hæc ſtatuta ac definita corporis parte perficiuntur; quod autem eſt mentis opus, & intelligentia vocatur, id nullum poſtulat corporis miniſterium. Cùm igitur noſtra anima & cum Mentibus beatis ab omni materia ſeparatis, & ex omni æternitate conſtantibus, & cum formis ex materia prorſus pendentibus, atque natiuis & caducis habeat cognationem, nec fieri poſſit, vt vna cum corpore pereat, & corpori mortuo ſit ſuperſtes, Peripateticorum alij eam inducunt nulla mortis facta ſentientem; alij vna cum corpore intereuntem; & alij ancipiti cura diſtracti, quid hac de re ſit ſtatuendum dubium & incertum habent. Qui mentis aciem in id defigunt, quo anima noſtra diuinis mentibus eſt cognata, ij non ignorantes hoc in anima princeps eſſe: ac dominatum habere, & vnumquodque id maximè eſſe, quod in ipſo tenet principatum, vt ſcriptum fuit in lib. 10. Ethic. ad Nicom. cap.7. in ijs animam noſtram annumerant, quæ nunquam occidunt, nec ſecus Ariſtotelem ſentire arbitrantur illis locis Ariſtotelicis adducti ſupra recitatis. Qui verò in ijs, in quibus noſtra anima cum beſtiarum animis conuenit, toti ſunt defixi, cùm hæc perſpiciant & multò plura, & multò euidentiora ijs eſſe, quæ ſtant à diuinitate, (nam multiplicia vegetalis & ſenſualis facultatum opera, quæ hominibus & beſtijs ſunt communia, maximè apparent, maximèque elucent in nobis,

& vni-

& vnicum mentis opus, quo diuinis mentibus anima humana eſt affinis, dignitate cedit diuinarum mentium intelligentiæ, & in quibuſdam hominibus ita obſcurum eſt, vt hi mentem non habere videantur) nolunt animam noſtram corpori mortuo ſupereſſe, & hoc pernicioſum dogma ab Ariſtotele approbari affirmant id ex varijs huius doctrinæ locis extorquentes. Qui denique varias & multiplices noſtræ animæ communitates cum beatis mentibus, & cum mutarum animantium animis ſibi ante mentis oculos ponunt, locorum Ariſtotelicorum varietatem intuentes Ariſtotelem huc illuc tradunt tanquam incertis actum tempeſtatibus fluctuare. Cæterùm quoniam ij, qui tuentur nullum eſſe animæ, mentiſque noſtræ ſtatum poſt hominis occaſum, magnas turbas in hominum animis & olim excitarunt, & his temporibus excitant, horum opinio nunquid ſit Ariſtotelica, diligenter eſt conſiderandum; & ne hi conquerantur de nobis, quòd quippiam eorum ſententiæ fauens aut neglectum, aut omiſſum fuerit, ipſorum dogma ita explicabimus, & confirmabimus, vt nihil magis appoſitè ad perſuadendum poſſit afferri.

Alexandri opinio aſſeuerantis nullum eſſe animæ noſtræ ſtatum corpore diſſoluto.

Cap. II.

ALexander Ariſtotelis opinionem de mente humana, & anima intelligente ita fuit interpretatus, vt ſenſerit hanc vnà cum corpore incipere atque deſinere, quippe quæ non eſt forma, quæ extrinſecus accedens hominibus aſſideat, ſed vera propriaque hominis forma, fluitque ex perfectiſſima primarum qualitatum temperatione, nec diſtat in hoc niſi perfectione temperationis à cæteris animis, quæ omnes ſiue plantas, ſiue beſtias animent, ex temperatione exiſtunt primarum qualitatum. Et ne quiſpiam commoueatur, quòd anima intelligens ita nobilis, ita admirabilis, & adeo diſtans ab elementorum ſubſtantia exi-

ſtat

ſtat & naſcatur ex horum commixtione, ſcripſit eas eſſe perfectiſſimæ temperationis vires, vt anima præſtantiſſima ex ea poſſit oriri; & ne hoc alicui videatur improbabile, iuſſit, vt primùm cum ipſo conſideremus ex modica, rudique compoſitione quatuor primarum qualitatum magnam in elementis affici varietatem; deinde animaduertamus, quàm præclaræ, quàmque mirificæ ſint quorundam mixtorum inanimorum, vt magnetis facultates, quas certum eſt ex minimo materiæ apparatu emanare; tum verò animum referamus ad ſtirpes, quarum formæ ex perfectiore temperatione exiſtunt, & poſtremò mutas animantes nobis ob oculos ponamus, quarum animæ adhuc ex præſtantiore temperatione naſcuntur, nam arduum non erit nobis perſuadere ex ea, quæ omnium temperationum eſt perfectiſſima, eam quoque formam poſſe oriri, quæ rerum omnium mortalium eſt perfectiſſima, mentem inquam humanam, & animam intelligentem, qua homo eſt homo: Etenim quò magis primæ qualitates actione, & perpeſſione caſtigantur, eò etiam perfectiùs temperantur, præſtantiorque forma ſolet ex harum temperatione oriri; huius id eſt in cauſſa, quia elementorum vires quò magis retunduntur, ac temperantur, eò longiùs recedunt à contrarietate, & ad concordiam ac vnitatem propiùs accedunt, quò autem maior eſt concordia & vnitas, eò præclarior eſt natura formæ. Hinc Deus, qui ab omni contrarietate longiſſimè abeſt, ac verè vnus eſt nihil in ſe admixtum habens diſpar ſui, ac diſſimile, eſt forma omnium præſtantiſſima, vel potius forma omnium formarum, & terminus omnium terminorum: Ex his intelligitur hominis animam ad Alexandri ſententiam eſſe ſummum caducarum formarum apicem, & reliquas formas eſſe veluti gradus, per quos natura ad hanc peruenit, quam vt primùm attigit, illicò canit receptui, finemque facit vlterius progrediendi, ac formam præſtabiliorem producendi: Quapropter hæc anima in æternitatis & mortalitatis finibus poteſt videri conſtituta, mediaque interiecta inter formas penitus caducas, ac materiatas, & ſubſtantias omnino perpetuas, ac immateriatas; ex quo fit, quoniam medium vtriuſque extremi aliqua ex parte eſt particeps, vt

ani-

animæ humanæ & cum his, & cum illis aliqua ſit ſimilitudo in muneris functione, & in modo., quo muneris functio adminiſtratur: Similis eſt ſubſtantijs à materia ſeiunctis ob ſimplicem intelligendi functionem; cum formis vero caducis & animis prorſus materiatis gerit ſimilitudinem ob virtutis vegetalis, virtutiſque ſentientis munera; vt ipſi datum eſt præcipuè in prudentiæ officijs verſari, præterita recordari, futura coniectare, atque ab effectis ad cauſſas progredi,& ab ijs ad illa regredi, atque hunc in modum circulo aliquo pacto cieri. Rurſus anima intelligens diuinis mentibus eſt affinis, quia ad actum intelligendi obeundum non recipit corpus tãquam inſtrumentum in ſocietatem, & hac ratione dicitur ſeparabilis: eadem eſt animis infra ſe poſitis cognata, quia non poteſt in cæteras functiones abſque certa definitaque corporis parte exire, quæ tanquam inſtrumentum ipſi ſeruiat, ac miniſtret, & propterea vocatur inſeparabilis: Cæterum huius natura à corpore diſiuncta manere non poteſt ex malè ſana Alexandri ſententia, quia nulla eius functio eſt ſimpliciter ſine corpore, nam opus intelligendi tametſi corpus repudiet veluti inſtrumentum, attamen ſine hoc propter obiectum conſtare non poteſt, quippe quod ſine phantaſmatis ex corpore pendentibus non poteſt exerceri; atque hoc ipſi peculiariter fuit à natura datum, nimirum vt actum intelligendi peragat partim cum corpore in eo, quod pertinet ad obiectum, & partim ſine corpore in eo, quòd ſpectat ad inſtrumentum. Nec vero alicui admirationem faciat eandem animam in ſuis officijs peragendis nunc vti inſtrumento, & nunc non vti, nam quemadmodum homines, qui potentia & opibus excellunt, multa conficiunt ſeruis miniſtrantibus, quos Ariſtoteles in lib. 1. Polit. cap. 3. voluit eſſe inſtrumenta animata ad vitam degendam, & ſua præſtantiſſima opera per ſe ipſi obeunt, eodem modo noſtra anima ad officia minus præſtantia exercenda partibus corporis tanquam inſtrumentis vtitur,& per ſe ipſa abſque vllius inſtrumenti adminiculo præclariſſimo intelligendi munere fungitur. Atque hæc tradidit Alexander de noſtræ mentis & animæ natura, in quibus ſecutus eſt Plutarchum in lib. 5. de placitis philoſophorum cap. 1.

ac præterea Andronicum Rhodium primum librorum Ariſtotelis, & Ariſtotelicæ philoſophiæ inſtauratorem, vt intelligitur ex Galeno in lib. Quòd animi mores ſequantur corporis temperationem, quo in libro & ipſe non ſecus accipit Ariſtotelis ſententiam; & ſectatorem habuit. Olympiodorum grauiſſimum Platonicum, qui in com. in Phædonem ſcribit Ariſtotelem in hanc opinionem deſcendiſſe, ne cum perſuaſum haberet mundum æternitate contineri, in fabuliſque poneret Pythagoricam animarum in diuerſa corpora traſmigrationem, neceſſe haberet amplecti infinitam animarum multitudinem actu in rerum vniuerſitate conſtantem. Sed & præter Olympiodorum Alexander habuit quoque ſui dogmatis amatores. Auempacem & Abubacharum inter Arabes non obſcuri nominis viros, quanquam hi ab Alexandro in eo diſſenſerint, qui putarunt mentem, quæ in nobis eſt principium intelligendi, eſſe facultatem imaginatricem, non quidem ſimpliciter, ſed qua ex parte repleta eſt phantaſmatis, quæ lumine mentis effectricis poſſunt illuſtrari, atque ex poteſtate intelligibilibus euadere actu intelligibilia. Hi quatuor ſtatus facultatis imaginatricis inducentes, vnū, cū habet in ſe phantaſmata, vt ſunt idola & ſimulachra rerū ſingulariū; aliū, cum hęc ipſa phantaſmata ſunt poteſtate intelligibilia, & poſſunt fieri actu intelligibilia; tertium, cum hæc eadem phantaſmata colluſtrantur lumine mentis effectricis, efficiunturque hac illuſtratione intelligibilia actu ex poteſtate intelligibilibus; quartum & poſtremum, cum in phantaſmatis colluſtratis percipiendis verſatur, voluerunt hanc in primo ſtatu eſſe ſolum, ac nominari virtutem imaginatricem, in reliquis verò mentem humanam, ac in ſecundo quidem vt eſt repleta phantaſmatis, quæ lumine mentis effectricis colluſtrari, efficiq; actu intelligibilia queāt, poteſtate contineri; in tertio, vt repleta iam eſt colluſtratis phantaſmatis, factiſque ex ea colluſtratione actu intelligibilibus, habitu præditam eſſe; & in quarto eſſe in actu, vocariq; mentem ſuo munere fungentem. Sed hi facientes tanti uim imaginatricem perſpicuè decepti ſunt quod mōſtrauit Auerroes in lib. 3. de anima com. 5. & multis declarauit D. Thomas in lib. 2. contra Gent. ca. 67. ſed hæc ſunt à nobis prætereunda,

quia

quia quod falſum eſt euidentiſſimè, id ne refelli quidem ſeriò debet, quod qui facit, vereri videtur, ne quis id credat. Hæc eſt explicatio Alexandri opinionis de natura mentis & animæ noſtræ, quæ explicatio cum fuerit ab Auguſtino Steucho Eugubino caſtigata, antequam ad eius confirmationem progrediamur, huius viri caſtigatio eſt diſcutienda.

Diſputatio aduerſus Auguſtinum Steuchum Alexandri opinione non ſyncerè interpretantem.

Cap. III.

AVguſtinus Steuchus Eugubinus multæ lectionis, multæque eruditionis vir in lib. 9. de perenni philoſophia cap. 21. ſcribit falſo tribui Alexandro Aphrodiſienſi, quòd fuerit noſtrarum animarum parricida, atque hunc errorem inde manaſſe, quòd cum in philoſophorū ſcholis, & in omni propemodum uitæ actione ſæpe accidat quoſdam reperiri, qui alicuius viri præclari ſententiam perperam excipientes vel quia huius libros oſcitanter legunt, vel omnes legere contemnunt contenti pauca quædam vidiſſe, & ex his de ſcriptoris ſententia iudicium feciſſe, in cauſſa ſunt, vt fama inualeſcat eum uirum ſimile quid ſenſiſſe, quale ipſi interpretantur, nonnulli extiterunt, qui libris Alexandri negligenter inſpectis tradiderunt hunc animæ noſtræ immortalitatem repudiaſſe, quibus cum à poſteris fides fuerit habita factum eſt, vt omnium animos peruaſerit Alexandrum eſſe animæ noſtræ parricidam. Verū quiſquis omnia huius viri ſcripta voluerit legere, & perpendere, nullis obūbrantibus ambagibus intelliget eum ad mortem animā noſtram nequaquam miſiſſe; atque huic quatuor rationes præſtò erunt ad omnem hanc probationem: Prima, quoniam Alexander initio lib. 1. de anima ſcribit animam, quæ finitur actus primus corporis natura-

lis inſtrumentarij, eſſe animam eorum, quæ in generatione, & interitu verſantur, hoc eſt animã, qua viuit animal hoc corporeum, terreſtre, corruptibile, & mortale. Verum enimuerò cum duplex ſit homo, vnus exterior, quem ſenſu accipimus, quique conſtat ex corpore & anima, nec perpetuò manet, alter interior, qui fugit noſtrorum ſenſuum comprehenſionem, & eſt ipſa mens hominis diuina & immortalis, neceſſe eſt, vt in mentem humanam nequaquam cadat animæ definitio iuxta Alexandri ſententiam: Quapropter quoniam ex hac diffinitione Alexander conficit animam eſſe mortalem, non eſt, vt ei tribuatur, quòd hominis mentem fecerit caducam. Secunda, quia Alexander hanc definitionem adimit Deorum animis; & noſtra anima, quæ dicitur mens, ſiue animus, quo ſapimus, reſque ineſpectabiles, occultas, & æternas apprehendimus, eſt diuina; cuius rei fidem facit Ariſtoteles, qui in lib. 2. de gen. animal. ca. 3. concludit ſolam mentem extrinſecus accedere, hancque ſolam diuinam eſſe: & in lib. 10. Ethicor. ad Nicom. cap. 8. tradit noſtram mentem eſſe quoddam diuinũ, Dijſque cognatum, & propterea eos homines Dijs eſſe chariſſimos, qui hanc colunt, quòd probabile ſit Deos delectari parte hominis ſibi cognatiſſima, & hanc maximè diligentibus benefacere. Tertia, quòd Alexander nulla dubitatione interpoſita videtur clara voce fateri mentem, quam Ariſtoteles vocat mentem actu, mentemque effectricem, eſſe incorruptibilem, immortalem, & extrinſecus accedere: atqui cum Alexander huius mentis principatum, primamque dignitatem tribuat menti diuinæ, quæ eſt prima cauſſa, quæ ſeipſam intelligit, fruiturque ſpeculatione maieſtatis ſuæ, ſecundo autem loco & poſt Deum ſtatuat mentem noſtram, hanc profectò non ſecus, atq; Deum vindicat ab omni mortalitatis culpa, cum illi tribuit, quòd ſit à corpore ſeparabilis, immixtaque, quòd diuina, & quòd extrinſecus adueniat. Quarta & poſtrema, quæ omnem prorſus tollit dubitationem, quòd Alexander in lib. 2. problematum dum rationem aperit in probl. 64. cur in omni tranſmutatione id, quod generatur, exprimit generantis & „ tranſmutantis colorem habet hæc: Bonæ porrò tempera- „ turæ gignunt naturales facultates, atque, vt nonnulli exiſtimant,

„ mant, etiam animales, ſiue vt verius dicam, ſunt ipſarum in-
„ ſtrumenta; nam quemadmodum fidibus in cithara, & fora-
„ minibus in tibia rectè conſtitutis artifex optimè modulabi-
„ tur, malè autem diſpoſitis perperam agat, eſt neceſſe, cum
„ ipſe in ſe nulla ſit imminutus, ſed poteſtate tantum, non etiã
„ actu artem habeat incolumen, ita omnis facultas pro inſtru-
„ menti agit conſtitutione, ſiquidem cerebro verbi gratia per
„ intẽperiem deprauato uis animæ rationalis nequit ſuo per-
„ fungi officio, cum tamen ipſa interitus expers poteſtate per-
„ maneat immutabilis, contrà autem reſtituto organi tempe-
„ ramento idoneo uim &c. poteſtatem ſuam exerit & confert
„ ad actionem. Itaque bona quidem membrorum temperies
„ facultates ſeruat incolumes facultates, verò producunt actio
„ nes, ſiue hæ viciſſim ipſum opus proferunt. Hæc Alexander,
quibus nihil clarius dici poteſt ad ſignificandum animam ra-
tionis compotem eſſe immortalem: Atque in his quidem Ale-
xander ſequitur Platonem, & Ariſtotelem, quorum ille in lib.
10. de Republ. declarat animam nullis lædi corporis ægritudi
nibus, atque hinc concludit, quoniam nec quoque proprio,
domeſticouè malo læditur, eam eſſe interitus expertem; hic ve
rò in lib. 1. de anima 65. hæc ſcripta reliquit: Mens autem vi-
„ detur ineſſe ſubſtantia quædam exiſtens, & non interire; ma
„ ximè enim interiret ex imbecillitate ſenili, nunc autem
„ quemadmodum in ſenſibus contingit: ſi enim ſenex ſume-
„ ret oculum iuuenis, videret, ut iuuenis; Quocirca ſenectus
„ non euenit, propterea quòd anima ſit aliquid perpeſſa, ſed
„ id, in quo fit operatio, quemadmodũ in ebrietatibus & mor-
„ bis: Itaque & intelligere ipſum & ſpeculari labefactatur alia
„ re interius labefactata, ipſa verò potentia eſt impatibilis. Co
„ gitare autem & amare aut odiſſe non ſunt illius (videlicet
„ animi) affectiones, ſed illius, quod habet illud, vt ha-
„ bet illud; quamobrem &c. hoc pereunte neque recor-
„ datur, neque diligit, neque enim illius erant, ſed commu-
„ nis, quod perijt. Mens autem fortè diuinum quoddam, &
impatibilis eſt. Ex his clareſcit eandem Platonis, & Ariſtote-
lis, & Alexandri eſſe de immortalitate ſententiam, qui etiam
nubem quaſi terram ab oculis depellunt ſoluendo dubitatio-
nem

Digitized by Google

nem de inſtrumentis deprauatis, cum quibus pariter anima deprauari, labefactarique videbatur. Hæc Steucho perſuaſerunt Alexandrum non repudiaſſe, ſed retinuiſſe animæ noſtræ immortalitatem; qui ſanè ſi quæ congeſſit, optimè digeſſiſſet, vt benè de Alexandro ſentiret, non tam malè de Philopono, Simplicio, Auerroe, & alijs probatiſſimis viris ſenſiſſet, qui tribuunt Alexandro, quòd noſtram animam fecerit, morti obnoxiam. Nec ſecus de Alexandro quiſpiam exiſtimauerit, qui quę de anima ſcripſit in lib. 1. de anima non oſcitanter legerit. Hic in huius libri ca. 3. oſtendit animam eſſe aliquid corporis, & à corpore inſeparabile, quòd nulla ipſius functio poteſt abſque corpore adminiſtrari; enumerans verò atque contemplās ſingulas animæ functiones recenſet & conſiderat eas functiones, quæ ſunt animæ noſtræ, nam inquit nos ſine imaginatione nihil quiquam intelligere, neque de quopiam deliberare, & imaginationem quippiam eſſe, quod cum corpore fit: ergo hic ſtatuit animam intellectualem eſſe aliquid corporis, & à corpore inſeparabilem. Nec rurſus cuiquā dubium eſſe poteſt, quin Alexander voluerit animam rationis compotem eſſe veram, ac propriā hominis formam: at verò cum hic initio ca. 4. monſtret animam, quia eſt forma, eſſe à corpore inſeparabilem, quòd hæc eſt in omni forma conditio, ut ſit alterius, & abſque eo, cuius eſt, eſſe non poſſit, quis non ſentiat hinc confici animam rationis participem eſſe à corpore inſeparabilem? Sed non eſt, vt pluribus hic vir refellatur, quòd nemo ſit ei crediturus, qui vel leuiter inſpexerit, quæ ab Aluxandro de natura animæ tradita ſunt. Nec quæ afferuntur, huiuſmodi ſunt, vt Alexandrū vendicent ab animæ patricidio. Et primùm quod Steuchus tribuit veteribus Alexandri opinionem explicantibus, id ipſi veriſſimè poteſt tribui; nec fortaſſe is malè fecerit, qui ipſum in ijs numerauerit, quorum ſtudium eſt, quæ à viris præclaris prodita ſunt, ita extorquere, vt ab ijs, quæ ipſi ſentiunt, non videantur diſſentire. Et ſanè non erat, vt hic ad aſſerēdam animi noſtri immortalitatem Alexandrum ſibi adiungere contēderet, quòd hæc præter ſacrarum literarum teſtimonia tam firmis, altiſque radicibus eſt defixa, vt minimè verendum ſit, ne deſerta ab Alexandri auxilio concidat, ruinaque op-

pri-

primatur; & præſertim cùm hic & in hac, & in alijs pleriſque quæſtionibus à Themiſtio, Philopono, Simplicio, Auerroe, D. Thoma, & alijs præſtantiſſimis Peripateticis indignus fuerit exiſtimatus, cui tribueretur aſſenſus. Equidem Alexander de philoſophia & quàm benemeritus, & doctrina Ariſtotelica tam verſatus, quàm qui maximè, ſed, vt prouerbio dicitur, non ſemper bonus vigilat Homerus. Prima ratio refellitur, quòd ſanè diffinitio animæ ad ſolas animas eſt accommodanda, quæ ſunt formæ animalium in generatione & interitu verſantium, nam Ariſtoteles in libris de Anima exquirit formam & animam eorum animalium, quorum partes in lib. de part. animal. fuit contemplatus, & quorum affectiones in libris, quos vocant paruos naturales, erat perſequuturus: hæc verò animalia eſſe ea, quæ oriuntur & occidunt, exploratiſſimum eſt. Et verò cùm homo exterior ortui & interitui ſit expoſitus, conſtetque ex corpore & anima intelligente, profectò Ariſtotelica animæ definitio in hanc animam verè quadrabit. Cùm autem homo interior nihil aliud ſit, quàm ipſamet hominis exterioris anima per ſe ſolitaria conſiderata, atque ſuis in functionibus non recipiens corpus in ſocietatem, planè ſi Alexander morte affecit animam, qua homo exterior eſt illud ipſum, quod eſt, morte quoque affecerit animam & mentem, quæ eſt homo interior, eſt neceſſe, quòd nequeat fieri, vt idem ſimul ſit caducum & immortale. Ad ſecundam rationem duo ſunt dicenda: vnum eſt Deorum animas, à quibus hęc definitio remouetur, eſſe non mentes diuinas à materia ſegregatas, quę nec animę ſunt, nec animam habent, ſed cœleſtium corporum animas, quę corpora, quòd in curſu perpetuo conſpicerentur, Deorum nomine fuerunt à veteribus nuncupata Platone Authore in Cratyllo: Horum verò animas Alexander putauit non accipere hanc diffinitionem, quoniam cœleſtia corpora nullis inſtrumentis ſunt diſtincta; quanquam eas ita induxit, vt à ſuis corporibus eſſent omnino inſeparabiles, cuius rei teſtis eſt locupletiſſimus Simplicius in lib. 8. phy. com. 31. & in lib. 2. de cœlo com. 3. Alterum eſt Ariſtotelem, tametſi ſcripſerit mentem extrinſecus accedere, (quod quid ei ſignificat, idoneo loco exponetur) & eandem appellauerit

uerit diuinam, non propterea putaſſe eam eſſe in numero men tium diuinarum,& a materia ſecretarum,quoniam iſtud diuinitatis attributum quandoque adeo patet, vt etiam ad res caducas accommodetur, quod ex ijs, quę paucis interiectis ſubiunguntur in loco recitato lib.2.de gen.animal. clarè perſpici-
„ tur, quęque ſunt. Sed omnis animę ſiue virtus, ſiue poten-
„ tia corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quàm ea, quę elementa appellantur. Hic elementa in corporibus diuinis numerantur, in quibus quoque ponuntur lib. 1. de cœlo 13.vbi concluditur pręter eas corporum naturas, quę hic ſunt, ponendam eſſe naturam quandam corporis his omnibus diuiniorem, atque priorem. Noſtra verò mens non iniuria obtinuit hanc appellationem,quoniam ex ijs,quę ornant hanc aſpectabilem rerum vniuerſitatem,nihil eſt Deo tam cognatum, quàm noſtra mens: qua re quicunque hominum in fungendis vitę muneribus gerunt ſe conſentaneè menti, hancque colunt,hi vitam viuunt diuinam atque beatam,quod cùm intelligeret Ariſtoteles in lib 10. Ethic. ad Nicom. cap. 7. nos hortatur, vt neglectis ijs, qui aiunt humana ſapere oportere eum,qui homo ſit natus, neque immortalia ſectanda eſſe mortali,omni ope nitamur, vt quantum licet mortalitatis conditionibus nos eximamus, atque ſecundum mentem, quę diuinum quiddam eſt,vitam traducamus. Ex his poteſt ſciri, cur ſcripſerit Ariſtoteles in lib.1.polit.cap.2. hominem, cuius vita non traducitur in hominum communione, vel belluam eſſe, vel Deum: Enimuero homo in ſolitudine poſitus longè abeſt, alienuſque eſt ab hominis natura, qui pręcipuè factus eſt ad ſocietatem,cuiuſque vt homo eſt, propria eſt ſocietas: quod autem alienum eſt ab hominis natura, id eſt aut ſupra hanc, nimirum mens ſeparata & Deus, aut infra hanc, animal videlicet rationis expers:qua de re homo ſolitarius aut Deus,aut bellua eſt, Deus, ſi in ſolitudinem ſe abdiderit, vt commodiùs poſſit viuere ſecundum mentem, operamque dare rerum humanarum diuinarumque contemplationi; bellua,ſi naturę prauitate hominum cętus & conſilia declinet, quod de Timone quodam Athenienſe literis traditum eſt. At dubitabit quiſpiam, ſi homo vitam viuens ſecundum mentem ſupra hominis

nis naturam attollitur, & in naturam Dei tranſit, ſequitur mentem non eſſe propriam hominis formam & naturam. Hęc dubitatio hunc in modum ſoluitur: Mentis nomine duo intelliguntur, anima ſcilicet intelligens, quę ex prętantiſſima ſui facultate, quę eſt mens, hoc nomine ſępè nuncupatur, & intelligendi facultas huic animę conceſſa: Si anima intelligatur, hæc eſt forma & natura hominis: ſin facultas, hæc poteſt poni in natura hominis, & non poni, quod quo fit modo, hęc attendantur. Homo inter ſubſtantias diuinas, naturaſque caducas eſt medius interiectus, ex quo mundi hymenæus eſt dictus, hoc eſt vinculum, quo ſuperiora inferioribus copulantur: cùm verò medium ſit neutrum extremorum, & horum particeps, homo ſic natura eſt comparatus, vt præter id, quod ſic ipſius proprium eſt, vt alij rei non fuerit impertitum, aliqua in ſe coerceat, quibus poteſt fieri ſimilis cùm eorum, à quibus ſuperatur, tum eorum, quæ ipſe ſuperat: atque iſtud manifeſtum erit, ſi animi acies fuerit defixa in vitam illius variam atque multiplicem, cuius hæc eſt ratio: Vita nihil aliud eſt, quàm rei viuentis actio, munerisque functio; & finis eſt id, quo actiones inter ſe vel maximè diſtinguuntur; hic verò cum cieat appetitum, neceſſariò aliqua boni ſpecie continetur, & eſt aut verè, aut exiſtimatione bonum: Tria autem ſunt bonorum genera nimirum vtilia, iucunda, & honeſta: quapropter quoniam homo in ſuis functionibus & actionibus ſingula hæc poteſt ſibi proponere, efficitur, vt varium ac multiplex ſit hominum viuendi genus. Quicunque ex hominum numero id, quod eſt vtile, tanquam finem & extremum ſibi conſtituunt, hocque tam auidè complectuntur, vt nullum ſordidum aut turpem indicent quęſtum, vnde aliqua vtilitas ad ipſos perueniat; & præterea quicunque omnes ſuas curas, cogitationeſvè collocant in ijs conquirendis, quæ ſunt iucunda, & aliqua afficiunt voluptate, hi omnes ijs qui dediti ſunt viuendi generibus, quæ infra hominis naturam poſita ſunt, quæque ſunt ſtirpium ac belluarum propria: Etenim ſtirpes anima vegetali conſtituuntur, cui ceu finis & proprium bonum genus illud boni, quod vtile appellatur, propoſitum eſt; belluæ verò id ipſum, quod ſunt, animæ ſenſuali acceptum ferunt, cuius finis & vltimum intelligitur

Digitized by Google

voluptas: Senſus enim in mutis animantibus,& in hominibus, niſi in his ratio præſit ac dominetur, ſemper vt ad ſuum ſummum, ſummèque expetitum bonum defertur ad voluptatem: Quicunque verò illius, quod eſt honeſtum, deſiderio trahuntur, nihilque vnquam ſibi proponunt, quod ſit ab honeſtate diſiunctum, hi duorum ſunt generum, nam cùm honeſtum ſit finis & bonum mentis, atque hæc in homine duplex ſit, ſpectatiua ſcilicet, qua vtimur ad contemplandum,& actiua, quæ ad conſultandum & deliberandum ſeruit, hominum alij illud honeſtum amplexantur, quod menti actiuę propoſitum eſt, atque in rebus agendis cernitur, & alij illud, quod eſt mentis ſpectatiuæ, & in rebus contemplandis perſpiciendiſque conſiſtit, quodque propriè appellatur verum; priores eam vitam agunt, quæ hominis ſic propria eſt, vt illi ſoli conueniat, nam mens actiua, quæ huius vitæ principium eſt, ſoli homini fuit impertita,& præter hominem nihil cernitur in rerum vniuerſitate, cui hæc fuerit tributa, poſteriores vita multò beatiore fruuntur, nam mens ſpectatiua eſt in homine id, quo hic affinis eſt Deo, mentibuſque à materia ſeparatis; qua e re quicunque ſecundum hanc mentem viuit, hic eam vitam viuit, quæ Dei, mentiumque ſeparatarum vitæ multùm eſt cognata: Non enim Deus, menteſque beatæ, vt ſcribit Ariſtoteles in libr. 10. Ethic. ad Nicom. cap. 8. in rebus agendis, virtutumque muneribus occupantur, ſed his vna contemplatio tribuitur, quæ eſt vita fœliciſſima ac beatiſſima. Quicunque igitur hominum dediti ſunt rerum contemplationi, & ſecundum mentem ſpectatiuam viuunt, ſupra hominis naturam attolli exiſtimantur, non quia hæc mens non ſit in natura hominis infixa, ſed quoniam hac mente homo eſt ſimilis Deo, mentibuſque ſeparatis, & qui ſecundum hanc viuit, procul viuit ab hominum ſocietate, quæ hominis propria eſt in eo, quòd homo eſt, eamque vitam ducit, quæ Dei mentiumque ſeparatarum vitæ magnam habet ſimilitudinem. Et ſanè ſi quicunque hominum vitam degunt ſecundum ſenſum, viuunt ſecundum aliquid, quod eſt in natura ipſorum, tametſi eam vitam colant, quæ eſt infra propriam hominis naturam, non eſt planè vt mens ſpectatiua hominis naturæ adimatur, tametſi vita ſecundum hãc

ſit

ſit ſupra hominis, qua ex parte eſt homo, conditionem: quinimmo tantum abeſt, vt hæc mens de ſententia Ariſtotelis è natura hominis ſit tollenda, vt hic in lib. proximè recitato c. 7. voluerit hanc maximè hominem eſſe, quippe quæ in homine principatum tenet, & vnumquodque id maximè eſt, cui in ipſo traditus eſt principatus; atque hinc concluſerit homini eam vitam, quæ ſecundum hanc mentem degitur, optimam eſſe & iucundiſſimam, quòd illud, quod cuique natura proprium eſt, optimum quoque eidem ac iucundiſſimum ſit. Summa igitur ſolutionis propoſitæ dubitationis hæc eſt. Cùm dicitur mentem eſſe hominis formam, hoc mentis nomine anima intelligens fuit ſignificata; in ijs autem, quæ proximè dicta ſunt, mentis vocabulum ad ſignificandam facultatem fuit vſurpatum: hæc verò facultas cùm duplex ſit, actiua & ſpectatiua, illa omnino eſt in natura hominis; quod autem pertinet, ad ſpectatiuam, diſtinguendum eſt, nam cùm homo bifariam poſſit ſpectari, vno modo ſecũdum id, quod illius ſic proprium eſt, vt alteri rei non ſit datum, altero ſecundum omnia, quæ in eius natura ſita ſunt, quibuſque affinis eſt ijs, quæ ſupra ipſum poſita ſunt, & ijs, quæ infra ipſum ſunt conſtituta, ſi hoc poſteriore modo ſpectetur, mens ſpectatiua ad illius naturam pertinet, ſin priore, ſola mens actiua conſtituit illius naturam, cuius beneficio idoneus eſt, atq; accommodatus ad vitam in hominum communione degendam, & mens ſpectatiua eſt ſupra ipſius naturam, ſiquidem ſecundũ hanc viuens viuit procul ab hominum ſocietate veluti hac non indigens, totuſq; eſt in rerum contemplatione, quæ Dei ac mentium ſeparatarum eſt vita optima ac beatiſſima. Sequitur tertia ratio Steuchi: Hæc falſum habet fundamentum, quoniam de ſententia Alexandri vnica eſt mens efficiens, quæ eſt Deus, primaq; cauſſa; neq; hęc duobus gradibus eſt diſtincta, quorum primum Deus teneat, alterum anima ſiue mens noſtra: atque hoc ſic clarum eſt, vt qui ſecus exiſtimet, credendum ſit eum nullam ſui ſtudij partem tribuiſſe ijs, quæ ab Alexandro de mente effectrice diſputantur. In poſtrema ratione hic vir multis modis mihi mouet admirationem: Et primùm miror, quòd hic ignoret, quid vnuſquiſque author ſentiat, id colligendum eſſe ex li-

bris, qui de re in quæſtionem cadente ſunt ab authore conſcripti, & propterea quæ fuerit Alexandri de natura animæ noſtræ ſententia, intelligendum eſſe ex libris de anima ab ipſo conſcriptis, & non ex problematis, in quibus obiter, & non conſultò de anima inſtitutus eſt ſermo, & in quibus probabile eſt Alexandrum ijs quandoque vſum, quæ plurimis erant probata. Nec rurſus poſſum non mirari, ecquid cauſſæ fuerit, cur hic neglectis ijs, quæ in Alexandri com. ad tex. 17. lib. 12. poſt nat. ex quibus nō obſcurè intelligitur animam rationis compotem à corpore ſeparatam manere, ea tanti fecerit, quæ in problematis prodita ſunt, cùm illa multò potiora ſint ad fidem opinionis Alexandri faciendam. Verùm fortaſſe hic vir hos commentarios, aut nunquam inſpexit, aut ſi inſpexit, ex Alexādri officina haudquaquam emanaſſe putauit, quod quoque placuit viris non ineruditis, e quorum numero eſt Franciſcus Patritius, qui in lib. 3. Tomi primi diſcuſſionum Peripateticarum quibuſdam argumētis, nec ſanè infirmis, adductus ſcribit hos commentarios fuiſſe compoſitos ab Alexandro Aegeo Neronis Imperatoris præceptore, & auditore Soſigenis, qui Iulio Cæſare imparante in ſolari anno corrigendo ſuā operam locauit; quòd ſi ita putauit, cur non animaduertit libros problematum Alexandro quidem inſcriptos fuiſſe, ſed veriſimile eſſe hunc Alexandrum non eſſe Alexandrū Aphrodiſienſem grauiſſimum Peripateticum, ſed alium quempiam & potius medicum, veluti Alexandrum Trallianum de arte medica optimè meritum, quam philoſophum, quòd quæ in his tractantur, ex medicinæ penetralibus videantur eruta; & non ſecundum Ariſtotelis doctrinam lucubrata. Quinetiam illud mihi mirandum accidit, quòd hic vir non perſpexerit, Alexandrum in his nomine tantùm ac verbis animam rationis compotem facere immortalem, & re ipſa hanc mittere ad mortem: Enimuero cùm in his tribuat animæ noſtræ, quòd cerebro, aut cerebri temperatura vtatur tanquam inſtrumento ad ſuum munus obeundum, neceſſe eſt, vt ſtatuat eius naturam eſſe caducam, quoniam anima, quæ ſine corpore non poteſt in ſuo munere verſari, ex communi omnium eruditorum ſententia penitus eſt à corpore inſeparabilis. Amplius id me

ducit

ducit in admirationem, quod hic vir exiſtimat eandem eſſe Alexandri hoc in loco, & Platonis in lib. 10. de Rep. ſententiam, quod falſum eſt perſpicuè, nam Alexander hic ſentit animæ functiones improbè agi, non quia anima lędatur, ſed quoniam vitiatur temperatura, quæ ad has obeundas eſt inſtrumentum; atque illud aliquo pacto conſentit cum Ariſtotele in lib. 1. de anima 65. cuius loci ſententia idoneo loco conſiderabitur: ac Plato in loco recitato ſtatuit ex corporis detrimento, & ægritudinibus noſtram animam non incurrere in aliquod damnum ſic, vt afficiatur proprio malo quod eſt iniuſtitia, morum vitium, & ignorantia; hincque concludit eam eſſe immortalem, cuius argumentationem vim hic vir arbitretur magnam habere efficacitatem, in me & Alexandri ſectatoribus non leuem denique efficit admirationem: Platonis argumentatio eſt huiuſmodi: Quicquid nec ſuo, nec alieno malo interit, id naturam habet immortalem; anima nec ſuo, nec alieno malo interit: eius igitur natura eſt immortalis: Quod priore loco aſſumitur, id euidens eſt; quod poſteriore, ſic confirmatur: Proprium animæ malum continetur iniuſtitia, morum vitio, & ignorantia, hoc autem tametſi prauam efficiat animam, hanc tamen non diſſoluit, nec interimit; non enim ea eſt iniuſtitiæ, aut ignorantiæ vis, vt animam, cui accidit, morte afficiat: Quòd ſi anima proprio malo non interit, nec etiam fieri poteſt, vt alieno malo, corporiſque ægritudinibus intereat, quod abſurdum eſt quippiam, cui malum proprium non affert interitum, malò alieno interimi. Accedit, quæcunque alieno malo intereunt, ea de cauſſa interire, quia hoc illis infert malum proprium; & corporis malum ac detrimentum huiuſmodi non eſſe, vt ipſi animæ inferat malum ipſius animæ proprium: etenim neque febre, neque alia ægritudine, aut cæde, neque ſi quis toto corpore caſus ſit fruſtillatim, anima incurrit in iniuſtitiam, vitium morum, & ignorantiam, quæ ſunt propria ipſius mala & detrimenta. Hanc argumentationem Alexandri ſectatores habent pro nihilo, illique occurrunt aſſeuerantes animam noſtram interire non per ſe, quandoquidem interitus proprie, ac per ſe eſt rei animatæ, cuius quoque eſt generatio, ſed per accidens, nec ſecus, ac ſtirpium & muta-

rum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rum animantium animas,quæ pereunt non proprio malo,ſed vitio,maloque corporis,in quo ſic hærent,vt eo diſſoluto ipſæ non poſſint incolumes manere. Adiungunt in hac argumentatione non verè aſſumi animam noſtram corporis vitio nunquam contrahere vitium malumque proprium, quandoquidem certum eſt multos ob corporis ægritudinem prauis moribus fuiſſe deformatos,& alios eorum,quæ antea didicerant, oblitos fuiſſe, quod accidit Meſſalæ Coruino oratori, quem amiſiſſe proprij nominis memoriam literis traditum eſt, & cuidam Athenienſi viro eruditiſſimo, quem ob ictum lapidis capite exceptum literarum omnium iacturam feciſſe teſtantur Plinius in lib.7.cap.25.& Valerius Maximus in lib.1.cap. 8. His accedant illi, quos Thucidides in lib.2. memorat in peſtilentia ſeruatos adeo eorum omnium, quæ antea nouerant, oblitos fuiſſe, vt neque ſuos familiares, neque ſe ipſos cognoſcerent. Sed iam finem faciamus huic diſputationi, ex qua (ni fallor) conſtat Steuchum non rectè Alexandrum vindicaſſe ab animæ noſtræ parricidio,nec iure illos caſtigaſſe, qui opinionem a nobis explicatam tribuunt Alexandro.

Explicatio argumentorum, quibus Alexander ſuam opinionem confirmauit.

Cap. IV.

FVndamenta firmiora, quæ ad erigendam ſuam opinionem ſubſtruxit Alexander, duo ſunt, vnum in natura, & ſubſtantia animæ noſtræ poſitum eſt,alterum in muneris functione: Etenim cùm omnis forma,cuiuſcunque generis modique ſit, duobus contineatur, & abſoluatur, nempe natura ſua, & muneris functione, quæ eſt naturæ perfectio, reliqua verò omnia ſint accidentia, quorum cognitio pendet ex illorum explicatione, duæ ſunt viæ cæteris multò firmiores inueſtigandi mentis humanæ immortalitatem, quarum altera mentis naturam & quiditatem habet propoſitam,

tam, altera eiuſdem mentis functionem muneris. Priori autem viæ Alexander ſeſe committens, cùm definitio naturam eſſentiamque rei aperiat, animæ definitionem ab Ariſtotele initio lib.2. de anima inquiſitam & explicatam fuit contemplatus, hancque cognouit, ſic traditam eſſe, vt ſit communis, & in omnes animæ partes conueniat; nam Ariſtoteles ad initium huius conſiderationis pollicetur ſe inueſtigaturum eſſe communiſſimam animæ definitionem, & paulò poſt text.8. ſe abundè exoluiſſe promiſſa teſtificatur inquiens vniuersè expoſitum fuiſſe, quid ſit anima, nam ſubſtantia eſt, quæ ſecundum rationem dicitur, hæc verò eſt quodquid erat eſſe corporis naturalis inſtrumentarij; hincque hoc cognito ad ſuum dogma confirmandum ſic eſt progreſſus: Nulla forma, quæ finis ſit, & actus primus eius rei, cuius eſt forma, poteſt ab ipſa re, quam format, disiungi: Omnes animæ partes ſic formant & animant, ut ſint fines, actusque primi corporis: ergo nulla animæ pars poteſt à corpore diuelli; & quod ſequens eſt, anima noſtra non poteſt à corpore disiungi, mortalisque proinde exiſtit ſimul cum corpore naſcens, & cadens. Minorem huius argumenti propoſitionem confirmat animæ definitio, quæ in omnes animæ partes peræque quadrat: Maior intelligitur ex eo, quòd forma & actus non poteſt ſeparari ab eo, cuius eſt forma & actus. Et formam quidem, quæ verè ac propriè eſt forma, hoc eſt ſubſtantia & quiditas rei, cuius eſt forma, non poſſe ab illo corpore, cuius eſt forma, diſiungi teſtis eſt Ariſtoteles tum in lib.2. Phyſ.12. & initio lib.6 poſtnat. cũ ſentit formas naturales non eſſe, niſi ratione ſeparabiles; tum etiam in lib.4. Phyſ.17. cum oſtendit locum non eſſe formam, quoniam locus eſt ſeparabilis à corpore, cuius eſt locus, & forma nequit ab eo, cuius eſt forma, ſeparari: Hinc Auerroes in huius loci commentarijs ſcripſit formam non ſeparari à materia in ijs eſſe, quæ à philoſopho naturali ponuntur: & Alexander in lib.1. de anima initio cap.4. dixit hanc eſſe in omni forma conditionem, vt ab eo, cuius eſt forma, nunquam diſiungatur. Atque iſtud quoque Platonicis fuit perſuaſum, qui, vt intelligitur ex Plotino in lib.3. enn.4. cap.20. nulla alia ratione adducti ſtatuerunt animam noſtram vti corpore, & non eſſe

in

in hoc, veluti formam in materia, niſi quoniam animi noſtri eſt a corpore ſeparabilis, & forma eſt a materia inſeparabilis. Hoc autem cum natura formæ conſentire declarant Alexandri ſectatores, quoniam forma, & materia ſunt quædam naturæ dimidiatæ vnam integram ſubſtantiam conſtituentes, quarum hæc eſt veluti inchoatio, & rudimentum illius, quod ex vtriſque exiſtit, illa verò complementum & perfectio, quæ in materia emergit non extrinſecus aduemens, ſed ex ipſius poteſtate educta, cum ſit finis mutationis, qua efformatur & conuertitur materia in id, in quod conuerti & mutari eſt aptè accommodata. Hinc in lib. 2. de anima 2. non oportet quærere, ſi vnū eſt anima & corpus, ſicut neq; ſi cera & figura, neq; omnino materia cuiuſque & id, cuius eſt materia, nam cum vnū & id, quod eſt, multifariā dicatur, aliudque ſit poteſtas, & aliud actus, hic eſt id, quo quod propriè eſt vnum, ac propriè eſt, dicitur eſſe huiuſmodi; non enim quippiam dicitur eſſe illud ipſum, quod eſt, antequam acceperit propriam formam, propriumque actum lib 2. Phyſic. 11. quocirca cum forma ſit actus, atque vna, quod ex ipſa & materia exiſtit, vnum eſt, & cur ſit vnum, nulla cauſſa eſt quærenda lib. 8. poſtnat. 15. præter cauſſam generationis effectricem, quæ ſua effectione & opera dum præſtat, vt materia & id, quod eſt poteſtate, in actū migret, actuque efficiatur, facit quoque, vt forma ſit in materia, & ut forma ac materia ſint vnum. Et ſi materia non poteſt ſine forma conſiſtere, quia non eſt hoc aliquid, & ſubſtantia integra, cuius eſt exiſtere, quis non ſentiat formam eadem ratione non poſſe ſine materia exiſtere? & quis cum Alexandro in lib. 2. quæſt. nat. cap. 11. non concludat ambas eſſe a ſe inuicem inſeparabiles in eo, quod pertinet ad exiſtentiam, adeoque arctè ſe mutuò completi, & reſpicere, vt altera ab altera nequeat diſiungi? Quinimo forma videtur magis ex materia pendere, quàm hæc ex ipſa, quòd materia ſubijciatur formæ, ſubiectumque minus pendeat ex eo, cui ſubijcitur, quàm ex ſubiecto id, quod eſt in ſubiecto. Sed & actum ab eo, cuius eſt actus, diſiungi non poſſe Ariſtoteles quoque teſtis eſt locupletiſſimus, dum in lib. 2. de anima 11. ſcribit obſcurum non eſſe quaſdam animæ partes non poſſe a corpore ſeparari,

quia

quia ſunt corporis actus;& paucis interiectis in tex.26. laudat veteres philoſophos,quòd ſenſerint animam non eſſe quidem corpus,cęterùm non poſſe ſine corpore manere, quia eſt actus cuiuſdam corporis. Hoc cùm Auerroes non ignoraret, in lib.2. de anima com.22. in ſcriptis fuit ab ipſo relictum mente excepta reliquas animæ partes non eſſe à corpore ſeparabiles, quoniam ſunt actus corporis naturalis inſtrumentarij; actum enim eſſe finem & complementum perfecti, ac finem ab eo, cuius eſt finis, non eſſe ſeparabilem. Idem præterea cùm Plotinus & Gregorius Nazianzenus cognitum haberēt; ille in lib.2. enn.4. hic in diſput. contra Eunomium inſectati ſunt Ariſtotelem, quòd animam definiendo ἐντελέχειαν & actum huic eripuerit immortalitatem, hancque poſuerit à corpore inſeparabilem. Quinetiam Aeneas Gazæus, Gregorius Nyſſenus,& Iuſtinus Martyr viri præſtantiſſimi nulla alia ratione fuerunt adducti, vt arbitrarentur Ariſtotelem ſenſiſſe animam noſtram eſſe caducam, & à corpore non poſſe ſeparari, niſi quia fuerit ab ipſo definita ἐντελέχεια & actus: etenim primus in dialogo de animarum immortalitate, cui titulus eſt Theophraſtus,ſcriptis mandauit Ariſtotelem exiſtimaſſe animam materiæ quaſi extremam manum imponere; ac forma cùm ſit,ſimul cum corpore diſſolui,quippe qui animam nouo excogitato nomine ἐντελέχειαν appellauerit: Alter in lib. 2. philoſophiæ dum inquirit, quid ſit anima vituperat Ariſtotelem, quòd animam finiuerit ἐντελέχειαν, ac propterea voluerit hanc non poſſe ſine corpore conſiſtere: At verò tertius philoſophus & martyr in admonitorio ad gentes inquit Platonem non tam dicere, quàm clamitare animam omnem eſſe immortalem, Ariſtotelem verò huic tribuere mortalitatem, dum ipſam nominat ἐντελέχειαν. Atque hactenus de explicatione prioris Alexandri argumentationis, ſequitur altera ex animæ noſtræ operibus eruta, quæ eſt huiuſmodi. Si anima noſtra habet opus, quod eius ſit proprium, & in quo obeundo nulla corporis pars ſit neceſſaria, contingit ipſam a corpore ſeparari; ſi autem non,fieri nequit, vt a corpore ipſa diſiungatur: Sed anima noſtra nullum habet opus, quod eius ſit proprium, quodque ſine corpore exerceatur. Ergo concluden-

D dum

dum eſt animam noſtram non poſſe abſque corpore conſtare. Aſſumptum id perſuadet, quòd ſi voluerimus ſingula animæ opera percurrere, ſola intelligentia nobis occurret, quæ veluti proprium opus ipſi tribuatur: verùm cùm hæc abſque corporeo phantaſmate nequeat expleri, nam ſine phantaſmate fieri non poteſt, vt homo quidpiam intelligat lib. 3. de anima 30.& 39. omnino concluditur intelligentiam non eſſe ita proprium animæ opus, vt abſque corporis miniſterio abſoluatur. Connexum eſt Ariſtotelis in procemio lib. 1. de anima 13. huiuſque duæ ſunt explanationes, vna vulgatior atque communior, altera minus communis, minuſque vulgata: Prior ſtatuit illud eſſe opus animæ proprium, quod abſque vllo corporis adiumento perficitur; quapropter ſequitur, ſi anima habuerit opus proprium, eam eſſe ſeparabilē, quoniam à corpore diſiuncta in hoc verſari poterit; ſin verò non, eam eſſe inſeparabilem, quippe quæ ſi a corpore diſiungatur, otioſa ſit futura, quòd legibus naturæ eſt aduerſum, quibus ſancitum eſt, ne in naturæ theatro ſit quippiam, cuius nullus ſit vſus, nullumque officium. Hanc explicationem Alexander fuit amplexatus in lib. 1. de anima cap. 3. vbi ex animæ functionibus, quarum nulla fit abſque corporis motu, concludit animam eſſe a corpore inſeparabilem: Incaſſum enim inquit, illam eſſe ſeparabilem contingeret, ſi peculiaribus ac proprijs actionibus fungi non poſſet. At verò poſterior explanatio, quæ licèt minus trita ſit, non minorem tamen habet probabilitatem, id appellat opus animæ proprium, quod tribuitur ſoli animæ, & non rei animatæ: Qua in re ſciendum eſt, quòd licèt in corporibus naturalibus forma ſit principium operationis, operatio tamen non formæ, ſed corpori tribuitur; atque huius ea eſt ratio, quoniam operatio eſt illius, quod per ſe ſubſiſtit, & eſt ens integrum atque perfectum, veluti eſt ſubſtantia compoſita naturalis, minimè verò illius, quod eſt propter aliud neque eſt integrum ens, ſed dimidiatum, veluti eſt forma: Hoc cùm ita ſit, patet connexum, nam cùm illud, cuius eſt aliquod opus ſit gratia operis lib. 2. de cœlo 20. profectò ſi anima habuerit opus proprium, ea erit propter ſe, & non propter aliud, eritque præterea ens integrum, per ſe conſtans, atque

que hoc aliquid; & quod idem, aut ſequens eſt, ſeparabilis: ſin verò non, & opus cuius eſt principium, corpori animato fuerit tributum, propter corpus erit comparata, eritque propterea non hoc aliquid, & per ſe ſubſiſtens, ſed id, quo corpus animatum eſt hoc aliquid, & per ſe ſubſiſtit: quod autem eſt huiusmodi, id cùm ſit pars alterius, & natura dimidiata, non eſt ſeparabile, neque poteſt per ſe ipſum conſtare: Quocirca cùm anima non habeat opus proprium, quòd omnia ipſius opera ſubſtantiæ compoſitæ animatæ tribuantur, conficitur hanc de ſententia Ariſtotelis non eſſe ſeparabilem, & a corpore diſiunctam non poſſe conſtare. Et hoc eſt alterum Alexandri argumentum.

Alexandreorum argumenta, quibus ad ſententiam Ariſtotelis perſuadetur animam noſtram mortuo corpori non ſupereſſe.

Cap. V.

Alexandrei etſi non dubitent de firmitate argumentorum, quæ proximè fuerunt explicata, ne tamen in hac difficili quæſtione nihil agentes videantur, multa argumenta excogitarunt, quibus ſi quis fidẽ ſuam adiungat, is impium Alexandri dogma Ariſtoteli probatum fuiſſe ſibi facilè perſuadebit: Hæc verò ſunt huiuſmodi: Principio muneris functio aperit naturam & eſſentiam rei, & ſi illa fuerit caduca, hæc nulla ratione erit perpetua, quia nequit fieri, vt quippiam maneat ſeculis ſempiternis, cuius motus & functio muneris non eſt perpetua lib. 2. de cœlo 20. atqui actus intelligendi, qui eſt propria muneris functio animæ mentiſque noſtræ, non eſt perennis, & in eius ceſſatione non exiguum ſuæ ætatis tempus ponit anima, menſque noſtra: non igitur hæc poteſt ſeculis immortalibus manere. Præterea anima menſque noſtra eſt forma, qua homo eſt illud ipſum, quod eſt lib. 2. de gen. animal cap. 3. atqui nullum

D 2 æter-

æternum complere naturam & eſſentiam corporis natiui & caduci ſententia eſt Ariſtotelis in lib. 1. poſt nat. 35. Deinde ſi anima humana intereunte homine à corpore diſiungeretur, & diſiuncta maneret, hominis interitus nihil aliud eſſet, quam diremptio earum partium, quæ ante interitum coniunctæ tenebantur; quod refutatum eſt ab Ariſtotele lib. 1. de gen. & int. 10. Accedit in ſcientia naturali aperiri naturam & eſſentiã noſtræ mentis; & ſcientiam naturalem vltra formas mortales & natiuas non progredi ſub exitum lib. 1. phyſ. neque vllã cognitionem polliceri formæ perpetuò manentis à materia ſeparatæ lib. 2. phyſ. 26. Amplius ſub exitum lib. 1. de cœlo reprehenditur Plato, quòd dixerit mundum habuiſſe principiũ, & nunquam eſſe finem habiturum, eo argumento, quia quicquid eſt factum, id aliquando intereat, eſt neceſſe: ergo animi noſtri, qui facti ſunt, cùm antea non eſſent, de ſententia Ariſtotelis corpore diſſoluto ęternis ſeculis non conſtabunt. Sunt, qui exiſtimant huius argumenti vim poſſe eleuari aſſeuerando decretum Ariſtotelicum, quod eſt factum, id æternum eſſe nõ poteſt, hoc modo intelligendum eſſe; quod motu & mutatione eſt factum, id non poteſt æterno tempore manere, nam cõtra Platonem inſtituta eſt diſputatio, qui mũdum ſtatuit æternum tẽpore futuro, quem motu factum ac generatum eſſe induxit atqui nõ hoc modo anima humana eſt facta, ſed ſimplici emanatione nulla ſubiecta materia abſq; motu & mutatione. Hos exagitant Alexandrei, quoniam Ariſtoteles ad Platonis opinionem reprehendendã eo primùm vtitur argumento, ꝙ ea ſola ſunt à philoſophis ponenda, quæ in omnibus aut in multis eſſe videmus; & vniuerſa, quæ fiunt, cernimus corruptionem ſubire: atqui hæc argumentatio concludit, quicquid quocunque modo eſt factum, id ſubire interitum, nec æterno tempore manere. Deinde Ariſtoteles ſuſcepit diſputationem non ſolum contra Platonem, ſed etiam contra quoſcunque mundum quoquo modo factum eſſe dicentes; atque huius argumẽto eſt, quòd in tex. 109. vniuerſè hac de re diſputandum eſſe proponitur, & ob id quibus modis generabile, & non generabile; corruptibile, & non corruptibile dicantur, exponitur; atque in tex. 125. dum quo ſignificatu hæ voces in diſputatio-

ne ſint accipiendæ, aperitur, & afferuntur explicationes, quæ latiſſimè patent, & non ſoli mundo, ſed & menti ac animæ noſtræ conueniunt, nam inquit Ariſtoteles ingenerabile ſignificare id, quod nunc eſt, nec ſuperioribus temporibus verè dici potuit non eſſe; ac corruptibile deſignare id, quod eſt hoc tempore, nec conſequente eſſe verè dici poteſt: & poſt paulò argumentans, magna ex parte affert eas argumentationes, quæ & ad mentem atque ad animam noſtram poſſunt accomodari; ſiquidem in text. 130. ita argumentatur: Quibuſcunque præfixum eſt tempus, quo poſſunt exiſtere ac manere, hoc eſt aut finitum, aut infinitum: ſed quæcunque ſic inducuntur, vt vel perpetuò ſint futura, cum ſuæ originis habuerint principium; vel aliquando non ſint futura, cum ſuę originis initium nunquam habuerint, his tempus neque finitum, neque infinitum poteſt conſtitui, finitum quidem, quoniam tempus, quod his fuerit præſtitutum, altero extremo caret neceſſariò, & illud tempus eſt finitum, quod principio & fine continetur; infinitum uerò, quoniam nullum tempus his præfigi poteſt, quo maius non poſſit reperiri: & infinitum tēpus huiuſmodi eſt, ut eo nullum tempus ſit maius: non igitur hæc ſunt inducenda. Itaque ſi quis ad Ariſtotelis ſententiam ſtatuat mentem noſtram perpetuò manere, eidem quoque ſtatuendum eſt eam nullum ſuæ originis principium habuiſſe, quia iuxta dogma Ariſtotelicum quicquid eſt expers interitus, id nullo vnquam tempore ſuperiore verè dici potuit non eſſe: & quicquid ortum eſt, cum antè non eſſet, id tempore conſequēte interitum ſit accepturum. Atque iſtud dogma veteribus omnibus ſic fuit perſuaſum, vt Xenophanes diceret æquè impios eſſe, qui Deos natos eſſe exiſtimarent, atque qui interituros; & Panætius Stoicus hoc tantum dogmate vſus ſententiā Platonis de animorum immortalitate confutauerit. Adiungunt Alexandrei modum illum procreationis abſque motu & mutatione, cum nulla materia ſubijciatur, ita alienum eſſe à doctrina Ariſtotelica, quàm quod maximè, nam in hac motus eſt tantæ authoritatis, vt Ariſtoteles cauſſam effectricem, & poteſtatem agendi definiens eum minimè prætermittendum eſſe duxerit; quo fit, vt nihil effici poſſit, niſi motus aditum

ape-

aperiat, ſitque in præſidijs: & materia in quacunque productione ſic eſt neceſſaria, vt in hac materiæ neceſſitate vel maximè poſitum ſit fundamentum earum argumentationum, quibus docemur ſub exitum lib. 1. Phyſ. materiam non eſſe generatam; & ad initium lib 8. eiuſdem operis motum non eſſe factum, cùm antea non eſſet. Nonnulli cum Scoto in l.b.4. ſent.diſt.43.q.2. his occurrunt dicentes, quòd licet apud nos Chriſtianos animæ noſtræ productio ſit creatio, & à motu atque à materia diſiuncta, quoniam nos ſtatuimus duas productiones, vnam animæ ex non eſſe ad eſſe, quæ eſt creatio; alteram corporis ex non eſſe animatum ad eſſe animatum, quæ non eſt ſine motu, attamen Ariſtoteles, qui inter has productiones nullum diſcrimen cognouit, & eadem productione voluit animam ex non eſſe duci ad eſſe, & corpus ex inanimo fieri animatum, non habet neceſſe probare creationem, & aliquid ſine motu ac materia fieri. Hæc eſſe inania Alexandrei affirmant, quoniam ſi Ariſtoteles cognouiſſet animam noſtram ex corpore non pendere, ſineque corpore poſſe conſtare, intellexiſſet quoque nihil prohibere, quominus hæc ſecreta à corpore, & extra corpus poſita producatur: Quapropter quia hæc productio penitus eſt creatio, ſineque motu ac materia, planè exiſtimaſſet creationem non eſſe improbabilē, neque abſurdum eſſe quippiam ſine motu, materiaque fieri. Præterea ſi animæ noſtræ a corpore ſeparatæ manerent, in quæſtionem vocant Alexandrei nunquid hæ ſecretæ à corpore ſint vnius ſpeciei, an diuerſarum ſpecierum. Si detur has diuerſis ſpeciebus contineri, dabitur quoque homines, quorũ hæ animæ olim fuerunt formæ actuſque primi in diuerſis ſpeciebus neceſſario reponi; quod quàm longè abhorreat a veritate, non nemo cognitum habet; Hoc dandum eſſe neceſſariò id perſuadet, quòd cùm forma & anima ſit quiditas rei, quam informat & animat, neceſſe eſt corpora omnia ſequi ſuarum formarum & animarum conditionem; illaque eſſe vnius ſpeciei, quorum formæ & animæ ab vna ſpecie complectuntur, & illa ſpecierum diuerſarum, quorum formis & animis diuerſæ ſpecies accommodantur. Sin verò detur eadem ſpecie contineri, duo vel maximè exhibebunt moleſtiam; vnum,

quia

quia hæ mentes & animæ erunt in ijs, quæ oriuntur & occidunt: alterum, quia hæ animæ non erunt à materia liberæ. Primum faceſſere negotium teſtatur Ariſtoteles in lib. 2. de anima 35. vbi ſcribit omnium officiorum & munerum in ijs, quæ viuunt, dummodo ſuis numeris fuerint abſoluta, neque aliqua ex parte imminuta, aut originem fortuitam non habuerint, nullum naturæ aptius aut accommodatius eſſe, quàm ſui ſimile facere, & æternitatemque, quàm proximè poſſint imitentur: omnia enim huius duci cupiditate, & ad hanc omnes ſuas actiones referre omnia, quæcunque natura duce quippiā faciunt: Verumenimuero quoniam caduca & natiua nequeūt ad numerum conſequi æternitatem propterea quòd nihil eorum, quæ interitura ſunt, idem vnumque numero permanere poteſt, qua ex parte eò peruenire licet, eatenus vnumquodq; eius particeps fieri alia magis, alia minus, & permanere non idem, ſed quaſi idem, non unum numero, ſed vnum ſpecie. Ex his liquet cauſſam, cur eiuſdem ſpeciei ſint multa indiuidua, in eo poſitam eſſe, quoniam hæc ſunt caduca, & nequeunt eadem numero ſemper manere: Hinc Auerroes in huius loci commentarijs ſcripſit diuina prouidentia factum eſſe, vt rebus caducis conceſſa ſit generatio, quoniam huius beneficio ſpecie nunquam deficiente eo, quo fieri poteſt, modo vnaquæque conſequitur & attingit æternitatem. Nec verò reſpondendum eſt, licèt hominum animæ ſint immortales, homines tamen, quorum ſunt animæ, aſſiduè naſci & interire, atque hanc ob cauſſam animas eſſe numero multas, quæ niſi eſſent, nec ipſi homines quoque eſſent multi; quoniam hoc modo reſpondere illius eſt, qui neſcit naturam minimè pati, vt æternum ſit gratia illius, quod interitum ſentit, nam cùm finis ſit præſtabilior ijs omnibus, quæ ſunt gratia ipſius; & æternum immateriatum longè multumque præſtet rei caducæ materiatæ, nequit fieri, vt natura illius ſit propter hanc comparata: Non igitur propter homines animæ humanæ in numero multas ſunt diſtributæ. At verò eaſdem animas fore materiatas ſi multæ numero fuerint, illud oſtendit, quòd materia eſt radix & origo multitudinis ſecundum numerum. Etenim omnes vnius ſpeciei formæ à materia ſeiunctæ ſunt vna forma,

quip-

quippe quæ quòd in multas diſtrahantur, materiæ ferunt acceptum in multas partes diuiſæ, quod Ariſtoteles varijs in locis fuit atteſtatus, & præſertim in lib. 12. poſtnat. 49. vbi concluſit primum motorem, quoniam eſt à materia ſegregatus, in numero multos non eſſe diſtributum; cuius rei eam rationem Auerroes attulit, quia quæ ſunt numero multa, multam habent materiam. His occurrunt nonnulli aſſeuerantes hominum animas eſſe numero multas propter varias ad corpora diuerſa habitudines. Hos audiendos non eſſe inquiunt Alexandrei, tum quia Ariſtotelis argumentatio non neceſſariò concluderet vnum eſſe primum motorem, nam in promptu eſſet dicere, quamuis primi motores ſint à materia ſoluti, hos tamen eſſe numero multos ob varias ad multos mundos habitudines; tum etiam quoniam quæcunque ad aliud referuntur, ſunt poſteriora ijs, in quibus reperiuntur, atque idcirco non poſſunt fieri cauſſa, cur hæc diſtinguantur, cùm quod eſt poſterius, id cauſſa & ratio nequeat eſſe, qua, quod eſt prius, diſtinguitur. Quòd ſi reſponderint ſe habitudinum vocabulo intelligere inſitas quaſdam proprietates, quarũ nomina ſunt nobis ignota, vrgent Alexandrei, quia hac reſponſione nequaquam poterit prohiberi, quin primi motores ſint numero multi; qua e re inane erit Ariſtotelis argumentum. Rurſus ab Alexandreis in controuerſiam vocatur, nunquid hominum animæ à corpore ſecretæ intelligant necne. Equidem nòn eſt, vt inducantur ab omni intelligentia vacuæ, quia cùm in natura nihil ſit non ad aliquem actum, vſumque comparatum, omnino fatendum eſt animas, ne ſint otioſæ, & nihil agentes, intelligere: Verumenimuero cùm intelligentia, & per eſſentiam, & per ſpecies poſſit exerceri, non eſt, vt anima à corpore ſegregata intelligat per eſſentiam, quoniam hæc ſe habens deterius, perfectiori modo in ſuo munere verſaretur; quod non eſt ferendum. Enimuero animæ melius eſt eſſe in corpore, quàm ab hoc eſſe diſiunctam, quippe quæ ſit corporis forma, corporiſque gratia condita; & modus intelligendi per eſſentiam longè multumque ſuperat modum, qui per ſpecies adminiſtratur: Accedit, quod ſi anima ſeparata à corpore per eſſentiam intel-

intelligeret, inter ipſam &. Deum nihil intereſſet, quo nihil fœdius. Huius conſequutionis ea eſt ratio, quoniam rerum naturas, quæ fugiunt ſenſuum comprehenſionem, ex proprijs operibus, munerumque functionibus dignoſcimus, eaſque eſſe vnius naturæ exiſtimamus, quarum ſimiles ſunt functiones: ergo cùm Dei intelligentia efficiatur per eſſentiam, quia in Deo intelligendi actus idem prorſus eſt, quod vis intelligens, & id, quod intelligitur, ſanè ſi eodem modo anima noſtra intelligat, eius natura non erit Dei naturæ diſſimilis. Quòd ſi ſpeciebus inſeruientibus anima intelligat, hæ ſpecies in ea fuerint impreſſæ oportet vel vitam corpori copulatam degente, vel à corpore diſiuncta; primum non conſentit cum Ariſtotele, de cuius ſententia ſpecies ſic pendent ex phantaſmatis, vt his deletis illæ quoque deleantur; qua e re quoniam nulla phantaſmata mentem comitantur à corpore ſeſe abducẽtem, nec etiam vllæ ſpecies in ea ſeruantur, quibus miniſtrantibus fungatur intelligendi munere. Nec alterum quoque conſonum eſt doctrinæ Ariſtotelicæ, quoniam ſi anima à corpore ſeparata nouas ſibi ſpecies compararet, has acciperet vel à rebus ſingularibus in ſenſum cadentibus, vel à Deo & à mente ſeparata; Verùm qui fieri poteſt, vt anima vacua omnibus ſenſibus, omnibuſque inſtrumentis ad ſentiendum factis & conſtitutis percipiat ea, quæ ſolis ſenſibus accipiuntur. Iſtud cùm Lucretius non ignoraret, in lib. 3. de rerum natura ſtatuit animam ſenſibus augendam eſſe, ſi a corpore ſecreta in rebus ſentiendis eſt verſatura carmina illius ſunt hæc:

„ *Præterea ſi immortalis natura animæ eſt,*
„ *Et ſentire poteſt ſecreta à corpore noſtro,*
„ *Quinque (vt opinor) eam faciendum eſt ſenſibus auctam:*
„ *Nec ratione alia noſmet proponere nobis*
„ *Poſſumus infernas animas Acherunte vagare.*
„ *Pictores itaque & ſcriptorum ſecla priora*
„ *Sic animas introduxerunt ſenſibus auctas.*

Sed nec etiam fieri poteſt, vt ex mente ſeparata ſpecies in animam fluant, quòd de ſententia Ariſtotelis mens ſoluta à materia nihil noui ex ſe proximè fundit. Nec verò exiſtimandum eſt cœlum menti ſeparatæ inſeruire hoc munus obeunti,

E quo-

quoniam quod à cœlo mutatur, id motu & lumine miniſtrantibus afficitur, & anima à corpore ſeparata nec ſentit motus cæleſtis vim, nec ſtellarum lumine illuſtratur. Amplius corpore diſſoluto anima aut ibi moratur, vbi homo exceſſit e vita, aut aliò commigrat: Sed ibi manere conſentaneum non eſt, & aliò commigrare non concedit Ariſtoteles, qui in lib. 1. de anima 36. motum omnem ademit animæ, & in lib. 6. phyſ. 32. concluſit id ſolum poſſe moueri, quod eſt diuiduum; nec fieri poſſe, vt vllum indiuiduum moueatur oſtendit ſub exitum eiuſdem libri; non igitur tribuendum eſt Ariſtoteli, quòd animam, mentemque noſtram poſuerit ſecretam à corpore manentem. Poſtremò rogant Alexandrei, nunquid animæ tempore ſtatuto iterum ad corpora ſint regreſſuræ; an potius ab his diſſociatæ ſemper ſint permanſuræ. Hoc ſi aſſeueretur, coniunctio & ſeparatio animæ non erit naturæ opus; huius id fidem facit, quia nullum naturæ opus eſt inordinatum, cùm in omnibus natura ſit cauſſa ordinis; & coniunctionis ac ſeparationis animæ nullus eſt ordo, quòd ordo omnis eſt ratio, & nulla eſt ratio illius temporis finiti, quod anima conſumit corpori coniuncta, ad illud tempus infinitum, quo manet à corpore diſſociata. Nec ſecus Ariſtoteles in lib. 8. phyſ. 15. caſtigat Anaxagoram, quòd mentem induxerit tempore infinito quieſcentem, tum certo tempore mouere ac ſegregare incipientem. Quinetiam præſtò erit actu infinitas, nam cùm ſingulorum hominum ſint ſingulæ animæ, atque infiniti homines interierint, quia mundus ſemper fuit, nec vnquam non fuit, neceſſariò concluditur animas infinitas reperiri, quæ infinita hominum corpora ſeculis præteritis corrupta informarunt. Sunt, qui affirmant cum Algazele & Auicenna infinitudinem ex ſolis corporibus fuiſſe ab Ariſtotele eiectam, & non ex iis, quæ carent magnitudine, cuius generis ſunt hominum animæ à corporibus ſeparatæ. Hos agitant Alexandrei, quoniam Ariſtoteles etſi in lib. 3. phyſ. infinitum, quod eſt in corporibus vel maximè intueatur, quandoquidem veteres philoſophi hoc vnum habuerint in animo propoſitum, attamen iis argumentis vtitur, quibus deſtruitur qualecunque actu infinitum, idque ſolùm recipit, quod eſt poteſtate, eaque affert

argu-

argumenta, quæ ex corporibus & ex ijs, quæ à corpore ſunt ſecreta, omnino eripiunt infinitatem: Etſi pugnat cum natura infiniti factum eſſe, nam quod eſt factum, id habet finem; & quæ præteritis ſeculis fuerunt animæ, omnes ſint factæ, hæ planè non erunt in natura rerum ſine corpore conſtantes, ne, cùm ſint infinitæ, factum ſit id, quod eſt actu infinitum. Demum ſi in hominum animis à corpore ſeparatis eſſet infinitas, conficitur, vt alijs animis productis, atque ab humanis corporibus ſolutis augeatur infinitas, & quippiam efficiatur, quod ſit maius infinito: Hæc autem perſpicuè ſunt in abſurditatibus, quando quidem infinitum non excipiat incrementum, nec poſſit à quopiam ſuperari. Optima igitur ratione ſcripſit Auerroes in diſput. 1. aduerſus Algazelem in ſol. 7. dubit. ſtatuere animas infinitas, quæ maneant poſt mortem, corporiſque diſſolutionem, longè abeſſe à communi philoſophorum opinione, nec ſapientum quempiam potuiſſe iſtud vnquam intelligere. Itaque apud Moyſen Aegyptium in lib. 1. illius operis, in quo eſt dux dubitantium, cap. 73. nonnulli ex eo, quòd animæ humanæ ſunt immortales, & infinitati nullus eſt locus in rerum vniuerſitate concluſerunt mundum ſuæ originis principium habuiſſe. Idem cùm D. Thomas non ignoraret, hac in re Algazelem & Auicennam exagitauit in part. 1. quæſt. 7. art. 4. & in lib. 2. contra Gentiles cap. 80. cùm iſtud argumentum propoſuiſſet diſſoluendum, in cap. proximè in ſequenti multas ac varias diſſolutiones recitauit, in quibus cùm parum firmitatis ineſſe perſpiceret, tandem concluſit, ex eo nihil detrimenti peruenire ad fidem catholicam, quæ ſtatuit mundum eſſe factum, cùm antè non eſſet. At verò ſi animæ ad corpora ſunt rediturae, iterum rogant Alexandrei, ſintne animæ ad eademmet corpora rediturae, an ad diuerſa. Si cum eiſdemmet corporibus animæ noſtræ copulabuntur, dabitur profectò homines, qui ſunt mortui, excitari, ac reuiuiſcere, quod fuit ab Ariſtotele repudiatum in lib. 1. de anima 41. Sin verò cum diuerſis, non erit improbabilis Pythagoreorum opinio, quam certum eſt Ariſtotelem ſemper neglexiſſe, & tanquam fabulis ſimilem irriſiſſe. Atque hæc ſunt firmiora argumenta ab Alexandreis in hac quæſtione

excogitata ad perſuadendum peruerſum Alexandri dogma ex Ariſtotelis doctrina emanaſſe, de quo quid ſentiendum eſſe putem: deinceps explicare conabor.

Anima noſtra ſitne immortalis, varij variè ſenſerunt.

Cap. VI.

Anima noſtra ſitne immortalis, ardua ſemper fuit inter philoſophos controuerſia, nam vt omittam Peripateticos inter ſe de præceptoris ſententia digladiantes, Pythagorici animas omnes ſine ortu & interitu poſuerunt, contra Epicurei omnes ortui & interitui obnoxias induxerunt. Platonici tametſi non dubitent animas noſtras nunquam eſſe interituras, horum tamen alij factas eſſe exiſtimant, & alij ab omni æternitate conſtantes. Stoicorum quidam ſempiternas eſſe putarunt; & alij vna cum corpore diſſolui, atque in his ſunt, qui annumerent Senecam, qui in lib. 7. epiſt. 55. ſcriptis mandauit omnes homines antequam naſcerentur, mortem expertos fuiſſe, quandoquidem mors eſt non eſſe; hincque concluſit, quia antequam in lucem prodiremus, nullam vexationem ſenſimus, in morte nihil eſſe tormenti; id quod exemplo lucernæ declarauit, cui vt peius non eſt, cùm extincta eſt, quàm antequam accenderetur, eodem modo & nos qui vita accendimur, & morte extinguimur, in nullam prorſus moleſtiam incidere ex vita decedentes: Et in lib. de conſolat. ad Martiam cap. 19. tradidit defunctum nullis malis affici, huicque nullas tenebras imminere, nec carcerem, nec flumina igne flagrantia, & ea, quæ ſuis fabulis poetæ ſunt commenti, vt inferos nobis terribiles facerent; nam mortem eſſe omnium dolorum ſolutionem & finem, vltra quam nullus eſt locus malis, quæque nos in illum ſtatum reponit, in quo antequam naſceremur, iacuimus. Itaque quemadmodum nemo ab ijs, qui nondum nati ſunt, traducitur in miſerationem, ita non eſſe, vt quis mortuorum miſereatur: Mortem enim

nec

nec in bonis, nec in malis eſſe, quippe quæ nihil eſt, atque omnia in nihilum redigit, & id duntaxat eſt boni malique particeps, quod aliquid eſt. Sed de Seneca quicquid ſit, quem certum eſt alijs in locis ſignificaſſe animam noſtram eſſe immortalem, equidem Plinius noſtrarum animarum interfectoribus
„ ſeſe adiunxit, qui in lib. 7. hiſt. nat. cap. 55. Omnibus, inquit, à
„ ſuprema die eadem, quæ ante primam, nec magis a morte
„ ſenſus vllus corpori, aut animæ eſt, quàm ante natalem. Nec verò ſolùm inter Philoſophos hæc controuerſia fuit agitata, ſed & inter Hebræos, nam ex his qui appellati ſunt Saducæi, hi animas noſtras morte mulctarunt. Quinetiam inter Chriſtianos fuerunt nonnulli hæretici, qui eandem impietatem conati ſunt ſerere, quorumque fit mentio ab Euſebio in lib. 6. hiſt. eccleſiaſt. c. 27. & à D. Auguſtino in lib. de hęreſibus hęreſi 85. & ad quos refellendos concilium fuit coactū, in quo Origenes ſua doctrina ſic profecit, vt hos omnes à ſua peruerſa opinione abſtraxerit. Atq; hi fortaſſe fuerunt illi, quos ſcribit Damaſcenus in lib. de hęreſibus fuiſſe Thanatopſychitas appellatos, ꝙ animas noſtras morte afficerent, eaſq; cum corpore oriri ac interire cenſerent. Nec denique his temporibus in varijs mundi regionibus deſiderātur, quorū animi eadem opinionis fœditate ſunt turpificati. Nec alicui mirandū accidat pleroſq; priſcę ętatis philoſophos tā impiè de noſtra anima ſenſiſſe, nā cum hi turpæ eſſe putarent non poſſe cuiuſuis rei ad tractandum propoſitæ rationem reddere, ea tantum eſſe affirmanda exiſtimabant, quæ certa & indubitata cognitione haberent comprehenſa: Qua de re cùm nullam rationem perſpicerēt, quæ animi noſtri immortalitatem ſic ipſis perſuaderet, ut omnem ſcrupulum ex ſuis animis prorſus eximeret, ne ex philoſophorum numero eijcerentur, facti ſunt noſtrarum animarum parricidæ non intelligentes non oportere homines eouſque ſibi placere, & eouſque animo efferri, vt ſibi afferant rerū omnium explicatam cognitionem, putentque id duntaxat eſſe, quod perfectè habent comprehenſum, & id non eſſe, cuius nullam habent firmam euidentemq; demonſtrationem. Etenim vt præclarè ſcriptum reliquit Iuſtinus in quæſt. 13. ad Orthodoxos, abſurdum eſt in hominum cognitione ſitam eſſe rei eſſentiam,

ſentiam; ſiquidem, vt idem paulò poſt inquit in quæſt. 17. Dei functiones & opera nullis argumẽtis ſunt metienda, quippe quæ ſenſum, rationem, & mentem excedunt; atque, vt dicebat Heraclitus referente Plutarcho in Coriolani uita, magna ex parte noſtram cognitionem prætereunt. Et profectò ſi ſolum id ratum eſt habendum, quod ſenſibus, neceſſarijſque argumentis eſt comprobatum, ruat & concidat vniuerſa ferè philoſophia, erit neceſſe, quòd magna huius pars habet veritatem in profundo demerſam, atque admodum incerta eſt propter varias & inter ſe diſſidentes hominum opiniones; neque dandum erit ab aquis, lapidibus, plantis, & animalibus ſingulares quaſdam effectiones emanare, quòd harum cauſſæ in noſtram cognitionem minimè cadant. Quæ enim ratio poteſt afferri, cur lapis herculeus ad ſe alliciat ferrum, ſemperque ad Helicem, & Cynoſuram ſe conuertat? Quæ cauſſa vnquam explicabitur æſtus marini; & cur Echeneidis piſciculi adhæſus nauigia contra remigum conatum, ventorum impetum, mariſq; procellas remoretur? Prolixũ eſſet, nec, ſine faſtidio, ſi omnia, quæ mihi in mentem veniunt, recenſerem, quæ cùm apud homines nullam habeant dubitationem, quo efficiantur modo, à noſtra comprehenſione eſt penitus disiunctum: Verum hi fortaſſe venia non indigni poſſunt videri, quòd lumine veritatis non eſſent illuſtrati, ſenſuque carerent ſacrarum literarum, quem ſi habuiſſent, omnem planè ſcrupulum ex animi immortalitate emergentem ſibi exemiſſent, nec tam peruersè de natura animæ noſtræ ſenſiſſent. At illi, qui ſanctiſſimam Chriſti religionem ſunt profeſſi, & animas noſtras interimunt, iuſto equidem odio ſunt digniſſimi, & tanquam veritatis hoſtes, & impietatis defenſores ex hominum cætu ſunt exterminandi, nam hi, vt inquit Lactantius initio lib. 2. inſtitut. diuin. dum exiſtimant nos nulli Deo eſſe curæ, & poſt mortem nihil eſſe futuros, totos ſe libidinibus addicunt, & dum licere ſibi putant hauriendis voluptatibus ſitienter incumbunt. Et ſanè horum vitam ſi quis diligenter intueatur, planè perſpiciet hanc totam in vitijs & voluptatibus conſumi, atque ideo ſibi facilè perſuadebit hos tam peruerſam, tam flagitioſam improbitatem amplexos eſſe, ne futuræ vitæ cogitatio,

ratio, recordatioque pœnarum; quæ apud inferos improborum flagitijs à Deo ſunt conſtitutæ, aut ipſos ab hoc viuendi genere auocaret; aut ipſorum voluptates aliqua moleſtia, dolorisque acerbitate aſpergeret. Atque in hanc ſententiam ſcriptum fuit a Plotino in lib. 7. enn. 4 cap. 10. ſi omnes homines, vel plurimi haberent animam ſapientia veraque virtute præditam, neminem adeo incredulum fore, vt diffidat animæ noſtræ naturam eſſe penitus immortalem: verùm cùm eam habeant plurimis vitijs inquinatam, hinc fieri vt ipſi illa neque rem diuturnam, atque immortalem eſſe exiſtiment. Sed valeant hi noſtrarum animarum interfectores, quos in deteſtabili ac peſtifera fuiſſe poſitos impietate ſacræ literæ, quæ nec falli, nec fallere poſſunt, perſpicuè teſtantur, & viri doctrina ſanctitateque clariſſimi multis varijsque rationibus declararunt: Equidem non eſt diffitendum viam argumentis & demonſtrationibus exquirendi animæ noſtræ immortalitatem eſſe difficilem, & non carere obſcuritate, ex quo ſcripſit D. Auguſtinus in lib. 13. de Trinit. cap. 9. humanis argumentationibus vix paucos magno ingenio præditos, otio affluentes, doctriniſque ſubtiliſſimis eruditos ad indagandam animæ immortalitatem peruenire potuiſſe, & Gregorius Nyſſenus in lib. 2. de anima cap. 9. aſſeuerauit animæ immortalitatis demonſtrationes captu difficiles eſſe, vixque philoſophis intelligibiles; nam cùm firmæ, neceſſariæque demonſtrationes exiſtant ex ijs, quæ nobis nota ſunt, ſenſibuſque accipiuntur, arduum eſt ac difficile quippiam exquiſita neceſſariaque demonſtratione tribuere animæ, quæ in ijs eſt, quæ fugiunt noſtrorum ſenſuum comprehenſionem. Adiungendum eſt eorum duntaxat haberi demonſtrationem, quorum cauſſæ à nobis non ignorantur, nam cùm omnis demonſtratio ex cauſſis, principijſque proprijs progrediatur, nulla poteſt illorum haberi demonſtratio, quorum aut nullæ ſunt cauſſæ, aut ſi ſunt, hæ fugiunt hominum comprehenſionem: Quapropter cùm animi noſtri immortalitas vel nullam habeat cauſſam, quippe quæ proximè ac nulla intercedente cauſſa inſit animæ, vel ſi habet, hæc hominibus ſit inexplorata, (non enim ea eſt vis humanæ mentis, vt rerum omnium cauſſas teneat) non eſt, vt in hac diſputatione

ne accuratum & limatum demonſtrandi genus poſtuletur; quod cùm nonnulli requirerent, neque inuenirent, in grauiſſimum errorem inciderunt ſtatuentes animam noſtram ſua natura caducam eſſe, & Dei benignitate immortalitatis participem, quem fortaſſe declinaſſent, ſi ex Simplicio in lib. 4. phyſ. com. *96.* intellexiſſent in abſurdis eſſe velle ſubſtantiæ interitum ex noſtra ignoratione pendere, cum certum ſit multa in rerum vniuerſitate contineri, quæ quòd ſint, & quo ſint modo affecta, ignoramus: & ſi aures Ariſtoteli præbuiſſent, qui in lib. 1. ad Nicom. cap. 3. ſcribit non in omnibus diſputationibus peræquè certitudinem eſſe requirendam, atque eruditi hominis eſſe tantam in vnoquoque genere certitudinem deſiderare, quantum rei ipſius natura recipit. Cæterum tametſi non ſit diffitendum iſtud dogma exquiſitiſſimis, ſolidiſſimiſque rationibus non poſſe confirmari (quæ quoque fuit ſententia Scoti in lib. 4. ſentent. diſtinct. 43. quæſt. 2.) quòd hæc in naturam à ſenſibus remotam non conueniunt, attamen exiſtimandum eſt multa non deeſſe à noſtris Theologis viris crudititiſſimis, & à præſtantiſſimis philoſophis vberrimè explicata, quæ ſic poſſunt perſuadere animi noſtri immortalitatem, vt vel nullus locus relinquatur dubitationi, vel qui dubitet, is quoque, vt inquit Chryſoſtomus in ſerm 4. de prouidentia, dubitare poſſit, an in meridie ſit dies: Quocirca quicunque opinantur nullas poſſe argumentationes afferri, quibus animam noſtram eſſe immortalem colligatur, hi poſſunt videri arrogantiæ pleni ſibi perſuadentes ea, quæ ipſi nequeunt intelligere, à nemine intelligi poſſe, ſed hos mittamus, & quid Ariſtotelicè, ac iuxta Ariſtotelis decreta de quęſtione propoſita ſtatuendum eſſe arbitramur, exponere ingrediamur.

In

In quæſtione propoſita quid Ariſtotelem ſenſiſſe exiſtimandum ſit.

Cap. VII.

Etſi viri non mediocriter in Ariſtotelis doctrinà verſati ſenſerint nulla ratione fieri poſſe, vt iuxta Ariſtotelis decreta animæ mentique noſtræ tribuatur immortalitas, niſi eadem cum Auerroe omnibus in hominibus vnica inducatur, attamen cùm mihi certum ſit noſtræ mentis vnitatem & à vero, & ab Ariſtotele tam longè abeſſe, quàm quod maximè, & ex Ariſtotelis doctrina multa colligi noſtræ mentis immortalitatem ſignificantia, & atteſtantia, nihilque in ea ſcriptum reperiri, quod habeat vim inducendi caducitatem, in eam non inuitus ab eo opinionem, vt Ariſtoteles voluerit animas, menteſque noſtras cum hominibus procreatas poſt hominum interitus manere ſeculis infinitis in rerum natura conſtantes. Cæterùm quoniam Ariſtotelis noſtrarum mentium & originem, & ſtatum à corpore diſiunctum nunquam fuit contemplatus, quippe qui in conſuetis naturæ operibus contemplandis ſolùm eſt verſatus, ſenſuumque lumine fretus ſtatuit, quæcunque ſcriptis mandauit, & mentium noſtrarum origo excedit omnem naturæ vim, earumque ſtatus poſt corporum diſſolutiones ijs omnibus caret accidentibus, quæ ſenſu comprehenduntur, hinc fit, vt ex ijs, quæ ab ipſo ſunt conſtituta, nulla ratio hauriri poſſit eorum, quæ vel ad mentium originem pertinent, vel mentibus a corpore diſiunctis manentibus tribuuntur. Atque iſtud ſi Pomponatius & Alexandrei intellexiſſent, aut intelligere voluiſſent, neque ſibi perſuaſiſſent nihil eſſe tam occultum, & à noſtrorum ſenſuum comprehenſione remotum, cuius certa ratio non poſſit afferri ex ijs, quæ ab Ariſtotele poſita ſunt, fortaſſe non tot, tantaſque turbas in Ariſtotelis ſchola excitaſſent: Nec verò hoc datum eſt ſoli nòſtræ mentis origini, & eiuſdem ſtatui poſt hominis occaſum, ſed & pleriſque alijs, quæ ſint necne, nulla eſt inter Ariſtotelicos controuerſia: Etenim Deum eſſe,

Digitized by Google

cuius numine tota hæc rerum vniuerſitas regatur, ſentiunt & conſentiunt omnes Peripatetici; verùm cùm prouidentia ab illius, cui prouidetur, cognitione nunquam ſit diſiuncta, arduum eſt ex Ariſtotele conijcere, quo modo hæc rerum vniuerſitas cadat in intelligentiam Dei, in quo nullæ ideæ ſunt ab Ariſtotele poſitæ. Rurſus lumen eſſe nemo non aſpicit, atqui qua ratione hoc in aere naſcatur, & nunquid ſit qualitas ſpiritalis, an materialis, quæ de lumine tradita ſunt ab Ariſtotele, haudquaquam declarant. Amplius nemo non miratur mare nunc creſcere, nunc decreſcere, atque varijs in locis, varijſque in temporibus varia eſſe huius incrementa & decrementa, harum autem maris motionum & varietatum, quæ ratio poteſt ex Ariſtoteleis decretis afferri? Multa huius generis alia mihi occurrunt, ſed his abſtineo, tum ne videar in re non neceſſaria multa ambitioſè colligere; tum quia Ariſtoteles ipſe non tantum ſibi tribuit & arrogauit, vt exiſtimauerit ſe in omnibus certas ac neceſſarias rationes attuliſſe, nam in lib. 2. de cœlo 34. ſcribit eniti nonnullorum aut omnium rationes reddere, nihilque prætermittere vel magnæ ſtultitiæ, vel inſignis audaciæ argumentum eſſe; noſque admonet, cùm homines ſimus, vt in credendo nos humanè geramus, & non ita, vt perfractè in opinione perſiſtamus; atque cùm quiſpiam exactiores firmioreſque rationes fuerit natus, tum huic gratias habeamus: & in tex. 60. laudat eum, qui ob philoſophiæ ſitim vel exigui momenti rationibus contentus eſt ijs in rebus, de quibus maximæ exiſtunt dubitationes, quarumve accidentium nullam aut modicam habemus comprehenſionem. Sed redeo ad quæſtionem propoſitam, cuius explicatio in quatuor capita erit diſtributa, quorum primum in hoc abſumetur, vt oſtendatur ex decretis Ariſtoteleis poſſe concludi animas, menteſque noſtras eſſe immortales; Alterum diſquiret, nunquid anima noſtra ita ſit immortalis, vt vel nullum ſuæ originis habuerit principium, vel facta ſit, cùm antea non eſſet. Tertium explicabit illos omnes Ariſtotelis locos, qui videntur noſtris mentibus eripere immortalitatem. Quartum & poſtremum ijs argumentis occurret, quibus Alexander & Alexandrei adducti ſtatuerunt ad ſententiam Ariſtotelis animas

Digitized by Google

mas menteſque noſtras vna cum corporibus interire. Verùm, antequam ad primum caput aggrediar, operæprecium eſſe arbitror locos illos antea recitatos diligenter expendere, in quibus plerique Peripatetici exiſtimant Ariſtotelem perſpicuè ſignificaſſe mentem noſtram eſſe immortalem, & in his conſiderandis quid ſcripſerint Alexandrei non præterire.

Conſideratio eorum, quæ ab Ariſtotele tradita ſunt in lib. 1. de anima tex. 65. & 66.

Cap. VIII.

ARiſtoteles in lib. 1. de anima 65. hæc ſcripta reliquit: Mens autem ingenerari videtur, & ſubſtantia quædam eſſe, ac non corrumpi; nam ab ea maximè, quæ in ſenectute fit, infirmitate corrumperetur; nunc autem perinde fit, atque in ſenſuum inſtrumentis: etenim ſi ſenex talem acciperet oculum, videret, vt iuuenis: Quare ſenectus non eſt, quia anima quicquam eſt paſſa, ſed quia id, in quo eſt, aliquid paſſum eſt, quemadmodum inebrietatibus & morbis fieri ſolet. Et ipſum igitur intelligere ac contemplari marceſcit, quia aliud quoddam intus corrumpitur, ipſum autem paſſione vacat. Ratiocinari verò & amare aut odiſſe non ſunt illius affectus, ſed huiuſce, quod habet illud, ea ratione, qua illud habet: Quapropter & hoc corrupto non recordatur, nec amat, non enim erant illius, ſed ipſius communis, quod quidem perijt. Mens autem diuinum, quid eſt fortaſſe, paſſioneque vacat. Hunc locum cùm Alexander interpretaretur, aſſeuerauit mentem ſtatui immortalem, verùm hanc mētem non eſſe mentem humanam, ſed mentem diuinam, qua in re caſtigatur à Philopono, qui ex ijs, quæ hic dicuntur, mentique tribuuntur, conatur oſtendere hunc locum de hominis mente eſſe accipiendum. In huius verò enarratione primùm ſtatuit Ariſtotelem monſtrare mentem non corrumpi, quoniam ſi interitum acciperet, ab ea

maximè,quæ in ſenectute fit, inualiditate corrumperetur, ab hac verò cùm minimè deſtruatur,neceſſariè relinquitur mentem in interitum non incurrere. Deinde quoniam quiſpiam ſibi poſſet perſuadere mentem non aliter atque corpus naturam habere diſſolubilem, quippe quæ cum corpore inueteraſcat,& cum eodem in affectionibus conſentiat,quod morbi & ebrietates declarant, putat Ariſtotelem huic dubitationi occurrere, atque dicere idem in his affectibus menti accidere, quod animæ ſenſuali oblæſis inſtrumentis ipſi ſeruientibus, nam vt hæc ſalua incolumiſque manet, tametſi ipſius inſtrumenta varijs mutationibus ſint obnoxia, & tempore ſeneſcant,cuius rei id facit fidem, quia ſenex ſi oculum iuuenis acciperet,vt iuuenis intueretur,ita mentem,quæ ſenſu multò eſt præſtabilior,ſenectute ac reliquis corporis affectionibus in nullam offenſionem incurrere, atque integram, illæſamque manere. Et ne quiſpiam exiſtimet hoc contingere menti, non quia ſit ſoluta ab omni corpore,ſed quoniam non ſecus,ac anima ſentiens, non habet eſſentiam ex hoc craſſo concretoque corpore pendentem, quibuſdam argumentis mox nititur perſuadere mentem nulli corpori ineſſe, quorum primum eſt, quòd ſenſus poſt comprehenſionem excellentis ſenſibilis,quæ remiſſiora ſunt, nequit apprehendere, nam ſi quis fuerit Solis ſplendorem intuitus, aut ingentem ſonum audiuerit, non poterit colores, ſonoſque tenuiores percipere: at verò mens vbi aliquod excellens, vehemensque intelligibile apprehenderit, tantùm abeſt,vt quæ minora ſunt,nequeat accipere, vt contra illius apprehenſione perfectior vegetiorque facta multò expeditiùs in his intelligendis verſetur: Huius autem id eſt in cauſa,quòd ſenſus inſtrumentum ac vehiculum ſpiritus eſt, mens autem ab omni corpore eſt penitus ſeparata. Secundum, quia nulla vis, quæ hæreat in corpore, in ſeipſam poteſt conuerti, alioquin & corpus, in quo hæret, in ſe ipſum recurreret: & mens in ſe ipſam reuoluitur, dum ſe ipſam intuetur, & contemplatur: Tertium,quia nulla eſt res,quæ corrumpat, diſſoluatque ſubiectum, à quo conſeruatur, quandoquidem omnia appetunt eſſe, omniſque natura eſt ſui conſeruatrix; & mens hominem,cuius eſt anima,virtute propoſita ad ferenda mala,

quæ

quæ naturaliter vitantur, impellit, & ad mortem appetēdam; qua nihil acerbius poteſt homini accidere, ſi anima vna cum corpore diſſoluatur, excitat, atque inflammat. Quartum & poſtremum, quoniam mens nullo corpore inſeruiente apprehendit ſubſtantias à materia ſeparatas, quas ſine corporis præſidio non poſſet intueri, ſi ab omni corpore non eſſet ſegregata. Hæc Philoponus, cum quo facit Simplicius, qui in huius loci commentarijs ſcribit Ariſtotelem duobus vti argumentis, vt oſtendat animam noſtram non eſſe caducam, quorum vnū eſt, quia eſt a corpore ſeparabilis, & per ſe ſubſiſtens: etenim illæ duntaxat formæ pereunt, quæ quòd in materia hæreant, huicque ſint aduentitiæ ac peregrinæ, ab adueniente contraria priuatione pelluntur ex materia, ſine qua non poſſunt manere; quocirca cùm mens per ſe ſubſiſtat, habeatque eſſe ſibi eſſentiale, fierique propterea non poſſit, vt vel à ſuperueniente priuatione eijciatur e materia, ex qua minimè pendet, vel ſui priuationem ſuſcipiat, (nam ignis, qui calorem habet ſibi eſſentialem, non eſt capax frigoris, aut priuationis calori aduerſæ) neceſſe eſt, vt ſit interitus expers. Alterum Simplicij argumentum eſt, quoniam mens floret, vigetque corpore deflorescente, quod non contingeret, ſi ex corpore penderet, eſſetque à corpore inſeparabilis. Alexandrei his occurrunt, primum quedocent Alexandri explicationem non eſſe improbabilē, nam cùm hic locus ſit affinis loco lib. 2. de gen. animal. cap. 3. in quo ſcribitur mentem extrinſecus accedere, quod quoque intellexit Cardinalis Beſſario in lib. 3. aduerſus Platonis calumniatorem cap. 27. non ſecus vocabulum mentis accipiendum eſt hic, atque illic accipiatur: qua e re cùm Ariſtoteles eo in loco nomine mentis ſignificauerit mentem diuinam, vt in eius explicatione declarabitur, par eſt eandem mentem hoc in loco habere in animo propoſitam. Deinde aſſeuerant, ſi mens, cuius hoc in loco facta eſt mentio, fuerit mens humana, hinc tamen non eſſe colligendum eam eſſe immortalem, & corpori mortuo ſupereſſe, quod ita declarant: Cùm Ariſtotelis conſilium ſit demonſtrare animam non moueri, nulla eſt ratio, cur is ad animæ diuertat immortalitatem, quæ ad explicandum id, de quo agitur, nullum prorſus momentum habet;

quin

Digitized by Google

quin immò ſi conſultò perſuaderet mentem, quæ eſt animæ pars, immortalem eſſe, non ſolùm quod ſibi eſt propoſitum, non conficeret, ſed contrà doceret id, ex quo neceſſariè concluditur oppoſitum; ſiquidem ſi mens extinctione corporis non extinguitur, neceſſe eſt eam à corpore diſcedentem motu ad locum accommodato cieri. Adiungunt, ſi omnes huius loci ſententias paulò diligentius voluerimus examinare, nos intellecturos eſſe harum nonnullas non poſſe inter ſe cohærere ijs poſitis, quæ alibi fuerunt Ariſtoteli probata; & ex quibuſdam neceſſariè concludi noſtram mentem eſſe natiuã, & caducam, quod ita aperiunt: Mentem in nobis ingenerari duobus modis poteſt intelligi, vno modo vt nobis extrinſecus accedat ante exiſtens; altero, vt ſic aduenìat, cùm priùs nõ eſſet: prior modus eſt improbabilis, quoniam anima, quæ eſt forma hominis, nequit fieri, vt tempore antegrediatur hominem, quem formas & animas, vt intelligitur ex lib. 12. poſtnat. 16. poſterior autem eſt diuidendus, nam mens cùm priùs non exiſteret, poteſt nobis aduenire vel mutatione & alteratione materiæ, vel creatione: verumenimuero quoniam creatio & ab Ariſtotele, & à priſcis philoſophis pro nihilo ſemper fuit habita, relinquitur mentem de ſententia Ariſtotelis non poſſe in nobis ingenerari niſi mutatione & alteratione materiæ: atqui quæcunque formæ hoc modo ingenerantur, cùm ex materiæ poteſtate educantur, & ex materia pendeant, nequeunt non corrumpi: ergo ſentire mentem ingenerari, & hanc non corrumpi, eſt ſentire ea, quæ iuxta Ariſtotelica decreta non poſſunt inter ſe coniungi: Cuius præterea id fidem facit, ꝙ ſub exitum lib. 1. de cęlo monſtratũ eſt quæcunque quocũque modo ſunt generata, hæc oportere aliquando interire. Ad hæc ſi omnes formæ, quæ ingenerantur, poſitis Ariſtoteleis decretis non poſſunt non deleri, planè cùm Ariſtoteles initio huius loci dicat mentem ingenerari, nemo fuerit, qui hinc non concludat noſtræ mentis fragilitatem. Et ſi rationi conſonum non eſt mobile quippiam eſſe perpetuum; cuius motus ſecundum naturam perpetuus eſſe non poteſt lib. 2. de cœlo 20. nec etiam videtur conſentaneum naturam illam, cuius opus frangitur & tabeſcit, ſempiternis ſeculis manere: quapropter ſi

Ari-

Ariſtoteles hoc in loco ſtatuit intelligere, quod eſt proprium mentis opus, tabeſcere, quis hinc non colligat ab eo ad mortē mitti animam noſtram? Accedit, ſi intelligere marceſcit aliquo, quod in corpore exiſtit, corrupto, quo pacto corpore vniuerſo extincto, ſingulisque huius partibus morte deletis mens ſine corpore manebit incolumis, cùm in rerum natura nihil ſit incaſſum, nihilque otioſum? Et ſi denique mens non eſt ſeparabilis, niſi habuerit opus proprium, nullumque opus propriū illius poſſit exiſtimari vno excepto intelligere ac ratiocinari; profectò cum hoc in loco intelligere non ſit proprium mentis opus, ſed illius, quod ex mente & corpore conſtat, quo modò non hic Ariſtoteles ſtatuet mentem non eſſe ſeparabilem? Cū igitur hoc in loco ea, ex quibus intelligitur noſtræ mentis caducitas, in doctrina Ariſtotelis defixas radices habeant, atque ea, ex quibus eius immortalitas colligitur, nullo negotio poſſint conuelli, concludunt Alexandrei tantum abeſſe, vt hic locus noſtræ menti immortalitati ſit ſalutaris, vt contrà ſit exitioſus; Ne verò Ariſtoteles hic ſtatuat ea, quæ inter ſe ſunt aduerſa, Alexandrei cùm videant, quæ mentem noſtram afficiūt morte, eſſe multò plura & euidentiora iis, quæ eandem vendicant à mortalitate, hæc ita explicant, vt ab illis non diſcordēt: Quapropter cùm aſſeueratur mentem non corrumpi; hoc ita accipiunt, non quòd mens nullo pacto aboleatur, ſed quòd iis mutationibus, in quibus noſtrum corpus vitam hanc ducens aſſiduè verſatur, non ſic afficitur, vt ipſa corrumpatur: quod veriſſimum eſt: enimuero cum in his mutationibus corpus nūquam ſui nominis, ſuæque definitionis iacturam faciat, nam ſiue adoleſcat, ſiue ſeneſcat, eodem ſemper nomine nuncupatur, eademque finitione explicatur, neceſſe eſt eius formam integram incolumemque manere, ex qua nomen, & definitio deſcendit; Hoc autem non ſic proprium eſt animæ intelligētis, vt non conueniat mutarum animantium animis; quinimmo tam latè patet, vt etiam ad ſtirpium animas, omneſq; formas dilatetur, quarum eſt ſuam tueri incolumitatem iis, quorum ſunt formæ, multas vitio materiæ ſubeuntibus mutationes; ex quo nonnulli autumant dictum fuiſſe in lib. 4. poſt nat. 23. aduerſus Heraclitum & Cratyllum res ſcientià comprehē-

di non per materiam, quæ continenter mutatur, ſed per formam, quæ quantum eſt ex ſe, capax non eſt alicuius mutationis, & ijs mutationibus, quas materiæ acceptum fert, ſic afficitur, vt dum corpus manet idem, non omnino corrumpatur. Cùm verò paucis interpoſitis ſubiungitur mentem fortaſſe diuinum quid eſſe, paſſioneque vacare, inquiunt Alexandrei aduerbium, fortaſſe, inditio eſſe Ariſtotelem dubitare, mens ſitne diuina, experſque paſſionis: etſi ſequamur illius, decreta, ſtatuendum eſſe mentem non eſſe ſimpliciter diuinam, ſed rebus diuinis cognatam, neque abſolutè eſſe impatibilem, ſed cùm per ſe non patiatur, quod proprium eſt corporis ac materiæ, & eorum, quibus aliquod propriè ac directè eſt contrarium, tandem per accidens diſſolui corpore, cuius eſt anima, diſrupto ac diſſoluto. Hæc Alexandrei, quibus licet non aſſentiar ex hoc loco extorquentibus ſuæ peruerſæ opinionis ſemina, & cur non aſſentiar, perſpicuum erit, cùm ipſorum argumenta venient in conſiderationem, eos tamen arbitror non eſſe contemnendos putantes hunc locum nullius eſſe firmitatis ad aſtruendam mentis noſtræ immortalitatem, nam Ariſtoteles ſic loquitur, vt ſententiã dubiam videatur habere; dicere enim videri mentem ingenerari, ac ſubſtantiam eſſe, quæ non corrumpatur: & mentem fortaſſe diuinum quid eſſe, ac paſſione vacare, illius eſt, qui de eo, quod pronunciat, ambigit, & nihil aſſeueranter conſtituit. Adiungendum eſt Ariſtotelis argumentationem non eſſe efficacem ad colligendam noſtræ mentis æternitatem quod cùm diſertè docuerit Themiſtius, huius verba ſunt „ aſſerenda, quæ ſunt: Deinde in eo quoque verba illa calum„ niam ſuſtinent, quòd ratio, qua mens incorrupta & im„ mortalis aſſeritur, videtur idem in ſenſu pollere, atque ita „ illum quoque ab interitu vendicare: imò verò ſi diligenter „ aduertas, ferè hoc egiſſe Ariſtotelem comperies, vt ſenſum „ quoque eſſe immortalem oſtenderet. Si aboleri (inquit) mẽs „ poſſet, maximè id ab inualeſcentia futurum, quæ in ſene„ ctute contingeret: Nunc verò accidit contra, id quod in ſen„ ſorijs cernitur; nam ſi vti poſſet ſenex oculo iuuenis, vide„ ret, vt iuuenis. Ex quibus verbis talis ratio nectitur: Quemadmo-

„ admodũ ſenſus non patitur laborantibus ſenio & fatiſcenti-
„ bus inſtrumentis, ita neque pati mentem interiore illo affe-
„ cto, collabefactoque. Neque in ſenſu ſolo perſtat, ſed pro-
„ greditur vltra: Quare (inquit) ſenectus non eo fit, quòd ani-
„ ma quicquam ſit paſſa, ſed eo, quòd illud, in quo anima con-
„ tinetur, laceſſitum, oblæſumque eſt, quemadmodum temu-
„ lentia, & ægrotatio. Hoc ſi eſt ita, vegetatrix anima eodem
„ modo, quo mens, impatibilis efficitur, proindeque immortalis. Hæc Themiſtius, ex quibus nemo non intelligit, ſi argumentatio Ariſtotelica ad veritatem perſuaderet, eadem confici poſſet animas ſenſualem & vegetalem eſſe immortales, quod non conſentit cum Ariſtotelis doctrina. Equidem Priſcianus Lydus in lib. Theophraſti de anima voluit præter animam intellectualem animam ſenſualem eſſe quoque à corpore ſeparatam, cum quo Philoponus hoc in loco videtur conſentire: & Numenius Pythagoricus, atque Plotinus ſenſerunt omnem animam eſſe immortalem, verùm horum dogmata longè diſcrepant ab Ariſtotelica doctrina: etſi Plotini ſententia, a qua forſitan non eſt diſcors Numenius, æquo animo expendatur, clarum erit hunc animam omnem nequaquam induxiſſe à morte ſolutam: etenim cùm hic ſolam animam rationis compotem nomine animæ dignam eſſe exiſtimaret, reliquas verò animas huius idola, veſtigia, & vmbras, potiuſque animationes, quàm animas, ſtatuit omnem animam eſſe immortalem. Argumenta verò, quibus Philoponus & Simplicius ſibi perſuaſerunt mentem eſſe ab omni corpore ſolutam, Alexandrei habent pro nihilo, ſuæque opinioni non obeſſe arbitrantur; & ad primum Philoponi argumentum reſpondent cauſſam illius euenti Ariſtotelem in lib. 3. huius operis 7. retuliſſe ad carentiam, & non carentiam inſtrumenti: enimuerò ſenſus ſuo nequit fungi munere abſque inſtrumẽto, cuius eſt ratio, & quaſi concentus quidam; quocirca quemadmodum verus concentus pulſatis vehemẽter fidibus diſrumpitur, eodem modo excedentibus ſenſibilibus inſtrumentum ferientibus huius ratio, quæ eſt ſenſus, diſſoluitur ſic, vt ſtatim aut in poſterum imbecilliora ſenſibilia non poſſint comprehendi: At verò mens cùm nullo inſtrumento vtatur, ex vehementis intelligi-

Digitized by Google

ligibilis comprehenſione in nullam incurrit affectionem; ſed contra vegetior fit, & quæ minora ſunt, abſque vlla difficultate apprehendit: Quapropter quòd mens poſt excellentis intelligibilis comprehenſionem fit multò expeditior ad reliqua intelligenda, eſt quidem argumentum hanc carere inſtrumento, ſed nō declarat hanc eſſe ab omni corpore ſolutam. Quòd ſi quiſpiam hos vrgeat, quoniam forma, quæ actionem ex ſe fundit ex corpore non pendentem, ſua vi & natura eſt a corpore omni ſoluta, nam cuiuſmodi eſt muneris functio, illius modi eſt natura formæ: Quare e re cùm actus intelligendi & functio noſtræ mentis abſque vllo corpore adminiſtretur, noſtra mens erit ſua vi & natura ab omni corpore ſoluta; reſiſtunt aſſeuerantes hæc non carere difficultatibus: Et quod pertinet ad hanc propoſitionem: Forma, cuius actio ſine corpore exercetur, ſua vi & natura eſt a corpore ſoluta: inquiunt hanc eſſe quidem veram, ſi forma fuerit ſimplex, nec multis facultatibus prædita; dubiam verò & incertam, ſi forma multis viribus fuerit donata, cuiuſmodi eſt anima noſtra rationis particeps, quæ duobus facultatum generibus fuit affecta, quorum alterum reſpuit corpus in ſuo munere obeundo, alterum non fit actuoſum abſque corporis adiumento. Itaque quamuis anima noſtra in eo, quòd eſt particeps mentis, poſſit a corpore ſeparari, attamen nequit fieri, vt ſine corpore maneat impedita à reliquis facultatibus, quę, quòd poſtulāt corporis vſum, in ea ſeparata à corpore eſſent otioſæ, atque torperent, quod naturæ lex non patitur. Atque iſtud putant Ariſtotelem ſignificaſſe, cùm in lib. 1. de anima 13. ſcripſit, ſi eſt aliqua operatio animæ propria, contingere vtique ipſam ſeparari: nam hoc in loco cautè vſus eſt verbo, contingere; & non dixit neceſſarium eſſe, quoniam ſi anima habet aliquod proprium officium, nihil prohibet, vt huius ratione habita ſeiungatur à corpore; cæterùm hoc non eſt neceſſarium, quandoquidem aliud quippiam poteſt eſſe impedimento, ne maneat, ſine corporis ſocietate. Quod autem ſpectat ad aſſumptionem: Mens noſtra ad ſuum munus obeundum nulla vtitur corporis parte; hanc ita exagitant: Cùm mentis nomen tributum ſit & animę rationali, & facultati, qua intelligimus, ſi hoc nomine intelli-

gatur

gatur anima, hæc enunciatio non eſt admittenda, quoniam præter actum intelligendi ſunt alia huius opera, quæ corporis vſum, miniſteriumque poſtulant: Sin verò facultas ſignificetur, nihil, quod faciat ad propoſitum, concluditur, quia licèt hęc facultas ſit à corpore ſeparata, hoc eſt non occupet aliquam corporis partem, in qua hæreat veluti in proprio ſubiecto, attamen hinc minimè conficitur animam, cuius eſt facultas, ſua vi & natura eſſe à corpore ſolutam. Præterea quouis modo mentis vocabulum vſurpetur, hanc enunciationem inquiunt magnam habere dubitationem: nam etſi noſtræ menti nulla pars corporis fuerit à natura impertita tanquam peculiare inſtrumentum, quo ſuum munus obeat, attamen nequit fieri, vt ſine corpore in actum extat, nam calor, qui eſt commune inſtrumentum ad perficiendas omnes animæ functiones, in ſpiritibus & tenuiſſima ſanguinis parte reſidet, qua e re quoniam abſque huius efficacitate vel non ſimpliciter, vel non commodè poteſt intelligentia adminiſtrari, hæc ſanè pendebit ex corpore: Magnam eſſe vim caloris ad obeundam intelligentiam cùm teſtatur Hippocrates ſcribens initio lib. de Carnibus, ſiue (nonnullis corrigentibus) de principijs calidum cuncta intelligere, videre, audire, & ſcire: tum Galenus confirmat ſtatuēs in lib. artis medicinalis præſtans & acre ingenium indicare ſubtilem cerebri ſubſtantiam, quę, quòd ſit huiuſmodi, calori perſpicuè fert acceptum; & in lib. Quòd animi mores ſequantur corporis temperationem aſſeuerans ſenes deſipere ob frigiditatem; illudque Heracliti vſurpans; Splendor ſiccus animus ſapientiſſimus Idem præterea perſuaderi poteſt, quòd mens formas vniuerſas intelligit in phantaſmatis lib. 3. de anima 32. & ſine his non fungitur intelligendi munere. In his Alexandrei non minus ſunt inanes, ac ſit Philoponi argumentatio, quoniam animæ vegetalis, animæque ſenſualis facultates non poſſunt eſſe impedimento, ne anima noſtra conſtet à corpore ſoluta, neque iſtud in lib. 1. de anima 13. fuit ſignificatum, cuius loci ſententia idoneo loco aperietur. Et licèt calor magnum habeat momentum ad obeundam intelligentiam, hoc tamen illi datum eſt, non quia menti proximè ſeruiat, ſed quia miniſtrat facultati imaginatrici, ſine cuius

opera mẽs noſtra huic corpori copulata non poteſt quicquam intelligere. Verùm nihil eſt, vt plura dicantur de his, de quibus dicendi locus erit accommodatior. De altero Philoponi argumento dicunt Alexandrei virtutem cognoſcentem in ſe ipſam conuerti, ſiue ſe ipſam intueri bifariam intelligi, vno modo, vt per ſe, ſuamque eſſentiam fungatur hoc munere; altero, vt per aliud, priore modo fieri non poſſe, vt vis cognoſcens in materia & corpore ſita in ſe ipſam reflectatur; poſteriore autem nihil prohibere; atque hoc pacto mentem humanam in ſe ipſam conuerti: Sed vt hoc planiùs percipiatur, paululum digrediamur. Mens noſtra bifariam poteſt ſe ipſam intelligere, vno modo ex accidenti, altero per ſe. Prior modus ita ſe habet: Cùm mẽs intelligendo fiat id, quod cadit in ſuam intelligentiam, efficitur, vt illa, dum hoc intelligit, ſe ipſam ex accidenti intelligat, pro vt nimirum accidit ei, cùm intelligit, fieri & eſſe rem illam, quam intelligit. Poſterior modus eſt, cùm ſuam naturam & eſſentiam contemplatur. De modo autem, quo vim, naturamque ſuam intelligit, quoniam varia eſt opinio, hic ita perquiratur. Neceſſe eſt mentem intelligere ſe, ſuamque naturam aut per propriam eſſentiam, aut per ſpeciẽ. Simplicius in com. lib. 3. de anima ad tex. 8. arbitratur mẽtem intelligere ſe per ſuam eſſentiam, ſed perſpicuè labitur, nam mens noſtra nequaquam vna eſt e collegio mentium a materia ſeparatarum, quarum eſt intelligere ſe per eſſentiam; & cùm eius intelligere non ſecus, ac ſentire ſit ſpeciem ſuſcipere, nequit fieri, vt ſe aut aliud quippiam intelligat per eſſentiam. Adiungendum eſt quicquid intelligitur per eſſentiam naturæ intelligẽtis, id perpetuò intelligi, nam cùm eſſentia nunquam ſit disiuncta ab eo, cuius eſt eſſentia, ſanè quorum hæc eſt ratio intelligendi, ea perpetuò intelligant, & intelligantur, oportet: atqui certum eſt mentem noſtram non eſſe poſitam in perenni ſui ipſius intelligentia; non igitur hæc intelligit ſe, ſuamque naturam per eſſentiam. At verò ſi noſtra mens apprehendat ſe, ſuamque naturam per alicuius ſpeciei ſuſceptionem, hæc ſpecies erit aut ipſius propria, aut aliena. Alpharabius putauit hanc ſpeciem eſſe propriam noſtrę mentis, quam aſſeuerauit noſtram mentem abſtrahere à ſe eodem modo,

quo

quo ſpecies rerum,quę ſunt extra animam,abſtrahit:ſe d hunc non eſſe audiendum ex his intelligitur: Actus intellige ndi in perpeſſione conſiſtit; ſed nihil à ſe ipſo pati poteſt; non igitur noſtra mens poteſt intelligere ſuam eſſentiam,ſuamq u e naturam per ſe, & quia hanc, vel huius ſpeciem recipiat: Atque iſtud argumentum fuit Alexandri Simplicio referẽte in com. lib.3.de anima 8.Præterea in lib.3. de anima 4. oportet mentem eſſe vacuam ijs omnibus, quæ primùm, & per ſe intelliguntur,quæque comprehenduntur, quoniam illorum ſpecies a mente ſuſcipiuntur: ergo,mens ſe ipſa erit vacua,ſi in ſua natura percipienda vtatur hac intelligendi ratione. Poſtremò ea ſola hoc modo intelliguntur,quorum ſunt phantaſmata,quæque noſtris ſenſibus ſunt expoſita: & verò mentem noſtram non eſſe huiuſmodi, vt in ſenſum cadat, ipſiusque phantaſma reſideat in facultate imaginatrice,notius eſt,quam vt poſtulet confirmationem. Reſtat igitur, vt mens apprehendat ſe per aliud, & ex alijs priùs cognitis inueſtiget ac contempletur ſuã naturam & eſſentiam: Hoc autem non neceſſariò demonſtrare mentem eſſe ab omni corpore ſoluta non iniuria affirmant Alexandrei, atque ſenſum huius eſſe argumento, qui eſt vis in corpore penitus hærens, & aliquo pacto in ſe ipſe conuertitur, dum ſe ſentire animaduertit. Cæterùm mens hunc longè ſuperat, quia non ſolùm cognoſcit ſe intelligere, ſed præterea, quod ſenſui nequaquam eſt datum, ſuam naturam & ſubſtantiam apprehendit, non quidem ſimplici intuitu, ſimplicique intelligentia, quod eſt mentium à materia ſeparatarum, ſed componendo,diuidendo,atq; omnino ratiocinando.Hoc autem conſentaneum eſt, nam cùm in ſe reflecti fuerit formis co gnoſcendi facultate præditis impertitum, atque mens humana inter has mediam ſedem ſibi aſſerat,par eſt,vt in hoc,quod eſt in ſe reflecti, medio quodam modo verſetur, & quaſdam formas huiuſce generis ſuperet,& à quibuſdam ſuperetur.Sed hactenus de hoc argumento. Tertium argumentum Alexandrei non multi faciunt, nam ſi Philopono conſentiente affectuoſa animi pars eſt caduca,& legitur nonnullos ſic animi affectionibus fuiſſe commotos,vt ſibi mortem conſciuerint,nõ eſt,vt Philopono mirum videatur,ſi noſtra mens multò opta-

bilius

bilius eſſe intelligens honeſtè mori, quàm turpiter viuere, excitet ac inflammet hominem, cuius eſt anima, ad mortem appetendam & oppetendam: illi enim propoſitum eſt conſequi ſuum bonum, quod in actione virtuti conſentanea ſitum eſt, & perniciem vitare, quæ in turpi actione conſiſtit. Nec præterea mors poteſt virum bonum perterere, tametſi hic exiſtimet animam eſſe mortalem, quoniam, vt inquit Ariſtoteles in lib. 9. Ethic. ad Nicom. cap. 8. eius eſt magnam voluptatem etſi breuem anteponere paruæ, quamuis longiſſimæ, pluriſque facere vnum facinus magnificum & glorioſum edere, quàm multa vilia & contempta; nam cùm non ignoret mortem propter incertos caſus quotidie imminere, & propter vitę breuitatem nunquam longè abeſſe, curat vitam, non diuturnam, ſed claram, & honeſtam: Qua e re pro patria & amicis mortem oppetere, ſi honeſtum ſit, non modò non recuſabit, verùm ſæpe etiam appetet, ne vitam viuat turpitudini coniunctam, quæ ſic eſt deteſtabilis, & contra hominis naturam, vt ex hominũ ſocietate is ſit eijciendus, qui hanc non declinet ob vitæ cupiditatem. Ex his colligunt Alexandrei, quicunque inquiunt, ſi anima eſſet caduca, uitium uirtuti eſſe anteponendum, quippe quod nos maiore compleat uoluptate, & quod eſt iucundius, id eſt magis expetendum, hos ignorare hominis mortalẽ hanc uitam agentis fœlicitatem, qua nihil eſt optabilius, nihilq; iucũdius, in uirtute conſiſtere, ac miſeriam, qua nihil eſt amarius, nihilque magis deteſtabile, in uitio poſitam eſſe; nec forſitan mente unquam guſtaſſe illius uoluptatis dulcedinẽ, quæ ex uirtutis uſu percipitur. Hæc contra Philoponum ab Alexandreis pronunciata non ſunt penitus improbabilia; & ab his non diſſentit Scotus in lib. 4. ſent. diſtinct. 43. quæſt. 2. vbi non diſſimili modo occurrit huic argumento, quod eſt: Cùm eſſe ſit multò expetibilius, quàm non eſſe, nunquam homo appeteret nõ eſſe, ſi anima eſſet mortalis: verùm cùm Ariſtoteles in lib. 3. Ethic. ad Nicom. cap. 6. viro forti iniunxerit, vt ſi cõtigerit pro patria mortem obire, alacri animo mortem appetat & obeat, exiſtimandum eſt eum ſenſiſſe animam noſtram eſſe morti minimè obnoxiam. Poſtremum Philoponi argumentum Alexandrei diſſoluunt ſtatuentes eam eſſe huma-

Digitized by Google

manæ intelligentiæ cond tionem, vt mens noſtra ſine phantaſmatis nec mentes ſeparatas, nec aliud quicquam poſſit intelligere. In hac ſolutione hi, ſi mentem humanam inſpiciant, qua ex parte corpori eſt copulata, rectè ſentiunt: ſin minus, non rectam habēt ſententiam, quoniam mens à corpore ſeparata vtitur ea intelligendi ratione, quæ nulla phantaſmata requirit: hoc autem quo ſit modo, infra explicabitur. In priore Simplicij argumento cùm ſumatur mentem eſſe à corpore ſeparabilem, & per ſe ſubſiſtere, id Alexandrei affirmant ſumi, quod neque in hoc, neque in alio Ariſtotelis loco fuit vnquam conſtitutum; noſque admonent Simplicium in hac argumentatione imitari Platonem, qui in Phædone oſtendit animam noſtram eſſe immortalem, quoniam cùm contraria ijs viribus inter ſe pugnēt, vt alterum alterius non poſſit eſſe ſubiectum, ſed abeat, & pereat contrario adueniente; anima, quæ eſt vita, quòd eius munere corpus viuat, nequit fieri, vt mortem excipiat, quæ vitæ aduerſatur. Adiungunt hanc Platonis argumētationem eſſe leuem, quandoquidem ſi momentum haberet, ex ipſa concluderetur omnem animam, qualis qualis ſit, eſſe immortalem, cùm omnis anima ſit vita, aut ſanè principium vitæ; atque ab ea ſe expediunt, quòd anima interit, non quia mortem excipiat, ſed quoniam hæc eſt vis & natura cuiuſque formæ materiatæ, vt quemadmodum incipit eſſe cum corpore, cuius eſt forma, ita cum hoc deſinat eſſe, & vt eius generatione fit, cùm antè non eſſet, ita & eiuſdem interitu deleatur, vt vlterius non ſit futura. Platonici vt huius argumenti vim tuerentur, multum operæ poſuerunt, ac Proclus quidem & Syrianus dixerunt illius fundamentum in hoc poſitum eſſe, quòd anima per ſe ſubſiſtit: neque eſt corporis animati forma, ſed huic coniungitur tāquam motor, qui vtatur ipſo veluti inſtrumento. Alijs placuit duas vitas comminiſci, alteram, quæ inducit, largiturque vitam, & alteram, quæ inducitur, ac tribuitur, dicereque animam de Platonis ſententia non eſſe vitam poſteriorem, quæ unaſcum corpore animato oritur & interit, ſed priorem, quæ cùm ſit fons vitæ, perpetuoque uitam ex ſe fundat, ab omni mortis uinculo eſt ſoluta. Hæc Alexandrei habent pro nihilo, accuſantque Proclum & Syrianum, quòd falſò aſ-

eò aſſumant animam non eſſe corporis formam, idque ponāt; quod affinè ſic eſt illi, de quo diſputatur ut qui hoc neget, is id minimè ſit daturus; non enim fieri poſſe, ut anima ſit immortalis, niſi ſua ui ſubſiſtat, nec animam poſſe ſua ui ſubſiſtere, niſi ei ſit natura immortalis. Alios uerò damnant, quòd anima eſt uita, quæ tribuitur, nam cùm anima ſit animati corporis forma, dat uitam non per modum cauſſæ efficientis, ſed per modum formæ, & propterea eo pacto, ut ſit illamet uita, quæ ab ipſa tribuitur. Poſterius argumentum Simplicij repellunt, quia cùm ſcientia, & prudentia, quæ ſunt ad res perſpiciendas & agendas animi mentiſque oculi, temporis diuturnitate, longoque uſu, ac crebris actibus comparentur, nec niſi in ſenectute abſoluantur, efficitur, ut tum actiones noſtræ mentis uigeant, cùm corpus defloreſcit, ſiue quemadmodum inquit Plato in conuiuio, ut mentis oculus tum acutè cernere incipiat, cùm corporis oculus obfuſcatur. Atque hæc quidem ſcitè dicta ſunt ab Alexandreis, qui his non contenti ſubiungunt mentem non ſemper inualeſcere corpore ſeneſcente, ſed quandoque hebeſcere, atque hoc Ariſtotelem ſignificaſſe in lib. 2. polit. qui dum diſputat aduerſus Lacedæmoniorum Rempublicam, ſcripſit, ut corporis, ita & mentis ſenectutem eſſe: & declarare extremam ſenectutis partem, ad quam qui peruenit, bis pueris appellatur canitie, vt ait Herodes apud Stobæum in ſerm. 117. mentem hebetante: denique Democritum confirmaſſe, qui apud eundem Stobæum in eodem ſerm. ſcriptum reliquit augeſcente corpore ſimul & mentem augeri, & ſeneſcente vna ſeneſcere, atque omnibus in rebus fieri obtuſiorem: cum quo facit illud Liuij in lib. 6. Cum corporibus animi vigent, & defloreſcunt: quod cùm Lucretius firmiter crederet, in lib. 3. de rerum natura hinc concluſit mentem noſtram vnà cum corpore interire: illius ſunt hæc.

„ *Præterea gigni pariter cum corpore, & vnà*
„ *Creſcere ſentimus, pariterque ſeneſcere mentem.*
„ *Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur*
„ *Corpore, ſic animi ſequitur ſententia tenuis:*
„ *Inde vbi robuſtis adoleuit viribus ætas,*
„ *Conſilium quoque maius, & auctior eſt animi vis:*

Poſt

,, *Poſt vbi iam validis quaſſatum viribus æui*
,, *Corpus,& obtuſis ceciderunt viribus artus,*
,, *Claudicat ingenium, delirat linguaque menſque,*
,, *Omnia deficiunt, atque vno tempore deſunt,*
,, *Ergo diſſolui quoque conuenit omnem animæ*
,, *Naturam, ceu fumus in altas aeris auras;*
,, *Quandoquidem gigni pariter, pariterque videtur*
,, *Creſcere, & (vt docui) ſimul æuo feſſa fatiſcit.*

Cæterùm ſi Lucretius & Alexandrei intellexiſſent, mentem in hæc incurrere, non quia ipſius natura læd atur, ſed quoniam ſenſus, ſeu vis imaginatrix in proprio inſtrumento viget ac defloreſcit, ſine cuius opera non poteſt ſuum munus obire, profectò ille huius argumenti inanitatem cognouiſſet; & hi de natura noſtræ mentis non tam malè ſcripſiſſent.

Nunquid ex tex. 21. lib. 2. de Anima intelligatur Ariſtotelem credidiſſe noſtræ mentis æternitatem.

Cap. IX.

DE mente autem & cõtemplandi facultate nihil adhuc
,, perſpicuum eſt, ſed videtur aliud genus animę eſſe, &
,, hoc ſolum poſſe ſeparari tanquam perpetuum ab eo,
,, quod eſt caducum. Hæc ab Ariſtotele ſcripta ſunt in lib. 2. de Anima 21. quæ cùm Alexander interpretaretur ſtatuit Ariſtotelem in his diuinam mentem habere in animo propoſitã: Hoc autem cùm Philopono & alijs pleriſque videatur improbabile, quia non eſt conſentaneum Ariſtotelem in animæ partium contemplatione ad mentem diuinam diuertere, quæ nõ eſt animi noſtri pars, Alexandrei ſuam operam collocarunt, vt hæc ita explicarent, ne ex eis vlla ratio aduerſarijs ſuggeratur vendicandi de ſententia Ariſtotelis mentem humanam à
,, caducitate: Primùm itaque adnotarunt hæc verba: Nihil

,, adhuc perſpicuum eſt, ſed videtur: eſſe illius, cui ſententia eſt dubia, quique nihil certi conſtituit; tum dixerunt ſeparationem, cuius ratio habetur hoc in loco, non eſſe à corpore diſiunctionem, ſed in corpore loci diſcluſionem à locis, in quibus reliquæ partes animæ continentur: deinde hunc in modum hæc ſunt interpretati. Cum proximè conſtitutum fuiſſet facultates alendi, ſentiendi, mouendi & appetendi non eſſe in corpore locis diſcluſas, quòd cernamus in eadem corporis parte harum opera exerceri, eandemque corporis partem nutriri, ſentire, ac moueri, ſubiungitur magnam habere dubitationem, nunquid mens & facultas contemplandi ab eadem ſede contineatur, in qua reliquæ animi partes poſitæ ſunt: Huius ea eſt ratio, quoniam cùm huius opus, quod eſt contemplari, nulla corporis parte adminiſtretur, hinc non poteſt intelligi, nunquid loco & ſede illa ſit ab alijs animæ partibus diſiuncta: Verumenimuero ſi ad eius præſtantiam & dignitatem animus referatur, hæc poteſt videri quoddam animæ genus à reliquis animæ partibus longè diuerſum, cui certa, propriaque ſedes in corpore ſit conſtituta, qua ipſum tanquam id, quod eſt perpetuum, magnamque habet cognationem cum mente diuina, ſeiungatur ab ijs, quæ oriuntur & pereunt; cuius opinionis
,, fuit Plato, qui de hac re ſic ſentit in Timæo: Dij cùm animã
,, immortali initio præditam accepiſſent, circumligauere, ob-
,, duxereq; ei corpus fluidum & mortale adiecto genere quo-
,, dam mortalis animæ, in qua perturbationes affectuſque ani
,, mi vehementes & neceſſarios condiderunt: Cęterùm veriti,
,, ne diuinæ animæ immortalitas coinquinaretur vicina mor-
,, talitate, quanta licuit intercapedine optimatem animam ab
,, ea, quæ deterioris conditionis erat, diſpeſcuerunt, diſcluſe-
,, runtque caput à pectore deſterminantes, diſiungenteſque
,, collo: Quamobrem vt ſedes puritatis, diuinitatiſque à regio-
,, ne impuritatis diſperata eſſet, in præcordijs atque ea parte,
,, quæ pectus dicitur, morticinum animæ genus conſtituerũt.
Atque hæc eſt Alexandreorum explanatio, quæ cùm careat reprehẽſione, liquet hinc non poſſe intelligi mentem noſtram habere naturam immortalem, nam cùm ſcribit Ariſtoteles videri hanc ſolam poſſe ſeparari veluti perpetuum ab eo, quod

eſt mortale, ſententia eſt hanc poſſe diſiungi à reliquis animæ partibus non quidem eo pacto, vt à corpore ſeparetur, & ſeparata maneat, ſed ita, vt in corpore teneat ſedem propriam, & diſiunctam ab ijs, quas occupant reliquæ partes animæ; atque huius fidem facit quæſtio paulò ſupra in text. 19. propoſita, in qua explicanda hic textus conſumitur, quæque eſt. Cùm anima diſtinguatur vegetatiuo, ſenſitiuo, cogitatiuo, & motiuo, quæret quiſpiam, nunquid horum vnumquodque ſi non eſt anima, ſed pars animæ, ſic ſe habeat, vt non ſolùm ratione, ſed & loco à reliquis diſiungatur: Et ad huius explicationem aggrediens Ariſtoteles inquit de quibuſdam non eſſe arduum reſpondere, & quædam habere dubitationem: Quod autem parit dubitationem, eſt cogitatiuum, non quidem ſimpliciter & abſolutè, nam hoc includit opinionem, de qua continuò dicitur, quòd ratione ſolùm, & non loco diſiungitur à reliquis, ſed vt mentis, contemplandique facultatis eſt particeps, quandoquidem de mente, facultateq; contemplandi non ſatis conſtat, nunquid ratione ſola ſeiungatur à reliquis: & ſi quiſpiam eius dignitatem animo complectatur, in eam opinionem facilè delabetur, vt ſtatuat huic aliquam definitam corporis partem eſſe tribuendam, in qua conſiſtens à reliquis ſeparetur tanquam natura quædam perpetua ab ijs, quæ intereunt.

Hoc autem nunquid ſit ponendum, non decernit Ariſtoteles, & cùm non decernat, non eſt, vt ipſi adſcribatur; fruſtraque laborant, qui hoc ex loco fidem ſibi conciliare contendunt, quòd noſtræ animæ, noſtræqe mentis ſtatus poſt corporis diſſolutionem fuerit ab Ariſtotele approbatus.

Mentem noſtram eſſe impatibilem quid ſignificet Ariſtoteli in lib. 3. de anima tex. 3.

Cap. X.

CVm Ariſtoteles in lib. 3. de anima 3. colligit mentem noſtram eſſe impatibilem, Philoponus putat hoc attributo ſignificari mentem eſſe cuiuſuis perpeſſionis expertem, atque immortalem: ſed hunc falli non iniuria Alexandrei arbitrantur, quoniam Ariſtoteles non ſimpliciter & abſolutè affirmat mentem noſtram eſſe impatibilem, ſed ea ex parte duntaxat, qua ſuſcipit ſpecies, & res intelligentia apprehendit, quod vt planè cognoſcatur, hic locus eſt exponendus. Naturam mentis, quæ in nobis eſt principium intelligendi & ratiocinandi, patefacturus Ariſtoteles aſſumpſit intelligere eſſe ſicuti ſentire; quod in lib. 2. huius operis 150. fuit confirmatum, quia in vtriſque cognoſcuntur ea, quę ſunt, hincque collegit intelligere eſſe aut pati quippiam à re intelligibili, aut aliquod ſimile; etenim ſentire, quod fit, dum aliquid mouetur, & patitur lib. 2. de anima 51. eſt aut pati quippiam à re ſenſibili, aut aliquod non diſſimile. Porro cùm ſentire non ſit verè pati, ſed aliquod ſimile, eadem ratio erit ipſius intelligere, hocq; erit non verè pati quippiam ab eo, quod intelligitur, ſed aliquod ſimile. Sentire non eſſe verè, propriéque pati intelligitur ex diſputatione, quæ de ſenſu habita eſt, nam in hac paſſio ſic fuit diuiſa, vt alia eſſet vera propriaque paſſio, & alia ſimilitudine. His illud commune eſt, vt id, quod patitur, aliquam formam ſuſcipiat, nam pati eſt recipere, & paſſio eſt acceptio alicuius formæ; illud autem intereſt, quòd in vera propriaque paſſione id, quod patitur, aliquam naturam amittit corruptam à forma contraria ſuperueniente, ac præterea verè afficitur, & ex forma, quam ſuſcipit, nominatur, vt manus, dùm incaleſcit, verè afficitur, & ex calore, quem ſuſcipit, appellatur calida: at in perpeſſione ex ſimilitudine quod patitur, id ſuſcipit quidem aliquam formam, verùm

rum nihil ſui amittit,& hanc formam ſic ſuſcipit, vt ab ea neque verè afficiatur, neque accipiat nomen: huius generis eſt illa perpeſſio,in quam incurrit aer actu perſpicuus,dum ſuſcipit albedinem, vel ſpeciem albedinis, nam hanc abſque vllo detrimento ſuſcipit, & eo pacto ſuſcipit, vt neque afficiatur, neque exalbeſcat. Sentire & intelligere non ſunt pati generis prioris, quoniam quod hoc patitur modo,id ſemper afficitur, & ex forma,quam ſuſcipit,nomen aliquod reportat, ac prætęrea patiendo iacturam facit alicuius formæ in ipſo exiſtentis; & ea,quæ ſentiunt,ac intelligunt, non ſic formas excipiūt, vt aliquid ſui deperdant, ſed abſque vllius rei amiſſione abſoluuntur, nec verè afficiuntur, quoniam ſuſcipiunt formas non more materiæ, & per modum materiæ, ſed modo præſtabiliore, qui eſt naturarum cognoſcentium, & in quo quod patitur,non nominatur ex forma,quæ ſuſcipitur; ſed ſunt pati generis poſterioris, quod eſt quippiā ſimile pati,quandoquidem quæ ſentiunt, & intelligunt ſentiendo & intelligendo formam aliquam ſuſcipiunt, & ex poteſtate in actum transferuntur, non ſecus ac ea, quæ verè ac propriè patiuntur. Quod ſi intelligere eſt quippiam huiuſmodi, hinc Ariſtoteles optima ratione concludit mentem ſic intelligere, in ſuoque munere verſari, vt ſit impatibilis,nec vera propriaque paſſione afficiatur,quod ſenſui quoque conuenit, dum ſentit,ſuoque munere fungitur: nam ſi intelligere,quod eſt proprium mentis noſtrę munus, non eſt verè pati, ſed quippiam non diſſimile, & pati, in quo patiens non verè afficitur,quis non concludat mentem habere naturam impatibilem, neq; dum intelligit, verè affici ab ijs, quæ apprehendit, & intelligit? Porrò etſi mens intelligendo non verè patiatur, eſt tamen capax ſpecierum, neque has habet inſitas, vt Plato & Platonici exiſtimant, quanquam has ſic excipiat, vt ab his non verè afficiatur, neque ex his nominetur,quippe quæ ſpecies excipiat non more materiæ, ſed eum in modum, quo natura cognitione prædita dicitur, ſuſcipere id,quod ipſi obijcitur ad cognoſcendum. Simplicius & alij, e quorum numero eſt Zabarella in lib. de mente humana cap.13. interpretantur mentem eſſe impatibilem nihil aliud ſignificare, quàm mentem eſſe inaffectam & vacuam ab

illa

illa forma, quam ſuſcipit verùm hæc interpretatio non caret difficultate, quoniam cùm mox adiungitur veluti alterũ mentis attributum mentem non ſecus ſe habere ad intelligibilia, atque ſenſus ſe habeat ad ſenſibilia: & mentẽ eſſe immixtam, perſpicuè ſignificatur mentem eſſe vacuam ab ijs formis, quas ſuſcipit: & cùm paulò pòſt in tex. 7. oſtenditur impatibilitatem, quæ hoc in loco fuit menti tributa, ab ea diſſimilem eſſe, quæ in ſenſu cernitur, difficile eſt nomine impatibilitatis intelligere vacuitatem formæ, quæ ſuſcipitur. Hæc igitur cùm ſit huius attributi explicatio, conſtat Philoponum & alios fruſtra operam ſumere, qui hoc ex loco amituntur cõficere mentem noſtram eſſe cuiuſuis perpeſſionis & interitus expertem; etenim ſi locus hic haberet vim ad hoc perſuadendum, ex eodem poſſet concludi ſenſum eſſe immortalem, qui non ſecus, ac mens, in ſpeciebus ſuſcipiendis eſt impatibilis.

Mentem eſſe immixtam quo ſenſu poſitum, atque oſtenſum ſit ab Ariſtotele.

Cap. XI.

NVnquid immixtio, quæ in lib. 3. de anima 4. ab Ariſtotele tribuitur menti, huiuſmodi ſit, vt ſignificet eam eſſe immortalem, non erit arduum intellectu, ſi eius explanatio in medium afferatur. Cùm mentem eſſe immixtam poſſit trifariam intelligi; vno modo, ſi materiæ, in qua ineſt, nequaquam fert acceptum, quòd conſtet, neque ex hac pendet: altero, ſi nulli corporis parti ſit addicta veluti inſtrumẽto, quod ipſi ſeruiat ad ſuum munus exequendum: tertio & poſtremo, ſi nullam formam ex ijs, quæ primum ac per ſe obijciuntur illi ad intelligendum, in ſe commixtam habeat; quo ſenſu hoc in loco mens ponatur immixta, controuerſantur explicatores. Auerroes primum ſenſum, fuit amplexatus, quippe qui interpretatur mentem non eſſe corpus, nec corporis virtutẽ; quod attributum eodẽ interpretante ſic oſtenditur: Omne recipiẽs

carere

carere dēt natura illius rei, quæ recipienda eſt; mēs recipit oēs formas materiatas; ergo mens nuda vacuaque ſit oportet omnibus formis materiatis, nullamque habeat in ſua ipſius natura formam materiatam: Porrò quod habet formam materiatam eſt corpus, vel corporis virtus, quorum illud propriè habet formam materiatam, hæc autem eſt forma materiata: ergo mēs ipſa nec corpus eſſe poteſt, nec virtus in corpore. Maiorem enunciationem illud confirmat, quòd forma inſita inhærenſque in ſubſtantia receptrice ſolet eſſe impedimento, ne ſimilis forma, quæ extra eſt, recipiatur: Minorem declarat id, quòd mens intelligit omnia, hoc eſt formas omnes corporeas & materiatas: & intelligere eſt recipere id, quod intelligitur. Ficinus in lib. 8. Theol. cap. 10. ſequitur Auerroem, putatque ſumptionem, qua iſtud oſtenditur ab Ariſtotele, eſſe hanc: Mens intelligit res omnes corporeas: vim autem ac neceſſitatem conſequutionis in hoc conſiſtere, quia ſi mens noſtra eſſet corpus, non acciperet formas ſimilium corporum, quandoquidem iam eas haberet: & ſi eſſet forma mixta cum materia & corpore, certam quandam ex corpore ſibi contraheret qualitatem, qua ad certam rerum corporalium ſpeciem determinata hanc ſolam cognoſceret, quemadmodum viſus oculo contrahitur, determinaturque ad colores. Scotus in lib. 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 8. ſecundum ſenſum amat & defendit, vultque immixtum hoc in loco ſignificare Ariſtoteli nō eſſe addictum alicui corporis parti tanquam inſtrumento, atque iſtud tribui menti, quoniam hæc intelligit omnia, quæ minimè intelligeret, ſi ad res percipiendas vteretur inſtrumento, quando quidem ab hoc ad certum rerum genus contracta præter hoc genus nihil aliud intelligeret. Ambæ hæ explanationes à ſententia Ariſtotelis abhorrent: enim verò cùm iſtud attributum cohæreat cum ſuperioribus, & ex his pendeat, quod ex dicendi
„ forma intelligitur, qua ab Ariſtotele exprimitur, quęque eſt:
„ Quare neceſſe eſt ipſam, quoniam omnia intelligit, immixtam eſſe: atque illa, quæ in ſuperioribus fuerunt conſtituta, ſenſui & menti ſint communia, oportet huius attributi ſententiam eſſe huiuſmodi, vt in ſenſum aliquo pacto cadat: & verò ſi habuerit Auerrois, Scotique ſenſa, ſic mentis erit proprium,

vt

vt nullo pacto conueniat ſenſui, qui eſt forma corporis, neque ſine inſtrumento fungitur ſuo munere. Deinde cùm Ariſtoteles ex hoc attributo in ijs, quæ proximè ſequuntur, colligat mentem non habere vllam aliam naturam præter eam, quæ eſt poſſibilis; & nihil eſſe actu eorum, quæ ſunt, antequam intelligat; arduum eſt cognoſcere, qui hæc poſſint colligi, ſi hoc attributum iuxta Auerrois, Scotique interpretationes accipiatur. His igitur poſthabitis tertium ſenſum eſt amplectendum, & mentem eſſe immixtam nihil aliud ſignificat Ariſtoteli, quàm mentem non eſſe cum ijs rebus permixtam, quæ noſtris ſenſibus ſubiectæ primùm ac per ſe cadunt in noſtram intelligentiam. Cuius explicationis id facit fidem, quòd cùm Ariſtoteles demonſtret mentem eſſe immixtam, quia quod eſt intus, id prohibet, ne quod eſt extra, recipiatur, nemo, qui hæc legitimè voluerit interpretari, non eſt intellecturus mentem appellari immixtam reſpectu eorum, quæ ab ipſa primùm ac per ſe intelliguntur, atque ſuſcipiuntur, cuiuſmodi ſunt ea, quæ ſenſibus apprehenduntur, quod voluit quoque Anaxagoras, qui cùm in rebus, quæ noſtris ſenſibus expoſitæ conſtituunt hãc aſpectabilem vniuerſitatem, nihil eſſe purè, ſyncerève id, quod nominaretur, ſed omnia ſimul eſſe confuſa, commixtaque, & omnia in omnibus eſſe pronunciaſſet, ſolam mentem exemit ab aceruo rerum confuſarum, hancque ſtatuit eſſe immixtam: Huius verba ſunt hæc apud Simplicium in lib. 1. phyſ. com. 30. Mens eſt res infinita, & quæ per ſe imperium obtinet, & cum nulla re mixta eſt, ſed ipſa ſola in ſe ipſa eſt: Si enim non in ſeipſa eſſet, ſed cum aliquo alio mixta, eſſet rerum omnium particeps: In quolibet enim eſt cuiuslibet portio, vt à me antè dictum eſt; & quę commixta eſſent, eam prohibuiſſent, vt æquè in nullam rem imperium obtineret, vt cùm ſola eſt in ſeipſa. Huius mentis Anaxagoreæ in lib. 8. phyſ. 37. fuit quoque habita mentio, vbi ſcriptum eſt duo officia ipſi fuiſſe ab Anaxagora impertita; alterum, vt omnia moueat, ſitque motus principium; alterum vt vincat, & in omnia imperium obtineat, ac proinde poſitam eſſe impatibilem & immixtam; impatibilem, quoniam cùm ſit principium motus, hoc modo mouebit nullum ſuſcipiens motum; immixtam, vt

poſſit omnia vincere, in omniaque imperium obtinere, hoc autem eſt Ariſtotele interpretante, aut corrigente, vt omnia queat cognoſcere; nam Anaxagoram ſenſiſſe hanc mentem omnia cognoſcere teſtantur hæc ipſius verba in loco Simpli-„ cij proximè recitato: Et quæ commiſcentur, & quæ exer-„ nuntur ac diſcernuntur, omnia mens cognouit; & quæ futu-„ ra erant, & quæ erant, & quæ nunc ſunt, & quæ erunt, mens „ omnia ordinauit & diſpoſuit. Itaque cùm Anaxagoras voluerit mentem omnia cognoſcere, magis cum ratione facit eã ſtatuere immixtam, vt omnia poſſit habere cognita, quàm eã huiuſcemodi inducere, vt omnia vincat, in omniaque dominetur. Huius attributi duæ ſunt rationes: Altera intelligitur ex ijs, quæ proximè antecedunt, & eſt huiuſmodi: Quoniam mens ita ſe habet ad intelligibilia, vti ſenſitiuum ad ſenſibilia, profectò cùm ſenſitiuum reſpectu ſenſibilium ſit quoddam informe, ac vacuum rerum ſenſibilium ſpeciebus, quibus figurari eſt aptum & natum, eodem modo mens reſpectu eorum, quæ ab ipſa primùm, ac per ſe intelliguntur, erit quoddam informe, vacuumque horum formis & ſpeciebus. Altera ratio in ijs, quæ continuò adiunguntur, poſita eſt, atque hoc pacto explicatur: Intelligere nihil aliud eſt, quàm accipere ſpecies citra materiam, & materiæ conditiones: atqui noſtra mens eſt aptè nata intelligere quæcunque noſtris ſenſibus percipiũtur; ergo noſtra mens eſt apta & nata excipere omnia noſtris ſenſibus expoſita: verùm ſi in noſtra mente eſſet inſita aliqua ſenſibilis forma, hæc formis alienis aditum prohiberet; ergo vt noſtra mens omnia, quæ noſtris ſenſibus ſunt obnoxia, queat excipere atque intelligere, ipſa eſt immixta, hoc eſt, nulla ex ijs formis, quæ ſunt ſenſibiles, quæque per ſe cadunt in eius intelligentiam, in ipſa eſt ponenda. Vt verò tẽtamus, vnde exiſtat, quòd forma, quæ eſt in natura recipiente, prohibeat & obſtet, ne forma aliena recipiatur, natura recipiens eſt diſtinguenda: Hæc vel more materiæ recipit, ita vt fiat ſubiectum illius formæ, quæ recipitur; vel per modum naturæ cognoſcentis, atque eo pacto vt forma recepta inſit in ea non tanquam in ſubiecto, ſed veluti obiectum in natura cognoſcẽte: Latini priorem recipiendi modum vocant ſubiectiuum, poſteriorem

obiectiuum; alij illum appellant realem & materialem, quandoquidem hic modus eſt materiæ proprius, & à materia fluit in illud omne, quod hoc recipit modo; & hunc ſpiritalem, in quo natura cognoſcens formas ſuſcipiendo tametſi non fiat ſubiectum, fit tamen id, quod cognoſcitur, non quidem re vera, & eo pacto, quo eſt in rerum natura, ſed imitatione, quandoquidem cognoſcere nihil aliud eſt, quàm imitari id, atque in ſe exprimere ſimilitudinem illius, quod cadit in cognitionem. Si natura recipiens per modum materiæ recipit, forma in ea poſita ſemper obſtat, & forma ſimilis, aut contraria recipiatur; ſimilis quidem, quoniam tollit diſſimilitudinem, quæ inter id, quod patitur & accipit, atque id, quod agit & tribuit, & prorſus neceſſaria, quemadmodum in lib. 1. de gen. & inter. cap. de actione & perpeſſione tum rationibus, tum veterum penè omnium teſtimonio fuit confirmatum. Accedit cuiuſque receptionis radicem eſſe poteſtatem, nam id tantùm recipitur, cuius recipiendi poteſtas eſt in natura recipiente, & poteſtatem nunquam eſſe diſiunctam à priuatione illius formæ, cuius recipiendæ eſt poteſtas; qua e re quoniam forma in natura recipiente aufert ſimilis formæ priuationem, aufert quoque poteſtatem, & quod ſequitur, in cauſſa eſt, ne forma ſimilis recipiatur. Eadem obſtat, ne contraria forma recipiatur, quoniam quæcunque formæ inter ſe pugnant, hæ non poſſunt vnà manere, ſed neceſſe eſt aut alteram interire, ſi altera integra & incolumis eſt futura, aut ambas aliquid damni accipere, & ad medietatem quandam redigi. At verò ſi ſubſtantia recipiens per modum naturæ cognoſcentis recipiat, forma in hac poſita erit impedimento, ne aliæ formæ, quales quales fuerint, recipiantur: Huius ea eſt ratio, quia in hac natura receptio eſt cognitio, & formam recipere eſt formam cognitione apprehendere: ſed vno eodemque tempore vis cognoſcens non poteſt occupari in multarum formarum comprehenſione; ergo ſi huic vna forma fuerit admixta, hæc perpetuò actu cognita obſtabit & impediet, ne hæc virtus alias formas excipiat. Nec verò ſolùm forma naturæ recipienti admixta per modum cognitionis impedimento eſt, ne alia forma qualiſcunque fuerit, eodem modo recipiatur, ſed forma præterea realiter ac per

mo-

modum materialem admixta naturæ recipienti prohibet, ne ſimilis forma recipiatur per modum cognitionis; atque huius argumento eſt tactus, qui nullam habet earum qualitatum comprehenſionem, quæ ſunt ſimiles ijs, ex quibus eius natura conſtat: & ratio in eo poſita eſt, quoniam natura cognoſcens fit id, quod cadit in cognitionem, & nulla res in id cõuertitur, quod eſt, cùm quicquid mutatur, id antequam mutetur, ſit in priuatione illius rei, in quã mutatur. Hæc igitur cùm ita ſint, optima ratione conficit Ariſtoteles aduerſus Empedoclem ex omnibus elementis animam componentem, vt poſſit omnia cognoſcere, mentem noſtram, quoniam ipſa poteſt omnia ſenſibilia intelligere, eſſe immixtam & vacuam ab ijs omnibus, quæ in ſenſum cadunt: & cùm hæc ſit huius attributi ſententia, liquet hinc minimè confici mentem eſſe ſubſtantiam ex materia non pendentem atque immortalem; Non.n.ſi mens noſtra non eſt cum vlla forma ſenſibili commixta, neque eſt vlla forma ſenſibilis, ſequitur neceſſario ipſam eſſe à materia ſolutam. Verùm multos in errorem induxit Ariſtotelicum enunciatum: Mens intelligit omnia: quod Auerroes & Ficinus interpretantur. Mens intelligit res omnes corporeas & materiatas: Alexander ac cæteri Græci enarratores, Mens intelligit omnia, quæcunque ſunt ſiue corporea & materiæ coniuncta, ſiue incorporea & à materia ſegregata; quæ interpretationes ſunt vitioſæ; ac Græcos quidem illud accuſat, quòd iſtud enunciatum tanquam euidens & omnibus notum ſumitur ab Ariſtotele; at verò ſi cum his ſtatuamus omnia omnino corporea & incorporea à mente intelligi, eſt maximè incertum, cuius altera pars, quæ amplectitur res incorporeas, poſt paulò in tex. trigeſimoſexto, vocatur in controuerſiam: quis autem non ſentiat Ariſtotelem non debuiſſe id ſumere pro certo, quod maximè controuerſum eſt, quódque ipſe poſtea aliquando in dubium ac diſceptationem eſſet reuocaturus? Auerroẽ vero & aſſeclas non eſſe approbandos id oſtẽdit, quod mentem eſſe immixtam, quoniam omnia intelligit, ex eo cõficitur, quia intus exiſtens obſtat, & aditum præcludit, ne quod extra eſt, ſuſcipiatur: cuius argumentationis vis ac robur cum in hoc poſitum ſit, quòd natura recipiens vacua ſit o-

portet ijs omnibus,quæ ſunt ab ipſa recipienda, conſentaneũ eſt vocem,omnia, in hoc enunciatu aſſumptam illa ſola ſignificare,quibus oportet mentem eſſe vacuam, vt ea poſſit excipere ac intelligere; Hæc vero cum ſint.quæcumq; primum ac per ſe intelliguntur.mouentq; noſtram mentem,plane ex hoc enunciato illa omnia ſunt excludenda, quæ per aliud, & non primum excitãt mentem ad ſui comprehenſionem., quapropter quoniam in his plurimæ res corporeæ et materiatę numerantur,nimirum quæcumq; longe poſitę ſunt a noſtrorum ſenſuum comprehenſione,non eſt, vt ad has omnes iſtud enũciatum dilatetur. Pręterea cum νοῦς grecè,mens Latinè ſit proprié ea animi pars,quam citra ratiocinationẽ verſatur in rebꝫ percipiendis, διάνοια vero ac cogitatrix ea, qua vtimur,dum ex cognitis ad ignota ratiocinando progredimur, par eſt νοεῖν ac intelligere,quod in hoc enunciato ab Ariſtotele vſurpatur, earum duntaxat rerum eſſe, in quibus apprehendendis nulla eſt opus ratiocinatione:ergo quia res omnes incorporeę,& nõ paucę corporeæ ac materiatæ,vt apprehendantur, expoſtulãt ratiocinationem,non eſt conſentaneum audire in his propoſitum enũciatum. Itaq; ego ſum interpretatus vocẽ,omnia, ſignificare Ariſtoteli res omnes in ſenſum cadentes, per ſe,& non per aliud a mente ſimplici intelligentia, & ſine ratiocinatione comprehenduntur,quęq; nemo poteſt ambigere, nunquid a nobis intelligãtur, quemadmodum locus eſt dubitationi,nunquid ea, quæ noſtris ſenſibus non ſunt obnoxia, mente attingamus;quæ dubitatio inde exiſtit,quod mẽs in hoc craſſo, concretoque corpore ita ſenſibus eſt copulata, vt ſine horum auxilio nihil queat intelligere. Illud quinetiam adiungendum eſt,cùm iſtud enunciatum tanquã certũ, & oĩb. euidens ſumatur ab Ariſtotele, veri maximè ſimile eſſe in illo ea ſola aſſumi, quę eſſe conceduntur ab omnibus. Huiuſmodi autem eſſe res,quæ ſenſum mouent, teſtis eſt Ariſtoteles initio lib.8. poſt nat. Etenim multi fuerunt, qui cenſerunt nullas eſſe ſubſtãtias a materia ſeparatas,vt Euemerus,Critias,Throdorus, Prodicus Chius,Diagoras Melius,ac Protagoras Abdenites; & alij quamuis eas concederent, negarũt tñ poſſe à nobis intelligi, vt Gorgias,Simonides,& alij pleriq;. Quinẽt homines

impę

imperiti, & quicumq; haud plus peruident, quam ſuggerat ſenſus, vt in lib. 1. de gen. & int. 19. ſcriptum eſt, exiſtimāt id ſolum eſſe ens, quod in ſenſum cadit, et illud non ens, quod ſenſum fugit: atq; iſtud Auerroes in lib. 8. phyſ. com 4. dicebat in cauſſa fuiſſe, vt a multis creatio reciperetur, qui animaduertētes multa eorū, quæ fiunt, fieri ex eo, quod eſt inſenſibile, hæc ex nihilo fieri, & ex eo, quod penitus non eſt, ſunt arbitrati. Poſtremo ſi de rebus ſenſibilibus Anaxagoras loquebatur, cum ab omnibus ſegregauit mentem, hancq; ſolā dixit eſſe immixtam, vt omnia vincat, & in omnia dominetur, exiſtimandum eſt Ariſtotelē hoc in loco Anaxagorę ſentētiam ac verba referētem ſenſibilia habere propoſita, voceq; omnia, res omnes in ſenſum cadentes ſignificare. Ex hac noſtra interpretatione cōſtat, quam facile eximi poſſit ſcrupulus Philoponi; quo modo ſi firma eſt Ariſtotelis argumentatio, nō ſequatur ſe ipsā quoque vacuam eſſe debere mentem noſtram, quæ ſe ipſam intelligit. Eximitur quoniam in hac argumentatione ea duntaxat ſunt Ariſtoteli propoſita, quæ per ſe intelliguntur, quorumve phantaſmata reſident in imaginatione: enimuerò cā, cur mens debeat eſſe priuata natura rei, quæ intelligitur, ea eſt, quoniā recipiens carere oportet natura rei, quæ recipitur, & mens noſtra intelligendo ſuſcipit ſpeciem illius, quod intelligit: ergo cum mens intelligat ſe ipſam non per ſe, & quia excipiat propriā ſpeciem, ſed per aliud; cuius id eſt argumento, quòd ab ipſa nullum proprium phantaſma excitatur in imaginatione, neutiquā efficitur, vt mēs ſe ipſa debeat eſſe vacua, ſi ſe ipſam eſt intellectura. Porrò iſtud enunciatum ita expoſitum duobus modis poteſt intelligi; vno modo, quod mens actu intelligat omnia: altero, vt mens habeat poteſtatem intelligendi omnia, & ſit aptè idonea ad omnia percipienda: ſi priore modo intelligatur, verum eſt iuxta Auerrois & ſectatorum interpretationem non in ſingulis hominibus, ſed in vniuerſa hominum ſpecie; nec in aliquo tempore, ſed in toto: Etenim nemo vnus poteſt vnquam omnia intelligere, q̃a in nemine vno tota humani generis perfectio continetur, quæ quaſi in partes diſtributa eſt in homines ſingulos: ſin poſteriore, qui modus eſt hic Ariſtoteli propoſitus, in ſingulis hominibus locū tenebit, ſi ætas,

aut

aut aliquod vitium non impediat,atq; exponendum erit,non quòd mens ſit aptè nata ſimul omnia intelligere,ſed ſucceſſio ne; neq; quòd omnia poſſit ſimpliciter & abſolute habere cõprehenſa,ſed quod ſic eſt comparata,vt quoduis, qualecumq; fuerit,queat intelligere,nec magis hoc quam illud ſit apta habere perſpectum: Atq; in hoc mens noſtra ſimilis eſt materiæ primæ,quæ non ſecus eſt apte nata formas omnes induere; & diſſimilis a mente diuina,quæ ſic intelligit omnia,vt ſimul oĩa comprehendat.Id quinetiam intereſt inter mentem diuinam & mẽtem noſtram,quòd noſtra ſic intelligit omnia, vt his vacua ſit, diuina ſic,vt hæc in ſe contineat,ſitq; horum particeps modo quoddam prę̃ſtantiſſimo,qui ex ipſa nequaquam tollit ſummam & ſingularem ſimplicitatem.Huius autem diuerſitatis id eſt in cauſſa,quòd mens diuina intelligit per eſſentiam,atque ideo in eius eſſentia oportet aliquo pacto poſita eſſe, quæ intelliguntur ab ipſa;noſtra autem mens intelligit per ſpecierum ſuſceptionem; quo fit, vt oporteat ipſam eſſe vacuam ijs omnibus,quæ ab ipſa primum & non per aliud intelliguntur: Et hactenus de huius enunciati explicatione & de huius noſtræ mentis attributi explanatione.

Ariſtoteles quid in animo habeat propoſitum, cum ſtatuit mentem non eſſe cum corpore mixtam.

Cap. XII.

PRoximum eſt attributum,quod in tex. 6. mẽti tribuitur, quodq; eſt hanc non habere vllam cum corpore commixtionem:In huius explicatione variant explicatores Philoponus interpretatur non eſſe corpus,nec formam corpoream, quæ corpore vtatur tanquam inſtrumento; atq; mentem non eſſe corpus ex eo concludi exiſtimat,quoniam eſſet aliqua qualitate affecta,eſſetq; calida,aut frigida;non eſſe uero formam corpoream, quæ vtatur corpore tanquam inſtrumento, quoniam illius nullum eſt inſtrumentum.Simplicius exponit non

eſſe

eſſe vitam a corpore inſeparabilem,atque huius rationem eſſe,quia ſi mens eſſet vita a corpore inſeparabilis,vel eſſet ea vita,quæ animat inſtrumentum,huicq; largitur vitã.vel ea,quæ ipſo corpore viuente vtitur tanquam inſtrumento,ſed non eſt vita prior,quoniam ijs afficeretur qualitatibus, quibus inſtrumentum;neque poſterior,quoniam ipſi non ſecus ac ſenſui ali quod inſtrumentum fuiſſet a natura impertitum ; ergo mens nõ eſt vita a corpore inſeparabilis. Auerroes arbitratur hoc attributum Ariſtoteli ſignificare non eſſe virtutem in corpore, atque de mente hoc modo demonſtrari·Si mens eſſet virtus in corpore, quoniam ſuum corpus, in quo cernitur eſſe, mixtum eſt, aut eſſet forma, quæ eſt temperatio, aut virtus addita temperationi, quæ eſt virtus inſtrumentaria : neutrum eſt concedendum ; non igitur mens eſt virtus in corpore. Connexum declarant ea, quæ in lib. de gen. & int. tradita ſunt,quæque ſunt virtutem corporis mixti diuidi in formam, quæ eſt temperatio, atque in virtutem temperationi ſuperuenientem,quæ virtus,quia eſt forma non ſolùm perficiens, verùm etiam vtens, deſiderat inſtrumentum, cuius opera vtatur. Aſſumpti pars prior confirmatur expoſitis duobus abſurdis,quæ neceſſariò ſequuntur,ſi mens fuerit temperatio: vnũ eſt:Forma lapidis habebit idem eſſe in anima & extra animã: etenim cùm temperatio nihil per ſe, niſi realiter & corporaliter queat recipere,conficitur mẽtem, quando recipit formam lapidis,ſi ſit temperatio, recipere hanc ſecundum eſſe reale & corporeum: ex quo fit,vt eſſe formæ lapidis ſit planè idem in anima & extra animam. Alterum eſt: Lapis erit cognoſcens : cauſſa huius eſt alterum abſurdum, quod proximè fuit explicatum ; nam ſi forma lapidis habet idem eſſe in anima & extra animam,habetq; in anima eſſe cognitum, neceſſe eſt etiã, vt extra animam & in lapide habeat idem eſſe cognitum, & ita lapis ſuam formam cognoſcat: Poſterior pars aſſumpti ita oſtenditur: Si mens eſſet virtus addita temperationi, virtusq; inſtrumentaria,eſſet eadem mens ſenſus aliquis ex neceſſitate; ſed mens nullo pacto in ſenſibus eſt numeranda: ergo mens non eſt forma temperationi addita: Connexum declaratur, quia ſi mens eſſet huiuſmodi virtus,quę eſt corporea, & vtitur

instru-

inſtrumento, non poſſet formas, niſi indiuiduas & ſingulares excipere, quandoquidem recipiens omne recipiat, vt ſua fert natura; & virtus, quæ recipit formas indiuiduas & ſingulares, haſque cognoſcit, ſenſus eſt neceſſariò vel exterior, vel interior. His non eſt accedendum; Philopono quidem, quoniam nulla ratio eſt, cur hic oſtendatur mentem non eſſe corpus, quod nemo non poteſt intelligere & ex veterum philoſophorum confutatione, & ex animæ definitione. Nec præterea tribuendum eſt Ariſtoteli, quòd monſtret mentem non eſſe formam, quæ corpore tanquam inſtrumento vtatur, eo argumento, quia huius nullum eſt inſtrumentum, nam hic ſumeret id, quod eſt concludendum, quandoquidem non vti corpore tanquam inſtrumento idem prorſus eſt, quod carere inſtrumento. Atque huic difficultati Simplicius quoque eſt obnoxius, dum putat Ariſtotelem oſtendere mentem non eſſe vitam, quæ corpore vtatur tanquam inſtrumento, quoniam ipſius eſſet aliquod inſtrumentum. Hanc difficultatem Auerroes ſanè euitat, ſed in ſua explicatione multa ſumit, quorum in verbis Ariſtotelicis nulla ratio habetur; nec firmiter attributum confirmat, quoniam ſi quis ſtatuat cum Alexandro mentem eſſe virtutem temperationi adiunctam, hic non neceſſe habet fateri mentem eſſe formam, quæ ad omnem ſui muneris functionem poſtulet inſtrumentum: nec præterea cogitur affirmare mentem non poſſe recipere niſi formas indiuiduas & ſingulares, quandoquidem reſponderet iſtud ſequuturum, ſi mens ſic formas reciperet, vt fieret harum materia, atque ſubiectum, quo pacto materia recipit; ſed eius recipiendi modus longè diuerſus eſt, atque huius diuerſitatis ea eſt ratio, quia ſi mens noſtra ſic formas ſuſciperet, vt harum ſubiectum efficeretur, & more materiæ, formas, quas ſuſcipit, non cognoſceret; nam cùm obiectum habeat rationem mouentis; atque in omnibus oporteat id, quod mouet, disiunctum eſſe ab eo, quod mouetur, nulla materia, nullumque ſubiectum poteſt iudicium ferre de forma in ipſo hærente, vt etiam præclarè admonemur a Themiſtio ferè ſub exitum lib. 2. de anima: Quapropter cùm mens noſtra formas, quas ſuſcipit cognoſcat, nequit fieri, vt eius ſuſcipiendi modus ſit more materiæ, ſed eſt

per

per modum naturæ cognoſcentis, quo modo ab ipſa, cùm ſit ſingularis, poſſunt ſuſcipi formæ vniuerſæ, quippe quæ ſuſcipiantur non eo pacto, vt hæreant in mente ſuſcipiente tanquã in ſubiecto, per quod diffundantur; ſed ita, vt inſint in mente veluti id, quod apprehẽditur cognitione, eſt in natura cognoſcente: Formas enim vniuerſas hoc modo ſuſcipi nihil aliud eſt, quam has apprehendi non apprehenſa materia, neque illis naturis apprehenſis cum quibus ſunt connexæ & complicatę. Alexandrei huius attributi duas afferunt explicationes, in quarum altera inquiunt hoc attributo ſignificari mentem non aliqua corporis parte, ſed ſe ſola excipere rerum intelligibiliũ ſpecies; in altera ſentiunt Ariſtotelem mentis nomine intelligere facultatem & aptitudinem ad formas excipiendas ſcripturæ vacuitati, quæ in tabella eſt, vt ait Alexander in lib. 1. de anima cap. 24. non diſſimilem, atque hoc in loco nos docere hanc vim non eſſe corpori admixtam, ſed in ſola anima eſſe; qua in re differt à ſenſu, qui animæ & corpori eſt communis, & propterea vel toti corpori, vel cuidam corporis parti commixtus. Hi ſi perſpexiſſent has explicationes non cohærere cum pernicioſa ipſorum opinione, (quod loco idoneo declarabitur) eas ſanè abieciſſent, & alias fuiſſent commenti. Ego mentem non eſſe corpori commixtam interpretor mentem non continere aliquam corporis partem, qua tanquam ſede propria a reliquis animę partibus diſcludatur, quod aduerſum eſt iis, quæ à Platone in Timæo tradita ſunt; Hic cùm in nobis tres animas poſuiſſet rationalem, iraſcibilem, & concupiſcibilem atque rationalem, in qua mens ineſt, ſtatuiſſet immortalem, reliquas interitui obnoxias, ne harum mortalitate illius immortalitas coinquinaretur, animam immortalem in capite, & caducum animæ genus in præcordiis collocauit: Hoc autem decretum diſplicet Ariſtoteli, qui & in lib. 1. de anima 92. difficile eſſe ſcribit animo complecti quam corporis partẽ mens contineat; & hoc in loco idem hoc attributo ſignificat, vt ego exiſtimo, & interpretor: Hoc autem attributum ita colligitur: Si mẽs eſſet corpori admixta, & aliquam corporis partem contineret, quo pacto vis videndi oculis eſt admixta, oculóſque continet, atque de ſententia Platonis iraſcibilis in cor-

K de,

de, concupiſcibilis in hepate, & rationalis, cui mens perpetuò hæret, in cerebro collocatur, qualis vtique eſſet, & calida aut frigida, quod pugnat cum ijs, quæ de ipſius natura proximè fuerunt conſtituta, quæque ſunt mentem, antequam intelligat, nihil actu eſſe eorum, quæ ſunt: Huius conſequutionis ratio eſt, quia ſi mens aliquam corporis partem contineret, eius vis & natura ſita eſſet in aliqua primarum qualitatum temperatione ipſam cum ea, quam continet, corporis parte colligante; quapropter eſſet cuiuidam modi, nimirum calida aut frigida, & omnino illius modi, cuius eſt temperatio. Amplius ſi mens eſſet corpori admixta, & aliquam contineret corporis partem, inſtrumentum aliquod haberet, non ſecus ac ſenſus, ad ſuum munus obeundum: ſed nullum inſtrumentum fuit menti à natura datum, quo fungatur ſuo munere; non igitur mens corpori eſt admixta, & continet aliquam corporis partem. Aſſumptum videtur euidens; & connexum ex eo intelligitur, quia ſi mens aliquam corporis partem contineret, hæc corporis pars, cui eſſet admixta, ipſi ſeruiret tanquam inſtrumentum. Atque hæc eſt huius attributi explanatio, ex qua liquet nequaquam in hoc Ariſtoteli fuiſſe propoſitum ſignificare noſtram mentem eſſe à corpore diſiunctam, atque ex corpore non pendere, vt plerique huius loci interpretes animæ noſtræ immortalitatis amantiſſimi opinantur.

Ex ijs, quæ traduntur in tex. 20. libri 3. de anima, non intelligitur mentem noſtram eſſe aut mortalem, aut immortalem.

Cap. XIII.

RElinquitur locus, qui in eodem lib. tex. 20. ita ſe habet:
„ Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impatibile eſt, mens autem patibilis eſt corruptibilis, & ſine
„ hac nihil intelligit. Quæ ſit quæſtio, quæ hic ſoluitur, interpretes ſunt grauiſſimè inter ſe diſſentientes. Nonnulli apud Themi-

Themiſtium dixerunt Ariſtotelem dubitare, cur in hac vita earum rerum non recordemur, quas mens efficiens per ſe ipſa, & antequam nobiſcum copularetur, verſauit, intellexitque. Cum his Simplicius aliquatenus conſentit, qui ſcribit, cùm proximè cõſtitutum ſit animam eſſe æternam, in quęſtionem venire, quare ea, quæ ortum noſtrum anteuertunt, longè à noſtra memoria abſint, ſi ab æterno tempore anima & vniuerſa mens noſtræ naturæ extitit. Vicomercatus duas affert interpretationes, in quarum altera mouet hanc dubitationem de reminiſcentia, quamdiu viuimus, hunc in modum: Si mens humana ſemper intelligit, vt dictum eſt, vnde accidit, quod earũ rerum, quas didicimus, ſæpè non reminiſcamur? In altera verò dubitationem mouet, poſtquam vita functi ſumus, vt ſit ſententia: Si mens eſt immortalis & perpetua, quare poſt mortem nõ reminiſcimur earum rerum, quas in hac vita intelleximus? Hæc poſterior Vicomercati interpretatio fuit Themiſtij, & aliorum multorum eſt communis dicentium hanc quæſtionẽ eſſe, cur poſt mortem non teneamus earum rerum memoriã, quas in hac vita mente accepimus. Auerroes & ipſe duas affert explanationes, in quarum priore Themiſtiũ ſequitur & alios, de quibus proximè dictum eſt, in poſteriore ita ſentit: Si mens materialis æterna ſtatuatur, omnino videtur, vt mens ſpectatiua quoque ſtatuatur æterna: at ſi hæc eſt æterna, planè ſequitur in hac vita eorum, quę antè euenerunt, & poſt mortem eorum, quæ in hac vita intelleximus, manere nobis memoriam ex neceſſitate: nam ſicut mens, qua ego intelligo, antequam ego eſſem, & ipſa fuit re vera id, quod eſt, & intellexit in ſingulis hominibus, qui me ætate anteceſſerunt, ſic fortaſſe ego in hac vita eadem mente recordari deberem eorum, quæ alias ab eadem mente fuerunt comprehẽſa, quòd ſi copulatio cum corpore tantum poteſt, vt horum memoriam e mente auferat, hæc ſaltem deberet reminiſci ſuæ ſubſtantię, & quòd olim ab hoc corpore diſſociata in rerum natura extiterit: Putant alij Ariſtotelem docere noſtrum ſcire non eſſe reminiſci & recordari, nam cùm proximè dictum ſit mentem noſtram eſſe immortalem atque æternam, hinc ſibi poſſet aliquis perſuadere verum eſſe Platonis dogma, quo ſtatuitur ſcientiæ adoptio-

nem eſſe reminiſcentiam. Omnes hæ explicationes ſunt dubię & incertæ, prima quidem, quia cùm mens efficiens ſit Deus, eſt omnino ab re Ariſtotelem quærere, cur non recordemur earum rerum, quas mens efficiens, antequam nobis iungeretur, intellexit. Quod ſi cum Simplicio pro mente efficiēte ſubſtituatur anima, dubitationis ſolutio erit parum accommodata, quoniam nos non recordari eorum, quæ noſtrum ortum antegrediuntur, colligendum eſt, non ex eo, quòd mens patibilis eſt obnoxia interitui, ſed ex eo, quòd hæc mens facta eſt, cum ante non eſſet. Adiungendum eſt hunc animę, mentiſque noſtræ ſtatum hanc vitam antecedentem eſſe improbabilem, neque illius vllam poſſe rationem afferri ex Ariſtotelis doctrina erutam, & propterea par non eſſe Ariſtotelem habuiſſe in animo propoſitam memoriam eorum, quæ noſtrum ortum antegrediuntur. Nec ſecus caſtigatur expoſitio illorum, qui cenſent nos doceri noſtrum ſcire non eſſe reminiſci. Sed nec etiam fieri poteſt, vt memoria eorum, quæ in hac vita geruntur, Ariſtoteli in mentem venerit, quoniam etſi mens patibilis ſit caduca, attamen hæc cùm in nobis ſit, quandiu viuimus, eius caducitas non poteſt eorum obliuionem inducere, quæ tempore antecedente didicimus. Nec denique Ariſtoteles poteſt ambigere, ecquid ſit, cur poſt mortem non recordemur eorum, quæ in hac vita intelleximus, quoniam non eſt facilè intelligere, vnde Ariſtoteles cognouerit poſt animæ ab hoc corpore diſceſſum non manere memoriam, vt adeo aſſeueranter audeat hoc affirmare. Hoc quidem Themiſtius conatur perſuadere eo argumento, quòd nemo poſt occaſum exerceat inimicitias, nemoque tot ſeculis eorum, qui perierunt, amicis ſuis & cognatis apparuerit: verùm hoc eſt incertum, & pugnat cum multorum perſuaſione. Mea eſt opinio dubitationē propoſitam eſſe hoc pacto accipiendam: Si mens efficiens eſt ſua natura actu mens & actu intelligibilis, atque ſua natura eſt immortalis & æterna, cur non ſemper illius recordamur? hoc eſt, cur non ſemper illam intelligimus, menteque tenemus comprehenſam? Etenim cauſſa, cur alia non ſemper intelligamus, habeamusque mente comprehenſa, ea eſt, quia tunc ſolùm intelliguntur, cùm actu ſunt mens, actuque intelligibilia; quam-

obrem

obrem quoniam hęc non ſemper ſunt huiuſmodi,deſinuntque eſſe actu mentes actuque intelligibilia, efficitur, vt eorum non ſemper recordemur,nec ſemper ea intelligamus: Et verò cùm mens efficiens ſemper ſit mens actu, ſemperque actu intelligibilis,quia ſua natura eſt huiuſmodi, cumque ſit immortalis & æterna,non iniuria dubitatur, ecquid cauſſæ ſit, cur non ſemper hanc intelligamus, non habeamusque mente comprehenſam,ſiue,vt dubitabat Theophraſtus apud Themiſtium in lib. *3*.de anima *30*.& *39*.cur non ſemper moueat noſtram mentē, aut vnde nobis illius obliuio accidat. Hoc in loco verbum,recordari, non incommodè accipitur pro intelligere ,quoniam recordatio,quæ propriè dicitur, eſt ſolius facultatis imaginatricis, vt in lib.de mem.& rem. non obſcurè docemur; quapropter quoniam hic tribuitur menti, non tenet proprium ſignificatum,ſed idem eſt, quod intelligere; in quem quoque ſignificatum aliquis fortaſſe exiſtimabit vſurpatum fuiſſe in lib. 1.huius operis *66*.quo in loco cùm ſcriptum ſit ratiocinari & amare non eſſe mentis paſſiones, ſed illius, quod mentem habet,ac propterea hoc corrupto non recordari,nec amare: verbum recordari poteſt videri ſumptum pro ratiocinari ; quod eſt quoddam intelligere. Huic interpretationi acceſſit Plutarchus apud Philoponum , de cuius ſententia hic quæſtio explicatur,quæ ſupra in tex.1*6*.fuit propoſita,cur ſcilicet mens noſtra non ſemper intelligat . Hanc dubitationem Ariſtoteles tollit inquiens licèt mens efficiens ſit impatibilis & immortalis, attamen noſtram mentem patibilem eſſe interitui obnoxiam , & ſine hac animam quicquam non intelligere. Quid Ariſtoteles intelligat mentis patibilis vocabulo, varia eſt expoſitio: D.Thomas ſentit hac voce ſignificari partem animæ ſentientem,quæ dicitur patibilis, quoniam in ea reſident animi affectiones , quæ fluunt ab aliqua corporis paſſione, mens verò , quia rationi obtemperat , & obtemperando fit aliquo pacto compos rationis& intelligentiæ,vt ſcribitur ſub exitum lib.1.Ethic. ad Nicom. In eadem opinione Themiſtius poteſt videri extitiſſe, qui autumat mentem patibilem eſſe eam animæ partem, ad quam pertinet amare , odiſſe, meminiſſeque, mortalem,patibilem,inſeparabilem,& corpori commixtam,

cum

cum qua omnia, quæcunque ſunt hic, intelligimus, & quam Ariſtoteles in lib. 1. huius operis mentem communem appellauit. Philoponus ſentit mentem patibilem eſſe vim imaginatricem, & eiuſdem opinionis eſt Suidas, qui ſcribit hanc vim nominari mentem, quia non ſecus ac mẽs intus habet id, quod cadit in cognitionem, iſtudque ſimplici apprehenſione comprehendit, patibilem verò, quoniam eius apprehenſio eſt cum figuris & ſimulachris, ac non ſine formis & ſpeciebus. Inquit Simplicius mentem patibilem eſſe mentem progredientem, quæ propterea dicitur mortalis, non quia ad non eſſe progrediatur, ſed quòd meliorem eſſentiam, & digniorem conditionem conſequatur, cùm ex imperfecta & rebus materiatis corporiſq; permixta efficitur tandem perfecta & ſeparata. Auerroes intelligit tres vires animæ ſentientis interiores repreſentantes nobis formas rerum ſenſibilium a noſtro conſpectu remotarum, hoc eſt imaginatricem, cogitatricem, & rememoratricem, præcipuè autem cogitatricem. Alexander apud Auerroem mentem patibilem interpretatur eſſe mentem noſtram, quam ortui & interitui obnoxiam ſimpliciter ſtatuit. Ego huic accedo, nam mens noſtra ſatis accommodatè ſuſcipit mentis patibilis appellationem, quoniam intelligere, quod ipſius eſt munus, eſt quoddam pati in tex. 2. huius lib. & quoniam ipſa fit omnia in huius quoque libri tex 18. quod non eſt abſque perpeſſione; ſine hac verò non intelligit anima, quoniam eſt principium, & ea pars, qua intelligit anima initio huius libri. Porrò Ariſtoteles inquit hanc eſſe caducam, non quia, vt cenſet Alexander, deſinat eſſe ſimpliciter, & omnino interitum ſubeat, ſed quia non ſemper eſt mens actu, actuque intelligibilis: quocirca cùm anima noſtra tunc ſolùm intelligat, cùm hęc mens ſit actu mens, actuque intelligibilis, efficitur, vt non ſemper intelligamus mentem effectricem, tametſi hæc ſua natura ſit actu mens, actuque intelligibilis: Atq; hinc quoque cauſſa dilucet, cur ſimpliciter & abſolutè non ſemper intelligamus, quod ſupra in tex. 16. quæſitum fuit, eiuſque explicatio in aliud tempus dilata: Quamobrem non omnino improbabilis eſt Plutarchus, qui ſentit hoc in loco quæſtionem hanc explicari. Neç ſanè occaſio deeſt, cur hæc quæſtio hic explice-

plicetur, nam cùm dictum ſit mẽtis efficientis opera noſtram mentem ex poteſtate in actum progredi, fierique actu mentem, actuque intelligibilem & intelligentem; atque mens efficiens ſua natura ſit actu mens, actuque intelligibilis & immortalis, non ab re dubitauerit aliquis, ecquid cauſſæ ſit, cur non ſemper intelligamus. Soluitur hæc dubitatio, quia licèt mens efficiens ſit huiuſmodi, attamen mens noſtra non ſemper eſt actu mens, actuque intelligibilis, & ſine hac quippiam non intelligitur à nobis. Atque hæc conſentiunt cum iis, quę in com. in lib. Theophraſti de phantaſia & intellectu ſcribuntur à Priſciano lydo, quæque ſunt, Theophraſtũ dubitaſſe, quare cùm mens ſuperior nunquam non adſit animæ noſtræ, hæc non ſemper intelligat, atque huius rei cauſſam contuliſſe in id, quia anima non ſemper vtitur mente, quippe quæ conuertatur ad corpora; hoc eſt, quia mens noſtra non ſemper eſt actu, & in opere poſita, & ſine hac nihil intelligit anima noſtra. Cæterùm ſiue Plutarchi interpretatio, ſiue altera, quam ego attuli, fuerit amplexata, ſatis perſpicuum eſt hunc locum noſtræ mẽtis immortalitati non patrocinari; neque præterea, quod credidit Pomponatius, ex hoc intelligi noſtram mentem eſſe caducam, & cum corpore intereuntem.

Argumentis ex Ariſtotelis doctrina erutis concluditur animam noſtram eſſe immortalem.

Cap. XIV.

CVm loci, qui multos induxerunt, vt ſcriberent Ariſtotelem approbaſſe noſtræ mentis immortalitatem parum momenti habeant ad hanc colligendam, argumenta ſunt conquirenda, quibus conficiatur propoſitum. Et ſanè, vt arbitror, non eſt, vt quiſpiam fidat vllo Ariſtotelis loco, quoniam cùm hic nunquam fuerit in hac quæſtione verſatus, nec vnquam habuerit neceſſe de hac re quicquam dicere, quippe

qui

qui animam fuit contemplatus, qua ex parte eſt principium animalium, omnes illius loci ita poſſunt explicari, vt in eis nulla habeatur ratio animæ noſtræ immortalitatis. His itaque poſthabitis conficiendum eſt argumentis ex eius doctrina erutis ipſum approbaſſe animæ, mentiſque noſtræ immortalitatem: multis autem valere iuſſis, ex quibus Alexandrei poſſunt haud difficulter ſe expedire, pauca, cæteriſque (ni fallor) firmiora in medium afferentur. *Principiò* ſi anima noſtra vna cum corpore intereat, efficitur, vt homo finem ſibi a natura præſtitutum nunquam aſſequatur: atqui iſtud eſt in maximis abſurdis; ergo fieri non poteſt, vt hominum animæ occidant corporibus diſſolutis. Aſſumptum illud confirmat, quòd Deus & natura nihil temere fortuitoque faciunt lib. 1. de cœlo 32. at verò ſi homini nunquam fuerit conceſſum, vt eum finem conſequatur, ad quem fuit a natura procreatus, & cuius tenet ingeneratam cupiditatem, Deum & naturam aliquid temerè ac fortuitò commiſiſſe erit confitendum. Connexum ex eo poteſt ſciri, quòd finis, ad quem facti ſunt homines, poſitus eſt in Dei cognitione, quam nemo mortalium ſibi poteſt in hac vita caduca polliceri. Sed quoniam hęc multis obſcura poſſunt videri, ex obſcuritate ſunt a nobis vindicanda: primùm autem Ariſtotelis veſtigijs inſiſtentes declarabimus hominis finem in Dei cognitione contineri; mox fieri non poſſe, vt de ſententia Ariſtotelis homo hoc craſſo, concretoque corpore indutus explicatam habeat Dei notitiam. Hominem habere aliquem finem ſibi præſtitutum, ad quem ſuas actiones, ſuaſque cogitationes referat, inter omnes conuenit, non enim cum ratione conſentit homini, qui huius vniuerſitatis pars eſt præſtantiſſima, nihil pro fine & extremo propoſitum eſſe, cùm res omnes inanimæ, & ratione carentes finis cuiuſdam appetitione moueantur: Quod ne cui dubium ſit, oculi conijciantur in quatuor elementa, attentoque animo conſiderentur ſtirpes & animalia rationis & orationis expertia, nam planè conſtabit horum omnium officijs & functionibus bonum aliquod & extremum eſſe conſtitutum, propter quod ſuſcipiuntur, & exercentur. Non eſt igitur, vt cuique dubitandum accidat hominem, qui his longè ac multùm dignitate præſtat, bonum

aliquod

aliquod appetere, huiuſque gratia ſua omnia opera efficere. Hunc finem in propria hominis functione conſiſtere id declarat, quòd eorum omnium, quorum aliquod opus eſt, vel actio, finis ac perfectio in opere ipſo & muneris functione locatur, ſic tibicines, ſic pictores, ſic denique cuncti artifices finem artis ac perfectionem in opere & actione conſtituunt; quapropter & homo, qui ad otium minimè natus eſt, in propria muneris functione ſuum finem ſitum ac poſitum habebit. Propria hominis functio dicitur ea, quæ ita ſua eſt, vt ſoli ipſi adſit, & non alij; hæc verò eſt mentis actio, cuius homo ſolus eſt factus particeps ex omnibus caducis animantibus: Non enim actiones, quæ in alendi, augeſcendi, & gignendi ratione conſiſtunt, in proprijs hominum functionibus ponendæ ſunt, quòd hæ prodeant à cunctis corporibus animatis, nec præterea illæ, quæ in ſentiendo poſitę ſunt, nam hæ communes ſunt & equi, & bouis, & cæterorum mutorum animalium: At verò his remotis duntaxat relinquitur mentis actio, qua vnus homo fuit à natura donatus ex ijs omnibus, quæ incolunt hanc rerum caducarum vniuerſitatem: Itaque hæc ſola erit propria hominis functio, quòd & hinc poteſt intelligi. Omnis natura, quæ non ſimplex, ſolitariave ſit, ſed multis ex rebus conflata conſiſtat, illud ipſum propriè eſt, quodcunque eſt illa ſui pars, quæ in ipſa princeps exiſtit, cuique in compoſitione traditus eſt principatus: Quapropter cùm in homine longè dominetur mens, principatúmque teneat, quicquid eſt ipſe, totum id ex mente manabit, vt id ipſum planè ſit homo, quodcunque eſt mens, vt ſcriptum eſt in lib. 9. Ethic. ad Nicom. cap. 4. & 8. atque in lib. 10. cap. 7. Neque hoc ſoli Ariſtoteli fuit probatum, ſed & Platoni, omnibusque Platonicis ita vehementer placuit, vt in eo omnis huius familiæ conſenſus mirabiliter conſpirauerit. Cùm verò proprium atque princeps mentis munus ſit in ijs, quæ ſibi perpetuò conſtant, verſari, atque in his perſpiciendis ſuam operam ponere, neceſſaria ſequitur, quicquid huius eſt muneris, homini propriè tribui, atque hunc in contemplatione, ac rerum cognitione finem ſuum ac vltimum poſitum habere. Hoc cùm Pythagoras probè teneret, dixit Iamblico in lib. de ſecta Pythagorica referente hominem à

Deo eſſe factum ad cognoſcendum & contemplandum. Cum Pythagora conſenſerunt non ſolùm omnes ipſius amaſij, quãdoquidem apud Stobæum in ſerm. de virtute Perictyones Pythagoræ alumna, & Euryphamus Pythagoricus ſtatuerunt hominem fuiſſe conditum vt res naturæ contempletur; verùm etiam Epictetus & Arrianus Stoici, qui ſcripſerũt Deum introduxiſſe hominem in hunc mundum, vt eſſet ſui, ſuorumque operum contemplator. Huius quinetiam argumento eſſe poteſt contemplationis & cognitionis amor, qui in homine ſic inſitus eſt, vt ſæpè neglectis publicis priuatiſque rebus ad res contemplandas & cognoſcendas ipſe rapiatur. Idem præterea declarat hominis figura, quem, vt in rebus contemplandis & perſpiciendis commodè verſaretur, celſum rectumque fuiſſe conſtitutum, & oculos obtinuiſſe altiſſimum locum tenentes clarè teſtantur Plato in Timæo & in lib. 7. de Repub. Xenophon in lib. 1. de dictis & factis Socratis, Ariſtoteles in lib. 1. de part. animal. cap. 4. Lactantius in lib. 2. inſt. diuin. cap. 1. Gregorius Nyſſenus in lib. de hominis opificio, & D. Auguſtinus in lib. 22. de ciuit. Dei cap. 24. Quapropter non ab re priſci illi ſapientes, qui apud Græcos nomina rebus poſuerunt, ſolum hominem ex omnibus animantibus ἄνθρωπον nominarunt, vt quis ſit Platone in Cratyllo interpretante ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, hoc eſt eorum quæ vidit, oculiſque percepit, contemplator: Porrò cùm res, quæ cadunt in mentis contemplationem, variæ ac multiplices ſint, harumque aliæ cum materia copulatæ, & aliæ ab hac diſiunctæ, hominis finem par eſt in earum rerum cognitione locari, quæ ſine materia cohærent, quòd omnium philoſophorum conſenſu id finis & vltimum hominis dicitur, quod antèquam acquiratur, propter ſe ab homine expetitur, atque vbi fuerit acquiſitum, ita explet hominis appetitum, vt nihil præterea deſideretur: & huiuſmodi eſſe rerum diuinarum ac Dei immortalis notitiam certius eſt, quàm vt egeat perſuaſione. Rerum ſanè minorum cognitio eſt per ſe expetenda, verùm mentibus noſtris facere ſatis non valet, quæ nunquam acquieſcunt, nunquam inueſtigandi curam deponunt, niſi illius ſummi rerum moderatoris cognitionem aſſequantur, à quo veluti à fonte & origine fluunt om-

nia,

Digitized by Google

nia, cùm ipſe ingenitus ſit, ex nulloque dependens. Ex his liquet ſedem hominum finis in Dei cognitione poſitam eſſe, atque iſtud puto Moyſem in animo habuiſſe propoſitum, cùm ſcripſit Deum feciſſe hominem ad ſui imaginem & ſimilitudinem: Etenim in hoc ſacrarum literarum loco explicando licèt non ignorem. Melitonem, Tertulianum, Baſilium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, & alios viros clariſſimos multa ſcripſiſſe de eo, in quo ratio huius imaginis conſiſtit, atque Theodoretum hoc non ſatis exploratum habuiſſe; & Epiphanium ſic obſcurum idem putaſſe, & ſoli Deo cognitum eſſe crediderit; attamen arbitror hinc non incommodè intelligi poſſe hominem eſſe conditum ad Dei contemplationem, huiusque gratiâ in hanc lucem veniſſe, ſiquidem Dei cognitio eſt imago & ſimilitudo Dei: Enimuero quemadmodum oculus cùm candorem aſpicit, quodam modo exalbeſcit, eodemque colore ſemper aliquo pacto coloratur, quem intuetur, ita mens & natura intelligens id penè euadit, eiuſque fit ſimile, quod cadit ſub ipſius intelligentiam: quocirca Dei cognitio nihil aliud erit, quàm Dei imago & ſimilitudo, hominemque factum eſſe ad Dei imaginem & ſimilitudinem nihil aliud fuerit, quàm hominem genitum eſſe, vt Deum immortalem contempletur. Sequitur, vt ad alterum aggrediamur, atque monſtremus fieri non poſſe, vt noſtra mens incluſa cæco huius corporis carcere perfectam adipiſcatur Dei cognitionem. Dogma eſt Ariſtotelicum aduerſarijs minimè diffitentibus animam noſtram huic corpori coniunctam nihil omnino intelligere abſque phantaſmate; quod quoque conceptis verbis affirmat, & argumentis concludit D. Thomas in 1. p. quæſt. 84. ar. 7. Si igitur phantaſmata ſunt duntaxat earum rerum, quæ noſtris ſenſibus occurrunt, & minimè rerum à materia ſeparatarum, conficitur nos Dei vim & naturam perfectè apprehendere non poſſe. Atque iſtud perſpicuè ſignificauit Ariſtoteles, cùm in lib. 3. de anima 36 dubitauit, nunquid fieri poſſit, vt mens noſtra corpori coniuncta intelligat aliquid eorum, quæ ſunt à magnitudine ſeparata. Et ſanè ſi idem ſcripſit in lib. 2. de cęlo, & ſub exitum lib. 1. de part. animal. nos modicè ac leuiter attingere ea, quæ ſunt corporum cœleſtium, quòd horum acci-

L 2 den-

dentia ſenſibus noſtris parum ſunt expoſita, quis non ſentiat Dei vim & naturam nos probè cognitam, planeque perſpectam habere non poſſe, quæ a noſtris ſenſibus longiùs eſt disiuncta? Videat igitur Auerroes, quid ſibi in mentem venerit, cùm ſtatuit mentem noſtram huic corpori præſidentem eò perfectionis poſſe peruenire, vt perſpicuè intueatur mentium beatarum naturam, quæ tam longè abeſt à ſenſuum notitia, quàm quod maximè. Nec verò exiſtimandum eſt rudem & imperfectam Dei cognitionem, quæ ſenſibus miniſtrantibus paratur, eſſe hominum finem, nam hunc in enucleata & explicata Dei cognitione contineri illud monſtrat, quòd cùm mẽs humana Deum intueri mirabiliter cupiat, nunquam acquieſcit in obſcura & craſſa Dei notitia, quam ſenſibus haurit, ſed meliora expetens ſemper longiùs progredi conatur: Quapropter ne inane ſit eius deſiderium, fateri oportet eam corpore diſſoluto manere, cuius vinculis ſoluta Dei vim ac naturam perſpicuè intueri poteſt, planèque apprehendere, in qua apprehenſione ſitus eſt finis, ad quem eſt procreata. Quòd ſi aliquis non ſe tanti faciat, vt exiſtimet ſe ad Deum contemplandum fuiſſe natum, ſed rerum in ſenſus cadentium contemplatione contentus hanc vnam intueatur, & ad hanc vnam omnia ſua ſtudia referat, hic nihiloſecius neceſſe habebit fateri hominis animam corpori mortuo ſupereſſe. Etenim ſi in his rebus contemplandis conſiſtit noſter vltimus finis, par eſt, vt ea ſola contemplatio ſit noſtra quies, qua explicatiſſimè comprehenduntur ea, quæ cadunt in contemplationem, quippe ſola hæc eſt aptè nata noſtrum animum explere: verùm quia in hac vita nulla huiuſcemodi contingit nobis contemplatio, concludẽdum eſt, ne ad contemplationem fruſtra facti ſimus, noſtras animas cum corporibus nullo pacto interire. Nos in hac vita res haſce ſenſibiles nequaquam explicatè comprehenſas habere argumento eſt, quòd certa ſuiſque numeris abſoluta rei comprehenſio, quam appellamus ſcientiam, tollit omnem dubitationem, in noſtriſque animis immutabiliter defigitur: & nulla ſcientia humanitùs comparata eſt in nobis immutabilis, & à dubitationibus diſiuncta: etenim licèt homines quantum maxime poſſint in rebus perſpiciendis inſudent, at-

tamen

tamen has nunquam ſic comprehendunt, vt ab omni dubitatione vacui ipſarum cauſſas & rationes teneant, ſed ſenſuum tenebris circumfuſi in his cognoſcendis plus aut minus hallucinantur, quod cùm non ignorent, nunquam non dubitant, ſępeque eadem de re mutant ſententiam: Atque iſtud perſpicuè ſignificauit Eccleſiaſtes, de cuius ſententia in ca 8. homo nullam poteſt operum Dei rationem inuenire, & quo plus temporis poſuerit in horum inueſtigatione, eò minus ipſa habebit comperta. Nec verò idem latuit Ariſtotelem, qui initio lib. 1. meteor. teſtatus eſt ſe eorum, quæ fiunt in ſublimi, in quibus percipiendis nemo non fatetur non multam eſſe difficultatē, alia addubitare, & alia modo quodam habere percepta. Nec præterea idem poteſt Peripateticos fugere, in quibus ſic magna eſt opinionum varietas, & diſſenſio, vt ſi de aliquo magiſtri dogmate interrogentur, vix dua ſint idem reſpōſuri. Cùm igitur appetitus ſcientiæ & contemplationis, ad quam facti ſumus à natura rerum omnium parente, in hac vita, & ſenſuū miniſterio non poſſit expleri, fatendum eſt, ne is ſit inanis, nos manere aliam vitam multò beatiorem, in qua diuinæ eſſentiæ intuitu famem ſitimque contemplationis & cognitionis depellemus. Et cùm fœlicitas ſit res iucundiſſima lib. 1. Ethic. ad Nicom. cap. 8. atque in hac fragili vita contemplatio ſit laborioſa, & quod eſt laborioſum, id ſit moleſtiæ plenum, qui fieri poteſt, vt nos mortalem hanc vitam agentes fœlicitatem ex contemplatione manantem conſequamur? Laborioſam eſſe diuturnam in hac vita contemplationem declarat experientia: & illud confirmat, quòd cùm noſtra eſſentia nequaquam in hoc conſiſtat, quod eſt actu contemplari, cætero quin nunquam non contemplaremur, neceſſe eſt, vt aſſidua contemplatio inducat laborem; hinc in lib. 12. poſt nat. 51. concluditur in prima mente eſſentiam eſſe idem, quod eſt actus intelligendi, quia intellectionis continuatio non eſſet ipſi citra laborem: Et hoc ſanè conſentit cum Eccleſiaſte, qui in cap. 1. hominum occupationem in rebus inueſtigandis & contemplandis appellauit peſſimam, hoc eſt moleſtam & laborioſam. Optima igitur ratione negauit Plato nos beatos eſſe poſſe, niſi poſtquam mens à terrenis vinculis ſoluta in naturam ſuam libera

bera redierit. Vbi enim non eſt iucunda, claraque Dei, ac naturæ operum apprehenſio, mentiſque noſtræ quies, ibi fieri non poteſt, vt ſit noſter vltimus finis, & ſedes noſtræ beatitudinis. Pomponatius, vt ab hoc argumento ſeſe abſoluat, multa dicit, primumque ſtatuit hominum genus vnius hominis ſingularis gerere ſimilitudinem, nam vt hic ex multis varijſque partibus conſtat, quarum multa variaque ſunt officia, ita in hominum genere licet intueri alios alia ac diuerſa exequi munera, quæ quidem munera prodeunt a tribus mentibus effectiua, actiua, & ſpectatiua, quibus vniuerſum hominum genus fuit donatum: tum hinc concludit, quemadmodum ſingulæ corporis partes ſingulos, proprioſque habent fines, qui omnes ad vnum, eumque omnium corporis partium communem referuntur qui eſt ſalus & incolumitas totius corporis, eodem modo ſingularia ſingulorum hominum officia ad vnum communem finem referri, qui eſt totius humani generis ſalus, quæ conſtare non poteſt, niſi hominum alij in rebus efficiēdis verſentur, alij in agendo poſiti ſint, & alij in rebus contemplandis ſuam operam locent: Deinde adiungit duplicem eſſe hominum fœlicitatem, alteram omnibus communem, alteram propriam, atque priorem in hoc ſitam eſſe, quòd eſt fungi harum mentium muneribus, qualia qualia fuerint; & quamuis hominibus ſingulis minimè fuerit datum omnia hæc munera exequi, ſed alij hoc, alij illud, & alij aliud obeant, non eſſe tamen, vt hoc cuiquam videatur præter rationem, nam & ſingulis noſtri corporis partibus ſic ſingula officia fuerunt tributa, vt quod eſt vnius, id ab altera non exerceatur: & licèt præterea hominum alij in officijs minus præſtantibus verſentur, & alij in magis honore dignis, non eſſe tamen, vt in his alter alteri inuideat, ſed vnuſquiſque ſuo contentus officio in hoc ſe debet omni cura, & ſtudio exercere, non ſecus ac cernatur in noſtri corporis partibus, quę ſic ſua munera habent propoſita, tametſi aliud alio ſit præſtabilius, vt altera alterius officium minimè appetat: Poſteriorem autem fœlicitatem ſingulorum hominum propriam conſiſtere in mētis actiuæ functionibus, nam mentem hanc eſſe hominis propriam, & vt homo benè ſe habeat, oportere, vt ijs virtutibus ſit ornatus, quæ, quòd mo-

re com-

re comparentur, appellantur morales. Poſtremò his hoc modo explicatis reſpondet neminem eſſe, qui in hac vita non cōſequatur finem, qui communiter homini eſt conceſſus, quanquam nequeat fieri, vt quiuis fiat illius particeps, qui proprius eſt partis pręſtantiſſimę, quique in contemplando poſitus eſt, ſicut nec quæuis pars corporis poteſt habere cordis, aut cerebri perfectionem. Hæc Pomponatius, quę à vero, & ab Ariſtotele abhorrent ;. Non ſunt vera, quoniam non eadem eſt ratio hominum, & partium noſtri corporis, nam corpus humanum eſt quoddam totum diſſimilare, cuius partes habent diuerſas formas & naturas, factæque ſunt vt diuerſis officijs ſeruirent, quæ officia non ipſis, ſed toti adſcribuntur; non enim oculus propriè videt, ſed homo miniſtrante oculo: at verò hominum genus eſt totum quoddam ſimilare, cuius partes non formis & naturis diſtinguuntur, nec ſic à natura ſunt paratæ, vt varia munera obeant, quippe quæ non ſic definita habent officia, vt vnus ſit aduerſum alterius munus ſuſtinere, ſed omnium eadem eſt natura, eademque ſunt munera ſecundum naturam, quæ munera ipſis, & non toti hominum generi tribuuntur. Non conſentiunt verò cum Ariſtotele, quoniam hic ſtatuit hominis fœlicitatem in præſtantiſſima hominis functione, atque hanc voluit eſſe contemplationem, quæ eſt opus mentis ſpectatiuæ proprium. Neque credendum eſt Pomponatio aſſeueranti Ariſtotelem eam fœlicitatem habere propoſitam, quæ parti hominum generis præſtantiſſimæ conuenit, & non illam, cuius particeps fieri poteſt hominum genus vniuerſum, quæ in actionibus virtute directis conſiſtit, nam Ariſtotelem eam fœlicitatem contemplari, quæ propria eſt vniuerſi hominum generis, conſtat ex lib. 10. Ethic. ad Nicom. cap. 8. quo in loco ſcribitur brutas animantes eſſe fœlicitatis expertes, quia nulla ex parte ſunt contemplationis participes; atque eouſque fœlicitatem ſe extendere, quouſque protenditur contemplatio, & quibus magis ineſt contemplatio, eos etiam eſſe beatiores, neque hoc per accidens, ſed ex ipſa contemplationis natura, quæ per ſe eſt honore digniſſima, maximique pretij. Eundem ſolidam ac veram hominum fœlicitatem non collocare in actionibus virtute directis conſtat quoque ex eiuſdem libri

cap. 7. vbi oſtenditur fœlicitatem, quæ per ſe eſt expetenda, atque in otio & quiete conſiſtit, non eſſe poſitam in actiuarum virtutum actionibus, quòd hæ omnes, ſiue ciuiles, ſiue bellicæ ſint, negotioſæ ſunt, & non per ſe expetuntur. Planè Dei quoque beatitudo in contemplatione conſiſtit, verùm inter hanc & humanam fœlicitatem tantum intereſt, quantum inter ſimulachrum & id, cuius eſt ſimulachrum; nam cùm Dei contemplatio ſit vera ſolidaque contemplatio, hominum autem adumbrata; atque illius modi ſit fœlicitas, cuius modi eſt cõtemplatio, relinquitur hominum fœlicitatem eſſe ſimulachrũ & veſtigium quoddam diuinæ beatitudinis, qua nihil iucundius, nihil bonis omnibus affluentius poteſt cogitari. Sed hactenus de hoc argumento.

Alijs argumentis ex Ariſtotelis doctrina erutis oſtenditur animam hominis eſſe immortalem.

Cap. XV.

Religionem eſſe vinculum, quo humana ſocietas continetur, & nemo non ſentit, & id argumento eſt, quòd nulla gens vnquam fuit, & eſt, quamuis fera & immanſueta, quæ religione aliqua non fuerit, & ſit obſtricta; verumenimuerò cùm religionis caput & fundamentum ſit animæ noſtræ immortalitas, quando quidem hæc ruere non poteſt, niſi & illa eodem motu labefactata concidat, quod pulchrè & eruditè his teſtatus eſt Aurelius Prudentius in lib. 2. contra Symmachum.

„ *Nam ſi tota mihi cum corpore vita peribit,*
„ *Nec poterit ſupereſſe meum poſt funera quicquam*
„ *Quis mihi regnator cœli, quis conditor orbis?*
„ *Quis Deus? aut quæ iam meritò metuenda poteſtas?*
„ *Ibo per impuros feruente libidine luxus.*
„ *Inceſtabo thoros, ſacrum calcabo pudorem;*

Inſi-

,, *Inficiabor habens aliquod ſine teſte propinqui*
,, *Depoſitum, tenues auidus ſpoliabo clientes,*
,, *Longæuam perimam magico cantamine matrem.*

Profectò quoniam Ariſtoteles clarè confeſſus eſt in lib. 1. polit. homines natos eſſe ad ſocietatem, vitæq; communitatem, concludendum eſt eum nos anima immortali donaſſe. Pomponatius reſpondet religionem eſſe hominum commentum, atque eam ob cauſſam fuiſſe paratam & inſtitutam, vt homines improbi pœnis diuinis perterriti à ſceleribus abſtinerent, & in officio continerentur. Hanc reſponſionem non eſt, vt quiſpiam putet ab Ariſtotele potuiſſe proficiſci, qui religionem ſemper magni fecit, nam in lib. 1. magnorum moral. cap. 6. ſi quis adeo intrepidus fuerit, vt non metuat Deos, hunc nō fortē, ſed inſanum eſſe ſcripſit: & in lib. 5. polit. cap. 11. admonet reges, vt Deorum religioni prę cæteris operam dent, quoniam populi minus verebuntur, ne in ſe aliquid contra iuſtitiā agant, ſi ipſos religioni deditos, Deorumque cultores exiſtimauerint, minuſque vitæ eorum inſidias parabunt, quos putauerint Deos habere adiutores. Et ne quiſpiam arbitretur ſat eſſe, ſi populi credant principes vereri Deos, nihilque intereſſe, ſi principes ficta ſimulatione decipiant, continuò ſubiungit principes debere ſe tales præſtare abſque vlla improbitatis ſuſpicione. Sed hanc reſponſionem eſſe deteſtabilem & execrandam declarant variæ pœnæ, quas qui religionem neglexerūt, diuinitùs pertulerunt; & teſtantur miracula innumerabilia, quæ propter religionem extiterunt; vt interim mittam, quod eſt hominum inuentum, id non tam latè patere, vt occupet gentes omnes, neque in eo tantam eſſe vim, vt auocet à voluptatibus, quas nemo non appetit, & ad quas homines ſic propenſis animis feruntur, vt quodcunque amarum exorbere ſint parati, ſi aliquod tempus in his perfruendis ponere ipſis fuerit conceſſum. Et ſi religio conſtat hominum inuentione, cùm huius fundamentum ſit animi noſtri immortalitas, qui poteſt fieri, vt homines ſe huic aſſuefaciant, ſi ipſorum anima & natura fuerit mortalis? quod enim connexum eſt cum eo, quod eſt aduerſum naturæ alicuius rei, hæc, vt illud amet, ac complectatur, nulla ratione poteſt aſſuefieri. Sed mittamus Pom-

ponatium nimis peruerſè de religione ſentientem, certoque teneamus, quicunque noſtris animis eripiunt immortalitatẽ, hos non intelligere ſe e mundo tollere hominum naturam, quæ, quòd facta ſit ad ſocietatem, hac diſſoluta non poteſt nõ diſrumpi, & ſocietas collabatur, oportet ſubductæ religione, quæ ſic cum animi noſtri immortalitate eſt connexa, vt huius ruina prorſus opprimatur; id quod Plotinus non ignorauit, qui in præcipuis rationibus quibus confirmatur animi immortalitas, ponit hanc, quia animus ſempiternæ vitæ cauſſæ Deũ colit, inſitamque habet religionis notionem. Ad hæc ſi anima noſtra interitui eſſet obnoxia, incurreret in interitum vel extincta à re contraria, vel ſubiecto, cui, quòd conſtet, acceptum fert, diſrupto: ſed noſtræ animæ nihil eſt contrarium, cuius vi perimatur; neque ea, quòd conſtet, & ſit ex materia, ſubiectove aliquo nanciſcitur: anima igitur humana ſeculis omnibus eſt immortalis. Connexum eſt Ariſtotelis in lib. de long. & breuit. vitæ aſſeuerantis formam his duobus modis labi in interitum, vel quia deſtruitur a forma contraria, vel quia eius ſubiectum corrumpitur. Aſſumpti pars prior, quæ eſt: Anima noſtra non habet quippiam ſibi contrarium, cuius efficacitate extinguatur, nullam habet dubitationem, nullamque propterea confirmationem deſiderat: At verò pars poſterior incerta eſt, ac plena controuerſiæ; quocirca danda eſt opera à nobis, vt rationibus confirmemus animam humanam ex ſubiecto & materia non pendere. Si anima humana, quòd ſit, per materiam cõſequeretur, ipſa vel eſſet primarum qualitatum temperatio, vel ex hac temperatione exiſteret: ſed neque hoc, neque illud poteſt defendi: non igitur hominis anima & mens, quòd ſit, per materiam conſequitur. Connexum caret omni difficultate, quandoquidem apud omnes Peripateticos in confeſſo eſt formam corporis mixti ex materia pendentem vel eſſe temperationem, vel ex hac effluere. Aſſumptum, quòd pertinet ad partem ipſius priorem, intelligitur ex Ariſtotele in lib. *3.* de anima *4.* & *6.* vbi aſſeueratur mentem noſtram eſſe immixtã, & vacuam ab ijs omnibus, quæ per ſe cadunt in intelligentiã; neque eſſe calidam aut frigidam & quod ſequitur, nullo pacto eſſe primarum qualitatum temperationem: quòd autem ſpe-

ctat

ſtat ad partem poſteriorem, ita confirmatur: Si anima, menſque noſtra ex temperatione exiſteret, illius mores & affectiones aduerſus corporis temperationem nullo modo pugnarēt, ſed hanc perpetuò ſequerentur: atqui animi affectiones & mores in pleriſque hominibus cernuntur pugnare cum naturali ipſorum temperatione: ergo anima humana non ex temperatione exiſtit. Connexum ex eo intelligi poteſt, quòd res effecta cùm perpetuò ſuam cauſſam imitetur, huic nunquam eſt aduerſa, nec vnquam diſſentit ab hac, à qua incolumis conſeruatur: verùm ſi noſtri mores, animiq; noſtri affectiones pugnant cum innata corporis temperatione, profectò neceſſarium eſt, vt anima ſi ex temperatione extiterit, ſit contraria cauſſæ, quam imitari debet, ac præterea diſcordet ab eo, à quo conſeruatur, ſiquidem temperatio tuetur formam ipſius comitem, quæ ob id tandiu ſtabilis eſt, quandiu illa conſtans, firmaque exiſtit. Adiungendum eſt nullam formam habere facultatem agendi in materiam, in qua ſic hæreat, vt ab ipſa dimoueri nequeat, quoniam in omnibus oportet vim effectricem ab eo, quod patitur, diſiungi lib. 8. phyſ. 30. Qua e re cùm anima illa pugnet aduerſus corpus, cuius affectiones ſunt aduerſæ corporis temperationi, relinquitur animam in ſuis affectionibus à corporis temperatione diſcrepantem non eſſe in corpore infixam, neque originem ex corporis temperatione habere. Illius verò, quod in hac argumentatione fuit aſſumptum, argumento eſſe poſſunt quamplures viri eruditi, probiſque moribus informati; qui naturali propenſione ac temperatione vitijs quidem erant dediti, ſed vitioſam naturam ſic domitam habuerunt, vt nihil egerint turpe, odiove dignum: Et ſi exempla poſtulentur, in medium prodeant Socrates & Stilpo Megarenſis, quorum ille inſitam & naturalem ad libidinem propenſionem ſic edomuit, & compreſſit philoſophiæ ſtudio, vt nihil minus, quàm libido in ipſum caderet: hic autē naturali innatoque impetu ad Veneris & Bracchi voluptates ferebatur, ſed aſſiduo ſtudio ita ſedauit, fregitque hunc impetum, vt ipſius veſtigium in eo prorſus fuerit deletum: Si igitur anima intelligens in ſuis moribus & affectionibus pugnat cū corporis temperatione, illa ſanè e corpore non pendebit: qua

de re immortalitate continebitur, diſſolutoque corpore manebit incolumis. Haud ratione diſſimili Plato in Phædone monſtrauit animam non eſſe corporis harmoniam, inquiens, ſi anima eſſet corporis harmonia, illam huic, corporiſque affectionibus obtemperaturam eſſe, & nunquam repugnaturam: quapropter quoniam anima non ſemper ducitur à corporis affectionibus, eam eſſe quippiam multò diuinius harmonia. Nec ſecus in lib. de immortalitate Plotinus fuit argumentatus, qui animam docuit eſſe à corpore ſeparabilem, & immortalem, quia rebus corporeis dominatur, affectibuſque repugnat. Rurſus mentem, animamque intelligentem non pendere ex materia, vt ſit, & declarat id, quòd hæc, non ſecus ac reliquæ formæ materiatæ, eſſet obnoxia cæleſtium corporum effectionibus, quarum vim non ſentire communis eſt omnium Peripateticorum opinio: & magnopere confirmat voluntatis libertas, quam nemo non fatetur Ariſtotelem animæ noſtræ conceſſiſſe: Enimuero huius prima cauſſa & origo eſt diſiunctio à materia, quod ita oſtenditur: Oppoſitorum cauſſæ ſunt oppoſitæ: atqui quòd forma agat definitè, certiſque terminis actio ipſius ſit concluſa, id cauſſæ eſt, quia forma materiæ eſt addicta, & in materia penitus infixa, ob cuius ſocietatem actio illius cohibetur, & arctatur ad certum definitumque opus: ergo cauſſa princeps, cur forma ſit libera, ſuique in agendo domina, erit, quia non pendet ex materia, nec huius vinculis eſt conſtricta. Cauſſam, ob quam forma non eſt ſuarum actionum domina, eſſe connexionem cum materia id facit fidem, quòd cernere eſt formas, quò magis hæ cum materia ineunt ſocietatem, eò minus ſui iuris eſſe in agendo; & contra quò minorem habent cum materia coniunctionem, eò ampliorem ſibi aſſerere agendi authoritatem: Hinc mentes beatæ, quæ à materia ſunt penitus ſegregatæ, in agendo ſunt maximæ liberæ, nulliſque compedibus ligatæ detinentur. Quinetiam cùm noſtra mens de ſententia Ariſtotelis in actu intelligendi ſic verſetur, vt nulla vtatur corporis parte tanquam inſtrumento, hinc non obſcurè ſignificatur eam non pendere ex materia, & eſſe à materia ſolutam, quod hoc modo explicatur. Intelligere nihil eſt aliud, quàm mentem excipere ſpeciem illius

lius rei, quæ cadit in intelligentiam; in quæſtionem igitur venit, nunquid mens per ſe ſola excipiat ſpeciem, an vnà cum corpore, vel aliqua corporis parte: Si hoc poſterius detur, corpus aut corporis pars miniſtrabit menti ſuo munere fungenti, quod diſplicet Ariſtoteli lib. 3. de anima 6. Sin autem prius, mens erit à materia ſegregata, neque ex corpore pendebit, quòd nequeat fieri, vt forma in materia infixa excipiat aliquid, cuius particeps non fiat corpus & materia, in qua eſt infixa. Accedit Ariſtotelem noſtræ menti eam vim conceſſiſſe, qua poteſt omnia intelligere; nec ſolùm eorum, quę in terris, aqua, & aere fiunt, principia cauſſaſque ſcrutati, verùm etiam e caligine craſſa, concretaque rerum mortalium in altiſſimas & puriſſimas ſyderum regiones euadere, hincque rapi ad mentes diuinas ab omni materiæ concretione ſegregatas, tandemque peruenire ad ſupremum totius vniuerſi moderatorem Deum, atque contemplationis munere ſanctiſſimo ac beatiſſimo numine perfrui: Quis igitur fuerit tam iniquus, qui animo hæc ſecum reputans non ſentiat noſtram mentem eſſe à materia penitus ſolùtam, atque ex materia non pendere? Qui enim poſſet, vt inquit Philo in lib. Quòd deterius potiori inſidiari ſoleat, mortalis & in materia defixa natura in terris nubibus, ac veluti cæco carcere clauſa ſuo acumine totum mare, vniuerſum aerem, & terram vſque ad extremos fines perluſtrare, atque in cœlum penetrare, & cum Deo immortali ſeſe commiſcere? Iure ac merito exclamauit Zoroaſtres ò homo naturæ audaciſſimæ opus; nec barbarè Abdalas Barbarus & Saracenus interrogatus, quid in mundi theatro ſibi maximè admirandum videretur, reſpondit hominem vnum eſſe, qui omnem excedat admirationem; prudenter quoque Chaldæi ſapientes multos non tam accuſabant, quàm admirabantur, qui vel magno videndi ſtudio tenerentur, quemadmodum Chameleon aut Polypus illius rei, cui adhæreſcit, colorem aſſumat, vel lapidem herculeum admirarentur, qui Helicem & Cynoſuram ſpectat, vel alia huiuſce generis inueſtigarēt, cùm ipſi homines nati in homine cōtemplando ſuam omnem operam ponerent, qui non in colores, vt animal illud terreſtre, aut alterum aquatile, ſed in omnia pariter ſentiendo, & intelligendo

gendo conuertitur; qui non paucas ſtellas circa mundi cardinem aſſiduè ſe conuertētes, vt lapis ille, intuetur, ſed quæcunque cœli terminatione concluduntur, ſibi ante oculos ponit, hiſque non contentus mentis aciem adijcit ijs, quæ à corpore & à materia ſunt ſegregata. An putandum eſt hos præclariſſimos viros de homine tam præclarè ſentire potuiſſe, ſi huius animam eſſe materiatam, & ex materiæ viſceribus erutam exiſtimaſſent? qui enim fieri poteſt, vt inquit Plotinus in lib. de immortalitate, vt rerum diuinarum contemplatio cadat in rem, quæ non ſit particeps diuinitatis? Iam verò ſi quæuis forma in materia inhærens, & ex materia pendens certas poſtulat qualitates, quibus in materia detinetur, quibuſque ſit apta ad ſuum munus obeundum, profectò ſi anima noſtra non eſſet à materiæ vinculis ſoluta, atque ex materia penderet, certa contineretur primarum qualitatum temperatione, qua à contrarijs qualitatibus lacerata ne ſuum munus obiret, impediretur; atqui nulla in nobis poteſt excitari qualitatum alteratio, quæ mentem auocet ab actu contemplandi, ipſamque impediat, ne in id, quod ſua natura appetit, feratur; non igitur anima menſque noſtra eſt forma infixa in materia, & vt ſit, per materiam conſequitur. Neque aliquis perturbetur, quòd cernamus quandoque ob corporis ægrotationem noſtræ mentis actiones vitiari, hominesſque fieri deliros & amentes, nam hoc euenit, non quia mens in ſua eſſentia & natura aliquid damni accipiat, ſed quoniam noſtra intelligentia non exercetur abſque facultatis imaginatricis miniſterio, quæ facultas, quòd poſtulet inſtrumentum corporale ad ſuam muneris functionem exercendam, vitijs corporis conſentit, ipſaque læſa mens eſt inæpta ad ſua munera integrè & expeditè obeunda: Atque iſtud ſibi voluit Ariſtoteles, cùm ſcripſit in lib. 1. de anima 66. intelligere ac contemplari marceſcere, quia aliquod intus corrumpitur, nam mentem paſſionis eſſe immunem.

Ale-

Alexander & Alexandrei in dictis ab Ariſtotele interpretandis ea quandoque poſuerunt, quæ conſtare non poſſunt abſque animę noſtrę immortalitate.

Cap. XVI.

SEd vt hanc diſputationem aliquando concludamus, animam mentemque noſtram ex materia non pendere, & eſſe immortalē; adeo facit cùm Ariſtotele vt Alexander & Alexandrei vel inuiti iſtud neceſſe habeant fateri, ſi ſuam tueri doctrinam voluerint. Et primùm Pomponatius & Zabarella, qui in Ariſtotelis foro animæ noſtræ immortalitatem odio proſequuntur, de accretione differentes cùm animæ tribuerint, vt in eam materiæ portionem, quæ accretione acquiritur, immigret, eamque deſerat, quæ decretione perditur, ſentiant quoque eſt neceſſe omnem animam ſui dominam eſſe, planèque materiæ imperare ab omni ipſius vinculo ſolutam, quód anima niſi huius ſit naturæ, nullo queat modo nunc ſeſe porrigere, longiùſque producere, & nunc ſeſe contrahere, & in anguſtum redigere. Quapropter hi ſi ſuum decretum voluerint Ariſtotelicum eſſe, omnem animam de ſententia Ariſtotelis vindicent à materia, eſt neceſſe: hoc autem tametſi dubitandum non ſit animæ ac menti noſtræ fuiſſe ab Ariſtotele tributum, non eſt tamen abſque flagitio exiſtimare Ariſtotelem ſenſiſſe id tam latè patere, vt cadat in ſtirpium & brutarum animantium animas, quæ à materia nullo queunt modo amoueri, atque ex altera huius parte in alteram commigrare. Sed & præter hos illi omnes Alexandrei tribuant Ariſtoteli, quód mentem noſtram poſuerit immortalem, eſt neceſſe, qui interpretantur mentem non eſſe corpori admixtam ſignificare Ariſtoteli in lib. 3. de anima 6. aut mentem non aliqua corporis parte, ſed ſe ſola excipere rerum intelligibilium ſpecies; aut mentem, quæ eſt vis & facultas intelligendi, in ſola anima eſſe, neque corpori eſſe commixtam;

quan-

quandoquidem ſi mens ſe ſola excipit rerum intelligibilium ſpecies, ipſa planè non erit in materia infixa, quòd formæ in materia inſitæ nihil tribui poteſt, quod materiæ quoque non tribuatur: & ſi mens, quæ eſt vis & facultas, in ſola anima eſt, neceſſe eſt animam, cuius eſt vis & facultas, non eſſe in materia infixam, alioquin ſi in materia hæreret, in eadem eſſet vis & facultas ipſius: forma enim in materia hærente quemadmodum nihil materiæ poteſt tribui, cuius forma non fiat particeps, eodem modo nihil formæ poteſt impertiri, quod materiæ quoque non impertiatur. Demum Alexander ſummus in ſchola Ariſtotelica mortalitatis patronus idem fateatur oportet, niſi voluerit ijs reſiſtere ac repugnare, quæ ſuam explanationem ſequuntur. Hic illud Ariſtotelis in lib. 3. de anima 4. Mens intelligit omnia; ita accipit, vt ſententia ſit mentem intelligere omnia, quæcunque ſunt, & tam materiæ coniuncta, quàm à materia diſiuncta: verumenimuerò quoniam Ariſtoteles, vt idoneo loco declarauimus, in hoc enunciato ea ſola habet propoſita, quæ ſimplici intelligentia, ac citra ratiocinationem apprehenduntur, profectò quoniam ea, quæ ſunt à materia ſegregata nequeunt a mente noſtra huic corpori coniuncta apprehendi ſimplici intelligentia, citraque ratiocinationem, Alexander velit, ac nolit, det eſt neceſſe, mentem noſtram corpori diſſoluto ſuperſtitem viuere, quò poſſit à corpore diſiuncta, quæ corpori non ſunt copulata, ſimplici intelligentia & abſque ratiocinatione apprehendere. Hæc vel maximè me induxerũt, vt crederem Ariſtotelem ſenſiſſe noſtras animas, noſtraſque mentes ſupereſſe corporibus diſſolutis. Quòd plerique hanc quæſtionem tractantes varios locos afferunt ex libris de anima excerptos, vt perſuadeant Ariſtoteli fuiſſe probatam noſtræ mentis immortalitatem, hos ſemper ſum arbitratus oleum & operam perdere; nam, vt quoque ſupra dixi, cùm his in libris Ariſtoteles animam contempletur, qua ex parte eſt forma ac principium animalium, atque noſtræ mentis immortalitas nihil faciat ad hanc contemplationem, ſic de anima & de partibus animæ inſtituit diſputationem, vt de immortalitate nihil ſibi dicendum eſſe putauerit; qua e re omnes horum librorum loci non incommodè explicantur ab

Alexan-

Alexandreis ita, vt in his Ariſtoteli non ſit propoſita noſtræ mentis immortalitas. Quòd ſi in his locis parum eſt momenti, multò minus in ijs erit, qui ex alijs libris eruuntur, in quibus non data opera diſputatur de anima. Equidem in libris de ſecretiore ſecundum Aegyptios philoſophia noſtræ mentis immortalitas varijs argumentis confirmatur, verùm hi libri vel ex Ariſtotelis officina non emanarunt, vel ſi emanarunt, non ex animi ſententia, & iuxta propria decreta fuerunt cōſcripti. Omiſſis igitur quibuſcunque locis Ariſtoteleis ex ijs, quæ hactenus ſunt diſputata, concludatur Ariſtotelem approbaſſe noſtræ mentis immortalitatem, qui præterea ne hanc reſpueret, potuit ab eo prohibere, quòd certum eſt animas eorum, qui e vita migrarunt, viuentibus nonnunquam apparuiſſe; id quod Gentilibus ſic fuit perſuaſum, vt horum pleriq; animos humanos carmine ſolemnique ritu ex inferis poſſe euocari crediderint, & alij putauerint hos corpore exutos, ſtipendijſque vitæ liberos in aere vagari, quos veteres Latini, vt ſcribit Apuleius in lib. de Deo Socratis, & refert D. Auguſtinus in lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 11. lemures nuncuparunt, & tripartitò diuiſerunt, nam ex his quos exiſtimabant poſteriorum ſuorum curam ſortitos eſſe, ac pacato quietoque numine domum poſſidere, lares familiares dixerunt, quos autem propter aduerſa vitæ meritæ nullis bonis ſedibus in terra vagatione puniri arbitrabantur, laruas; cùm verò incertum erat, quæ ipſis ſortitio eueniſſet, vtrum lares eſſent, an laruæ, Manios Deos appellarunt. Neu alicui moleſtiam exhibeat, quòd animæ ſint corporis expertes, & ſenſibus nihil accipi poſſit, quod non ſit aut corpus, aut virtus in corpore, quoniam hæ animæ aſſumunt corpora, hiſque vtuntur, non quidem eo pacto vt ipſa informent, & animent, ſed vt in ipſis appareant, ipſaque duntaxat loco moueant. Et quamuis minimè diffitendum ſit has apparitiones haud rarenter vitio facultatis imaginatricis fieri, ac nonnunquam eſſe hominum commenta, attamen conſtans eſt probatiſſimorum virorum opinio animas ipſas hominibus aliquando apparuiſſe vel ſomno deditis imaginatione comprehenſas, vel vigilantibus oculorum ſenſu perceptas: & hoc ne cuiquam dubium ſit, plura ipſius fidem faciē-

tia commemorarem; verùm horum commemoratione non inuitus abſtineo, quòd in ijs non eſt, vt laborem, quorum in hiſtorijs magna eſt frequentia; vnum verò minimè prætenbo, quod id, de quo agitur, mirabiliter confirmat, à Cæſare Baronio in tom. 5. annal. eccleſiaſt. literis traditum: Cùm inter Marſilium Ficinum & Michaelem Mercatum multa fuiſſet diſceptatio de animi immortalitate, tandem iunctis dexteris pacti ſunt, vt is, qui prior ex hac vita deceſſiſſet, alterum, ſi liceret, de alterius vitæ ſtatu doceret. Haud multò poſt Ficinus extremũ vitæ diem clauſit, eademque hora, qua emiſit ſpiritum, quæque fuit ſummo mane, Mercatus in philoſophicis contemplationibus poſitus improuiſo ſtrepitum audiuit equi currentis, & ad oſtium domus curſum ſiſtentis, ſimulque vocem Ficini clamantis, ò Michael, ò Michael vera ſunt illa; quibus auditis cùm ſurrexiſſet, feneſtramque recluſiſſet, Ficinum conſpexit in equo albo ſedentem, indeque celeri curſu ſe abripientem. Non ſum neſcius aduerſarios hæc irridere; tribuereque hominum malè affectorum imaginationi, verùm cùm hæc ſenſibus benè valentibus fuerint percepta, exiſtimandum eſt hos, qui ſenſum ſanum pro nihilo habeat, & rationem ægram maximi faciunt, aduerſa mentis valetudine laborare. Profectò Porphyrius homo minimè credulus his ſic fidem ſuam adiunxit, vt hinc animæ noſtræ immortalitatem maximè intelligi fuerit arbitratus. Eiſdem cùm Pomponatius fidem non auderet abrogare, vt ab eis nihil incommodi acciperet ſua peruerſa de occaſu animæ noſtræ opinio, ſtatuit has animarum viſiones eſſe ſpectra, atque mentium à materia ſeparatarum opera, quę cœlis miniſtrantibus in aere & in nobis excitantur; qua in re tam egregiè fallitur, quàm qui maximè, nam Ariſtoteles mentes à materia ſeparatas, corporaque cœleſtia induxit veluti cauſſas communes & longinquas, quibus datum eſt nihil poſſe efficere, niſi cauſſæ ſingulares & propinquę ipſis adiungantur. Deinde ſi hæ viſiones fierent mẽtium à materiæ ſeparatarum effectione, hæ in his efficiendis verſarentur aut liberè, aut naturæ neceſſitate adductæ: Hoc poſterius ſi detur, has viſiones non raro, ſed plerunque fieri oporteret, nec præterea eædem in tam magna eſſent varietate; ſin illud prius, quemadmodum

in lib.

in lib. de diuinat. per ſomnium ſi Deus eſt, qui ſomnia mittit, abſurdum eſt non optimis & ſapientiſſimis, ſed quibuſuis ſine diſcrimine mitti, eodem modo ſi hæc ſpectra liberè fiunt à Deo, & à mentibus beatis, conſentaneum eſſet eis moueri non quoſuis homines, ſed optimos ac ſapientiſſimos, qui Deo ſunt clariſſimi lib. 10. Ethic. ad Nicom. cap. 8. Adhæc in his caducis quicquid fit à cœlis, id fit motu & lumine miniſtrantibus: ſed non eſt in natura motus, aut luminis ſpectra efficere; neque motus cœleſtium corporum hæc noſtratia attingit; neque in locis lumine illuſtratis hæc ſpectra ſemper apparent; non igitur hæ viſiones ad cœleſtia corpora ſunt referendæ. Quòd ſi Pomponatius, vt ſuum dogma tueatur, ſe recipiat ad occultas ſtellarum proprietates, quę communi nomine vocantur influxus, & ab Aſtrologis fuerunt excogitatæ, vt harum effectione fiant, quæcunque in hac caduca rerum vniuerſitate generantur; hic interrogabitur, cùm ſtellæ tam procul ſint à finibus terræ, nunquid harum effectiones ſine vllo medio hęc noſtratia attingant, an per medium ad hæc perferantur: Si primum aſſumat, audiat Ariſtotelem monſtrantem in lib. 7. phyſ. 10. quod mouet per modum cauſſæ effectricis, quęcunque moueat motu, id ſimul eſſe cum eo, quod primùm mouetur: Sin alterum, iterum rogabitur, an hæ ſtellarum effectiones cum corpore, vel ſine corpore deferantur: Si cum corpore reſpondeat, ipſius intereſt docere, quodnam ſit hoc corpus; & qui poſſit fieri, vt ex ſtellis abſque detrimento vlla corpora excidāt, quæ ad nos ipſarum effectiones deferant. At ſi abſque corpore dicat, quo iure hæ affectiones poterunt per ſe ſolæ ab omni corpore disiunctæ cælitùs ad nos delabi? Sed Pomponatium valere iubeamus, qui cùm mente non capiat multa, quę ſequūtur animæ noſtræ immortalitatem, capit ea, quæ nemo pręter ipſum poteſt cogitatione capere. Quòd nonnulli exiſtimant huius argumentationis vim eleuari à Dæmonibus, quos certum eſt his apparitionibus nos haud rarò illudere, hi non intelligunt Alexandreos, omneſque animæ noſtræ parricidas in odio habere Dæmonum naturam, quandoquidem hac poſita & defenſa, ruant eſt neceſſe grauiora argumenta, quibus euertitur animæ noſtræ immortalitas.

Ex quibus Ariſtotelis locis plerique intellexerint mentem noſtram infinitis ſeculis corporis ortum antegredi.

BIBLIOTECA ... ROMA

Cap. XVII.

EX ijs, quæ ab Ariſtotele varijs in libris philoſophiæ tam actiuæ, quam ſpectatiuæ tradita & poſita ſunt, concluſum eſt animam, mentemq; noſtram habere naturā immortalem, quod decretum cùm in Ariſtotelis ſchola duobus modis accipi poſſit, altero, vt mens noſtra ita ſit immortalis, vt ſemper extiterit, infinitiſque ſeculis antegreſſa ſit humani corporis conſtitutionem;altero, vt corpori humano accedat, cùm antè non fuerit, vt omnis tollatur ambiguitas, vtro ſit modo accipiendum, nunc eſt diſquirendum. Auerroes & cum Auerroe alij plerique arbitrantur Ariſtotelem ſine vlla origine mentem noſtram induxiſſe,atque infinitis ſeculis corpus hoc caducum antecedentem eo adducti, quòd exiſtimant de ſententia Ariſtotelis hanc nobis extrinſecus accedere, atque eſſe in numero mentium à materia ſeparatarum, quarum ea eſt vis, & natura, vt ex omni æternitate conſtent, nullumque ſuæ originis principium agnoſcant. Vt enim quædam mentes globis cœleſtibus aſſident,ita huic globo ſub luna,ſiue potius hominum ſpeciei vna mens diuina de Auerrois ſententia eſt adſcripta, quæ quia ab illarum dignitate deficit omniū nouiſſima,æternum globum ſimpliciter non habuit,quemadmodum aliæ, ſed æternum niſi ſucceſſione. Hæc igitur mens infimo loco conſtituta hominibus coniungitur, qui homines animales,non veri ac perfecti homines appellantur. Hi ex corpore conſtantes & ex anima vi cogitandi prædita, quæ ſummus mortalis animæ apex exiſtens ex abſolutiſſima elementorum temperatione exoritur, apti ſunt ad mentem extrinſecus aduenientem excipiendam, cum qua copulati cieri, ac perfecti homines exiſtunt. Porrò hæc mens cum hominibus copulata res cum materia concretas ope phantaſmatum intelligē-

tia comprehendit, arctiusq; ob id cum illis adſtringitur, nam licèt à primordijs ſtatim generationis homines ſoleat cõprehendere, quippe quæ omnibus ſuæ ſphæræ partibus per naturam aſſideat, tenuis tamen eſt hæc copulatio, cùm tunc temporis nullus ſit animæ cogitantis vſus, nullaque phantaſmata, & nullæ ſpecies intelligibiles, quibus vel maximè cum hominibus mens vincitur, & cohæreſcit: Itaque progrediente tempore vbi ſenſibilium rerum imagines ſenſibus hauſtæ, & ad vim imaginatricem tranſmiſſæ in ea ſpecies intelligibiles excitarunt, arctiori vinculo cum hominibus copulatur; arctiſſimumque erit vinculum, ſi ſpecies vna omnes intelligibiles fuerint ab vnius cuiuſpiam hominis phantaſmatis in mente productæ & excitatæ. Quæ Auerroem & alios in hanc opinionem impulerunt, multa quidem ſunt, ſed firmiora, quæ ex varijs Ariſtotelicæ doctrinæ locis eruuntur, ſunt hæc: Principiò in lib. 1. de part. animal. cap. 1. oſtenditur non eſſe munus philoſophi naturalis docere de mente, atque huius tres argumentationes afferuntur, quæ ſint inanes oportet, niſi mentem noſtram eſſe ſubſtantiam a materia ſeparatam ſtatuatur: Etenim prima propoſitum conficit, quoniam præter naturalem philoſophiam nulla ſcientia relinqueretur, cuius conſequutionis ratio eſt, quia ſi naturalis ſcientia mentem intueatur, quæ eſt in numero intelligibilium, ſibi aſciſceret ea quibus diuina ſcientia continetur; qua e re omnium rerum notiones tenebit, reſque nulla relinquetur, in qua poſſit alia ſcientia verſari. Altera aſſumit mentem non eſſe vllius motus principium, quod eſt mentium a materia ſeparatarum, quæ cùm ſua natura ſint immobiles, nullam motionem efficiunt, ſed omnibus cauſſę ſunt immobilitatis, Tertia in eo poſita eſt, quia nullam rem à materia abſtractam poteſt ſcientia naturalis cõtemplari. Deinde initio lib. 1. de anima ſciẽtia de anima cæteris ſcientijs certitudine antecellit; verùm cùm lib. 1. poſt. analog. 42. vna ſcientia ſit altera certior, aut quia huius principia cõfirmat, aut quia in ijs verſatur, quę ſunt à materia ſegregata, ſanè cùm ſciẽtia de anima non ſit cæteris certior, ꝗ confirmet horum principia, erit certior, quia in mente noſtra, quę eſt ſubſtãtia à materia d. ſiũcta, verſatur. Pręterea in lib. 3. eiuſdẽ oper-

ris 7.mens noſtra eſt ſeparabilis, hoc eſt per ſe conſtans; & tex. 15.eſt intelligibilis quemadmodum intelligibilia, hoc eſt non ſecus ac mentes diuinæ, quæ per ſe, ſuaque natura ſunt intelligibiles: ergo mens humana vna eſt e collegio mentium a materia ſeparatarum. Sed & hoc ab illo confirmatur, quia mens noſtra formas mathematicas ſeparat à materia, in qua re ipſa cohærent, & ſeparatas intelligit lib.eodem 35. quod munus nulla ratione obiret, niſi ſua natura à materia ſeparata conſtaret, materiamque non haberet, vt ſcriptum eſt in lib. 12. poſtnat.51. Poſtremò mentem noſtram infinitis ſeculis noſtri corporis generationem antegredi non obſcurè ſignificauit Ariſtoteles in lib. 2. de gen. animal. cap. 3. cùm ſcripſit eam extrinſecus accedere, quoniam ipſius actio cum corpore non communicat; atque in lib. 1. de anima 82. cum ſtatuit aduerſus Empedoclem mentem eſſe antiquiorem elementis ex quibus cōſtat noſtrum corpus. Hæc multis perſuaſerunt Ariſtotelem ſenſiſſe mentem humanam in mentibus à materia ſeparatis numerari, atque humani corporis ortum prægredi ex omni æternitate conſtantem.

Noſtra mens non eſt reponenda in numero mentium beatarum à materia ſeparatarum.

Cap. XVIII.

HVius opinionis duo ſunt capita, alterum mentem humanam in mentibus à materia ſeparatis numerari: alterum eandem eſſe à corpore antiquiorem; & ambo hęc capita ab Ariſtotelis doctrina abhorrent; quod vt conſtet, vtrumque caput ſeparatim tractabimus, & difficultates, quæ maioris ſunt momenti, afferemus. Principiò ſi animum referre voluerimus ad rationem, quæ induxit Ariſtotelem ponere ſubſtātias à materia ſeparatas, perſpicuè intelligemus noſtram mentem non eſſe in harum numero reponendam. Hæc ratio

in eo

in eo poſita eſt, ne corpora cœleſtia temere, nulloque fine propoſito in orbem moueantur: Etenim cùm hæc corpora ſint animis præſtantiſſimis & intelligentibus animata, nam (vt inquit Alexander apud Simplicium in lib. 8. phyſ. com. 34. & in lib. 2. de cœlo com. 3.) cœlum eſt corpus prçclariſſimum, & corporis præclariſſimi natura eſt præclariſſima, cuiuſmodi eſt anima intelligens; atque omnia, quæ per animam mouentur, gratia alicuius moueantur, par eſt cœleſtia corpora ſuos curſus conficere alicuius rei deſiderio affecta, & aliquem ſibi finem conſtituentia. Verùm cùm finis antecellat ijs omnibus, quæ ipſius deſiderio tenentur, ſanè quæcunque cœleſtibus corporibus tanquam fines & extrema erunt conſtituta, ea his dignitate præſtabunt: Atqui cœlis nihil præſtabilius poteſt reperiri præter mentem à materia ſeparatam: ergo hæc in rerum natura eſt ponenda, quæ veluti finis, & id, quod ciet appetentiam, cœlos moueat: Hoc fuit ab Ariſtotele ſignificatum in lib. 12. poſt nat. vbi poſtquam tot eſſe mentes ſeparatas & immobiles concluſit, quot ſunt cœleſtium corporum lationes, in tex. 48. ſubiungit, ſi aliæ eſſent mentes à materia ſolutæ, has motum effecturas eſſe, cùm ſint finis alicuius lationis. Idem præterea probatum fuit Alexandro in lib. 1. quæſt. nat. cap. 1. & in com. lib. 12. poſt nat. com. 20. à quo Auerroes non diſſentit in tract. 4. epit poſt nat. & in lib. de ſubſt. orbis cap. 6. cuius poſtremi loci ſenſum libet paucis perſtringere, vt hinc intelligant Auerrois aſſeclæ nos in cauſſa, quæ induxit Ariſtotelem ponere mentes à materia ſeparatas, non eſſe ab ipſorum magiſtro diſcordes. Scribit igitur Auerroes Ariſtotelem cùm animaduerteret in hac caduca mundi parte multa moueri ab alio, & multa, quæ ex ſe mouentur; atque hæc, quæ mouentur ex ſe, ita eſſe comparata, vt alterum ab altero generetur, velut homo ab homine, equus ab equo, horumque generatio ſucceſſione ſit infinita, concluſiſſe vnum primum corpus ponẽdum eſſe, quod ex ſe moueatur, ſitque cauſſa eorum, quorum generatio in infinitum ſucceſſione progreditur. Enimuero cùm in his alterum alterius ſit cauſſa per accidens, & horum ordo ſit fortuitus, nec primum & vltimum habeat, quòd ſucceſſio ſit infinita, & infinitum principio & fine careat, neceſſe eſt vnum

primum

primum ſtatuere, quod ex ſe moueatur, & à quo deinceps moueantur, & gubernentur cauſſæ illæ per accidens, quarum ordo eſt fortuitus, quæque ſunt infinitæ, quandoquidem quæ cauſſæ ſunt ex accidenti, ad cauſſas per ſe referantur, quæ certo conſtant, quæ ordine continentur, & in quibus id, quod eſt primum, & id, quod eſt vltimum, neceſſariò inueniuntur. Hoc primum corpus ex ſe tantùm mouetur, & nullo modo per accidens, quoniam ſi per accidens moueatur, aliquod prius, quod tantùm ex ſe moueatur, & ad quod illud referatur, ponendum eſſet. Porrò quia iſtud primum corpus, quod ex ſe finitum eſt, in perenni motione verſatur, cieturque per animam appetentem in ipſo exiſtentem, corpus autem anima appetente & amante præditum mouetur illius, quod amatur, affectum cupiditate, aliquod diuinum Numen eſt ſtatuendum, quod tanquam finis, & optabile cœleſti animæ proponatur, idque cœlo & anima cœli præſtabilius, quòd finis anteſtat omnibus, quæcunque ad ipſum referuntur. Ab hoc diuino Numine fluit cœleſtis motus perennitas, & non ab anima cœli, quæ quoniam in corpore magnitudinis finitæ exiſtit, finitis viribus eſt prædita, nec niſi finito tempore poteſt mouere. Itaque præter cœleſtem animam alia cauſſa eſt inducenda, à qua cœlum ſui motus accipiat perennitatem: Hæc verò eſt iſtud, de quo loquimur, diuinum Numen, quod eſt mens à materia, & ab omni materiæ contagione ſegregata, quodque cœlos mouet, qua ex parte ipſorum intelligentia comprehenditur, ciesque ipſorum appetitum. Atque hæc eſt breuis commemoratio eorum, quæ in loco lib. de ſubſtantia orbis commemorato ſcribit Auerroes induxiſſe Ariſtotelē, vt poneret vnum diuinum Numen à materia ſolutum mouens cœlos tanquam id, quod eſt finis, & excitat appetitum. In his autem, quemadmodum & in ijs, quæ ab eodem prodita ſunt de duplici cœlorum motore in lib. 12. poſtnat. com. 41. perſpicuè ſecutus eſt Alexandrum, cuius opinionem habetis apud Simplicium in lib. 2. de cœlo com. 3. Cùm igitur hanc ob cauſſam mentes ſeparatæ ſint ab Ariſtotele poſitæ, profectò noſtra mens, quæ nulli lationi tanquam finis & id, quod expetitur, eſt propoſita, ex harum numero erit iuxta Ariſtotelis dogmata eijcienda. Quinetiã iſtud

ex at-

ex attributis poſſumus intelligere, quæ ſeparatis mentibus fuerunt ab Ariſtotele impertita. Horum vnum eſt immobilitas: nam cùm mens ſeparata nec corpus, nec virtus hærens in corpore ſit, fieri nequit, vt per ſe, aut per accidens vllam accipiat mutationem. Verùm cùm nobis ingredientibus neceſſe ſit noſtram mentem moueri, quòd corpore locum mutante moueantut omnia, quæ ſunt in corpore lib. 8. phyſ. 51. & nulla cogitatione poſſit concipi quippiam moueri, & eius formam & quidditatem nullam omnino ſubire mutationem; (noſtram mentem eſſe veram hominis formam omnes ferè Peripatetici exiſtimant, & nos pauló poſt oſtendemus) qui igitur mens humana erit in numero mentium omnino immobilium? Alterum, quod eſt poſitum in mentium ſeparatarum attributis, eſt integrum quoddam eſſe ſuis omnibus numeris abſolutum, & veluti hoc aliquid, ac vniuerſum quoddam per ſe cohærens. Hoc autem longè abeſſe a noſtræ mentis natura, quæ eſt hominis anima, id monſtrat, quia anima, quæ eſt forma, & pars complens eſſentiam illius, cuius eſt anima, eſt natura dimidiata, minimèque integra, atque id, quo ſubſtantia compoſita eſt hoc aliquid, & non hoc aliquid integrum, ſuiſque numeris expletum, qua e re in rerum natura exiſtit, quia eſt aliquid alicuius, & non quia eſt aliquod abſolutum per ſe cohærens. Eſt præterea in mentis a materia ſeparatæ attributis eſſe purum, ſimplicemq; actum, nullaq; poteſtate contineri: Verumenimuero cùm Ariſtoteles in lib. 3 de anima 5. menti, qua intelligimus & ratiocinamur, tribuat nullam habere naturam, niſi hanc, vt ſit poteſtate, nihilque actu eſſe eorum, quæ ſunt, antequam intelligat, qui fieri poteſt, vt noſtra mens non eijciatur è numero, & è collegio mentium ſeparatarum? Non ſum neſcius Auerroem & aſſeclas ſentire quemadmodum ſubſtantiæ ſenſibiles diuiduntur in materiam & formam tanquam in partes, ex quibus componuntur, eodem modo ad harum ſimilitudinem intelligibiles ſubſtantias, & mentes à materia ſeparatas prima excepta diuidi in id, quod eſt ſimile formæ, & id, quod eſt ſimile materiæ, atque Ariſtotelem in memorato loco vim & naturam illius partis noſtræ mentis aperire, quæ eſt materiæ inſtar, ac mens materialis nuncupatur, de altera, quæ

O eſt

eſt veluti forma, & mens efficiens vocatur, paulò poſt diſputaturum; ſed mihi quoque conſcius ſum hos nihil proficere, tum quia ſi in mentibus à materia ſolutis vlla eſt ex diuerſis partibus compoſitio, (nam de hoc magna exiſtit controuerſia) planè in his ea pars,quę eſt veluti materia,ſemper eſt actu, nec vlla poteſtate continetur:tum etiam quoniam Ariſtoteles patefacit totius humanæ mentis naturam in eo, quòd hæc ad ea refertur, quæ cadunt in eius intelligentiam. Et quamuis paulò poſt in mente effectrice perſpicienda verſetur, hæc tamen, vt alio loco intelligetis, non eſt aliquid, aut pars noſtræ mentis. Id quinetiam menti à materia ſegregatæ tribuitur, vt ſolam ſui ipſius intelligentiam teneat, neque in perſpiciendis rebus materiatis occupetur: ergo cùm mens noſtra ſuam operam locet in his rebus materiæ affixis percipiendis, & ex his ſuam perfectionem conſequatur, non eſt, ut inter mentes à materia ſeparatas vllus ei locus tribuatur. Reſpondens Auerrois amaſij, cùm mens humana omnium ſit nouiſſima, atque infimo loco conſtituta, hinc fieri, vt ipſa verſetur in his formis materiatis cognoſcendis. Cæterùm hi ex nobis intelligant Auerroem velle in tract.4.epit.poſtnat.mentes omnes ſeparatas eſſe eiuſdem rationis, & ſpeciei, quanquam illud interſit, quòd non æquè accedunt ad Deum immortalem,& quò quęque propiùs accedit,minuſque abeſt, eò altiorem tenet dignitatis gradum. Si igitur mentes omnes ſeparatæ eadem ſpecie, non quidem vniuoca,ſed,vt aiunt, analoga continentur, ſanè non eſt,vt vni adimatur id,quod fuit cæteris conceſſum. Hinc Ariſtoteles in lib. 2. de cœlo quæ in Luna ineſſe monſtrauit, ea ſtatuit reliquis ſtellis eſſe tribuenda, à quibus illa non videtur ſpecie diſcrepare. Deinde attributa, quæ ſeparatis mentibus impertiuntur,qua ex parte ſunt huiuſmodi, omnium ſunt communia: ergo quoniam hoc,de quo loquimur, attributum eſt mentium à materia ſeparatarum in eo,quòd ſunt huiuſmodi,ſanè minimè decet id noſtræ menti eripere, ſi hæc vna ſit è collegio mentium ſeparatarum. Aſſumptum illud confirmat, quòd cùm mens ſeparata ſit ab omni materia diſiuncta, in ipſa idem eſt omnino vis intelligens, res intellecta, & actus intelligendi,ex quo fit,quia à ſe ipſa nunquam eſt diuiſa,vt ſem-

per ſe ipſa intelligat, & præterea nihil. Rurſus cùm mens beata ſit ab omni poteſtate vacua, quæ eſt radix & fundamentum cuiuſque receptionis, qua ratione res materiatas percipiet, quæ quòd ipſarum ſpecies in mente recipiantur, in intelligentiam cadunt? Demum tribuitur menti à materia ſeparatæ perpetua & nunquam ceſſans intelligentia, quippe quæ ſua natura eſt actu intelligens, & actu intellecta: verùm ſi noſtræ menti, quæ quandoque eſt actu, & quandoque poteſtate, aliena eſt perennis intelligentia, hæc qua ratione vna erit è mentibus ſeparatis? Nonnulli qui ſunt huius opinionis, inquiunt humanam mentem duobus modis ſpectari poſſe, ſcilicet vt corpori eſt coniuncta, & vt eſt vna è mentibus ſeparatis, atque poſteriore modo conſideratam non ſecus ac reliquas mentes perpetuò ſeſe per ſuam eſſentiam intelligere abſque vllo phantaſmatum adiumento; priore autem inſpectam per ſpecies ex phantaſmatis pendentes intelligendi munus obire, atque caducam, & non perpetuam eſſe illius intelligentiam. Hi in multas labuntur difficultates, nam primùm ſupra hominis captum videtur noſtram mentem in actu intelligendi perpetuo verſari, & nos huius nullam habere comprehenſionem: atque hac ratione fuit oſtenſum ab Ariſtotele ſub exitum lib. 2. poſt. analog. principiorum cognitionem nequaquam eſſe in nobis ingeneratam, quòd abſurdum ſit nos habere certiſſimas cognitiones, atque harum inſcios eſſe. Adiungẽdum eſt, quòd mens eſſet deterioris naturæ, & conditionis, quàm ſentiendi vis, quandoquidem hæc ſui muneris ſenſum habeat, & illa nequeat hoc ſuum munus intelligendi per eſſentiam habere comprehenſum. Deinde ſe menti ratio intelligendi per eſſentiam perpetuò eſt adiuncta, planè, quoniam hæc ratio eſt altera, quæ fit per ſpecies receptas; multò præſtabilior, in ipſa oportet mentem ſuum bonum habere ſitum & collocatum, ipſamque illud vltimum eſſe, cuius gratia mens eſt comparata: voluit enim Ariſtoteles in lib. 2. de cœlo 17. cuius eſt aliquod opus, id eſſe operis gratia: Ecquid igitur eſt, cur mens cũ hominibus copuletur, vt caducam, minuſque præſtantem intelligentiam obeat? Pręterea ſi mens noſtra ſeſe per eſſentiam intelligeret, duo ſeqnerentur abſurda, alterum vt mens in ea-

Digitized by Google

dem re percipienda ſimul ſit vera & falſa; alterum, vt eadem eodem tempore duabus vtatur intelligentijs ad vnum & idem comprehendendum: vtrumque ſequi inde patet, quia mens dum per eſſentiam ſe ipſam intelligit, nunquam fallitur; & verò cùm per ſpecies à phantaſmatis acceptas ſuam ipſius vim ſtudet comprehendere, fieri poteſt, immo ſæpè fit, vt rapiatur in errorem: ergo cùm prior intelligendi ratio nunquam interrumpatur, ſanè ſi mens in ſua natura per ſpecies extrinſecus acceptas percipienda decipiatur, (quod ſæpè contingere nemo non cognitum habet) conficitur mentem in vnius ac ſimplicis rei cognitione poſitam ſimul veram eſſe, ac falſam, & præterea duas eodem tempore intelligentias adhibere ad ſuam naturam comprehendendam; quorum illud eſſe in abſurditatibus nemo non dabit; & hoc fugiendum eſſe illud declarat, quod natura ſic eſt vnitatis amica, vt vbi cognoſcit hāc eſſe commodiorem, ibi ſemper declinet ſuperfluam multitudinem. Amplius cùm functio nihil aliud ſit, quàm eſſentia & forma in conſpectum ſeſe adducens; par eſt ſimplicis formæ ſimplicem eſſe rationem in actum & opus exeundi: atqui noſtra mens ſi ſit ſeparata ſubſtantia, erit ſubſtantia ſimplex, nihilque in ſe diſpar ſui, atque diſſimile continebit, nihil igitur eſt, vt hęc eodem tempore duos inter ſe differentes intelligendi modos ſibi aſſumat, vnum per eſſentiam, & alterum per ſpecies ex phantaſmatis pendentes. Si igitur nobis ob oculos proponere voluerimus rationem, qua Ariſtoteles fuit adductus, vt poneret ſubſtantias à materia ſeparatas: & ſi diligenter conſiderauerimus attributa his ab Ariſtotele conceſſa, procul dubio aſſeuerabimus alienum eſſe à doctrina Peripatetica noſtram mentem in mentium à materia ſeparatarum numero collocari.

Mens

Mens humana temporis origine non antegreditur humani corporis conſtitutionem.

Cap. XIX.

NEc verò eſt ſine minoribus, paucioribuſque difficultatibus mentem humanam inuehere, quæ infinito tempore humani corporis conſtitutionem prægrediatur, nam quicunque amant hunc mentis & animæ noſtræ ſtatum, rogandi ſunt, nunquid animæ cum corpore copulatio ſit ipſius, animæ naturæ cognata, an aliena. Si dixerint connexionem cum corpore eſſe menti & animæ naturalem, diſiunctio erit præter naturam, quòd hi ſtatus, qui ſunt inter ſe aduerſi, eiuſdem rei naturam minimè comitantur: At ſi conſtare ſine corpore eſt contra mentis naturam, ſequitur hanc in ſtatu cōtra naturam non ſolùm plus temporis abſumere, quàm in ſtatu naturali, verùm etiam tempus infinitum conterere, quippe quæ finito tempore retineat corporis ſocietatem, & infinito tempore maneat ab hoc diſſociata. Hoc autem non eſt ferendum, quia cum ea, quæ ſunt à natura ſint vel ſemper, vel plerunque nequit fieri, vt ſtatus naturæ alienus ſit temporis longioris, ac is, qui eſt naturæ cognatus. Quinetiam ſequitur, quod alicui præter naturam tribuitur, id eſſe prius eo, quod eidem congruit ſecundum naturam, quod diſplicet Ariſtoteli in lib. 2. de cœlo 18. At verò ſi voluerint cum corpore connexionem eſſe alienam ab animæ natura, & illud incommodum præſtò erit, vt hominis præſtantiſſimi animalis conſtitutio ſit præter naturam; & cauſſa erit afferenda, cur anima obſiſtat illi, quod ipſam corpori eripere contendit; nam quæ ſunt contra noſtram naturam, ea omnia ſunt nobis moleſta, nec ægrè ſolent à nobis relinqui: Quapropter anima, vt cecinit Lucretius in lib. 3. de rerum natura.

„ *Non iam ſe moriens diſſolui conquereretur,*
„ *Sed magis ire foras, veſtemque relinquere, vt anguis,*
„ *Gauderet prælonga ſenex aut cornua ceruus.*

Nec denique culpa vacaret Ariſtoteles, quòd animam defi-

nierit

nierit corporis actum, quoniam quæ ſunt naturæ aliena, ea non poſſunt abſque flagitio ingredi definitionem, cuius eſt aperire naturam & eſſentiam illius, cuius eſt diffinitio. Ex his conſtat hominum mentes & animas non eſſe inducendas, quæ de ſententia Ariſtotelis hæc noſtra corpora infinitis ſeculis antecedant; quod quoque cùm abeſſe à vero Lucretius intelligeret huius placiti amatores his in libro proximè citato exagitauit.

,, *Præterea ſi immortalis natura animæ*
,, *Conſtat, & in corpus naſcentibus inſinuatur,*
,, *Cur ſemper anteactam ætatem meminiſſe nequimus?*
,, *Nec veſtigia geſtarum rerum vlla tenemus?*

& paucis interiectis,

,, *Præterea ſi iam perfecto corpore nobis*
,, *Inferri ſolita eſt animi viuata poteſtas,*
,, *Tum cùm gignimur, & vitæ limen inimus,*
,, *Haud ita conueniebat vti cum corpore, & vna*
,, *Cum membris videatur in ipſo ſanguine creſſe,*
,, *Sed veluti in cauea per ſe ſibi viuere ſolam.*

& paulò poſt,

,, *Nam neque tantopere adnecti potuiſſe putandum eſt*
,, *Corporibus noſtris extrinſecus inſinuatas;*
,, *Quod fieri totum contra manifeſta docet res.*

In his Lucretius oſtendit animam non eſſe corpus antegreſſam, tum quia nullam eorum memoriam habeat, quæ ipſi anteactam vitam agenti contigerunt: tum etiam quoniam non ita in corpore viueret, quaſi vna cum corpore nata eſſet; & denique quòd tantopere cum corpore non eſſet connexa, ſi antea exiſtens fuiſſet in illud inſinuata. Sed Lucretium mittamus, atque redeamus ad Ariſtotelem. Hic in lib. 12. poſtnat. 16. illud intereſſe voluit inter formam, & cauſſam effectricem, quòd hæc tempore antecedit rem effectam, illa verò ſimul eſt & conſtat cum eo, cuius eſt forma, neque fieri poteſt, vt vnquam tempore antegrediatur: Cùm enim homo curatur, tum etiam eſt valetudo, & cùm eſt figura æneæ ſphæræ, ſimul etiam eſt ænea ſphæra; nec vnquam cernere eſt valetudinem, antequam homo benè valuerit, & ſphæræ figuram,

ram, antequam artifex ſphæram ſit fabricatus. Huius autem multæ rationes poſſunt afferri; Vna, quia forma eſt finis generationis, qui tum primum exiſtit, cùm generatione ad exitum perducta res ſuis numeris eſt expleta, nam finis & id, cuius eſt finis, ſimul ſunt lib. 4. phyſ. 42. Altera, quoniam forma eſt quidditas illius, cuius eſt forma, & quidditas nunquam antegreditur id, cuius eſt quidditas. Tertia & poſtrema, quia forma finitur id, quo res eſt hoc aliquid: atqui ſi forma exiſteret antegrediens illud, cuius eſt forma, non erit id, quo ſubſtantia compoſita eſt hoc aliquid, ſed hoc aliquid, & quoddam in rerum ratione per ſe conſtans. Hæc igitur cùm ita ſint, conficitur fieri non poſſe, vt mens humana, quæ eſt forma hominis, ſit homine antiquior, ac tempore hominis ortum antecedat. Rurſus cùm in loco recitato ſubiungat Ariſtoteles, nunquid aliqua forma poſſit manere eo, cuius eſt forma, interempto, conſiderandum eſſe, nam in quibuſdam nihil prohibere, veluti ſi anima ſit huiuſmodi, non omnis, ſed mens, nemo tam rudis fuerit, qui ex his non intelligat Ariſtotelem ſentire mentem nullo pacto poſſe corpus humanum tempore antegredi; nam quemadmodum ſubiunxit nihil prohibere, quin maneat mens corpore diſſoluto, ita quoque non omiſiſſet dicere nihil eſſe impedimento, ne mens id cuius eſt anima, & forma, tempore antegrediatur, ſi de mente hanc opinionem habuiſſet. Reſpondent plerique Auerrois ſectatores nos falsò aſſumere humanam mentem de ſententia Ariſtotelis eſſe hominis formam. Hi perſpicuè falluntur, hoc autem quanquam ex his, quę de mente hoc in loco ſubiunguntur, poſſit intelligi, nam cùm dubitatio exiſtat, nunquid forma poſſit manere corrupto illo, cuius eſt forma, mens temere veniſſet in medium, ſi ipſa non eſſet hominis forma; attamen vt magis eluceat, hac de re priuata diſputatio eſt inſtituenda, ad quam nunc aggredior.

En

Ecquid cauſsa fuerit, cur mens humana à quibuſdam Peripateticis non ſit poſita vera ac propria hominis forma.

Cap. XX.

PLerique Peripatetici in hac diſputatione, nunquid mens humana ita ſit in homine, vt ſit huius forma & quidditas, verſantes duo formarum genera comminiſcuntur, quorum vnum aſſeuerant verè formare, ac perficere, quod eſt complere naturam & eſſentiam ſubſtantiæ compoſitæ, atque eſſe illud, quo hæc eſt id ipſum quod eſt: alterum duntaxat aſſidere, hoc eſt non conſtituere naturam & eſſentiam rei, cuius dicitur forma, ſed muneris ſuu ſtionem huic duntaxat impertire. Prioris generis formas vocant inhærentes, quas ſtatuunt in materia, è qua pullulant, adeo infixas radices habere, vt nullo queant modo auelli; quocirca cum corporibus, cum quibus aptæ connexæque degunt, vna naſci, atque interire; poſterioris autem generis formas appellant aſſidentes & actus ſeparabiles, ex quarum numero ſentiunt eſſe mentem humanam, quæ non eſt vera hominis forma generatione acquiſita, ſed foris venit, neque ex ſordibus materiæ educta, ſed diuinitus hauſta, atque libata; Hi de noſtra mente ita ſenſerunt, tum quia hanc de ſententia Ariſtotelis in numero mentium à materia ſeparatarum repoſuerunt, quas nefas eſt exiſtimare eſſe formas in corporibus hærentes, quippe quæ ſua natura ſunt integerrimæ, perfectiſſimæque ſubſtantiæ, & ex ſe hoc aliquid, & non id, quo quippiam eſt hoc aliquid; tum etiam quoniam in lib. 2. de anima 11. ſcriptum eſt quaſdam animæ partes, hoc eſt mentem humanam, eſſe ſeparabiles, quoniam non ſunt actus corporis partium. Quapropter ſi mês non eſt actus, nec etiam erit vera, propriaque forma, ſed non ſecus erit in corpore, ac nauta in nauigio, & motor in eo, quod mouetur; id quod mox ſignificauit Ariſtoteles, cùm ſubiunxit perſpicuum non eſſe, anima ſitne corporis actus, vt nauta nauigij.

Hæc

Hæc opinio Platonicorum animos occupauit, qui propterea ſolam animam eſſe ipſum hominem putarunt, quem ipſorum magiſter in primo Alcibiade finiuit animam rationis compotem, mentiſque participem, quæ corpore vtitur. Eandem Origenes fuit amplexatus in lib. 1. de principijs cap. 7. quo in loco ſentit hominum animas, poſtquam peccauerunt in hæc corpora, tanquam in ergaſtula fuiſſe detruſas ad pendendas ſuorum ſcelerum pœnas. Et hoc quidem eſt vetuſtum dogma, nam ante Origenem Empedocles, Anticles, & author ſecretioris ſecuudum Aegyptios philoſophiæ in lib. 1. cap. 5. voluerunt animas, quæ peccauerunt, in hæc corpora demitti, & pro peccatis, quæ commiſerunt, meritas pœnas reportare. Quinetiam Philolaus Pythagoricus teſtatus eſt priſcos Theologos & Vates ſenſiſſe propter ſupplicia animam corpori eſſe alligatam, & in eo veluti ſepultam. Hinc Orpheus apud Platonem in Cratyllo dixit corpus græcè vocari σῶμα. quaſi σῆμα, hoc eſt tanquam ſepulchrum, in quo anima condatur, pœnaſpue luat dignus ſceleribus, quæ à corpore ſoluta commiſit.

Mens humanæ eſt vera ac propria hominis forma.

Cap. XXI.

Hac aſſeueratione, quæ ſtatuit noſtram mentem non ſic nobis ineſſe, vt ſit noſtra forma, nec ſecus nobiſcum copulari, ac nauta cum nauigio iungatur, & nihil eſt magis alienum à veritate, ab Ariſtoteliſque doctrina, & nihil iniquius poteſt cogitari: Etenim huius amatores, ne videantur in mentem iniqui ipſam e mentium ſeparatarum numero eijcientes, ſi eam ſtatuerint eſſe veram ac propriam hominis formam, in homines ſunt multò iniquiores, quibus non ſolùm mentem & rationem adimunt, ſed etiam belluæ naturam affigunt: Enimuero ſi mens vera, propriaque hominis forma non fuerit, oportet propriam huius animam & formam eſſe

animam ſenſualem, quòd mente excepta nulla alia relinquitur anima, quæ poſſit eſſe vera, ac præcipua hominis forma. At verò cùm ab anima ſenſuali animal rationis expers conſtituatur, neceſſariè concluditur e natura hominis mente ſublata hunc in beſtiarum numero reponi, eiuſque naturam eſſe belluæ naturam. Quòd ſi hi non tanti ſe faciunt, vt exiſtiment ſupra belluas aliquem nobilitatis exceſſum ſibi fuiſſe à natura impertitum, vniuerſam tamen hominum ſpeciem non contemnant, in cuius intimis viſceribus ſic mentem hærere, vt hęc ſit vera ac propria hominis forma, ex his planè intelligetur. Ariſtoteles dum animam definit, omnes animas habet propoſitas, quæ in natiuis, & caducis corporibus hærent: atqui actus in animæ definitione poſitus ſignificat Ariſtoteli veram ac propriam formam, ergo de ſententia Ariſtotelis mens, qua homo intelligit initio lib. 3. de anima, eſt vera, ac præcipua hominis forma. Huic argumento aduerſariorum plerique reſiſtunt aſſeuerantes animæ definitionem nequaquam omnes animas comprehendere & mentem ipſam, atque iſtud Ariſto-
„ telem ſignificaſſe in lib 2. de anima 7. cùm ſcribit: Si aliquid
„ commune in omnẽ animam oportet dicere, erit vtiq; actus
„ primus corporis naturalis inſtrumentarij: quæ verba cùm ſint dubitantis, neque aſſeueranter, quod enunciat, conſtituẽtis, argumento ſunt hanc definitionem non eſſe huius modi, vt ad omnes caducorum corporum animas accommodetur, atque ad hominis animam, rationiſque compotem dilatetur. Hi fruſtra reſiſtunt, nam ab hac definitione amplecti quaſcunque corporum caducorum animas, ac præſertim illam, quæ eſt hominis propria, & principium intelligendi, illud primùm facit fidem, quòd Ariſtoteles in procemio lib. 1. de anima 7. veteres philoſophos accuſat, qui cùm de anima docere inſtituiſſent, ſolam hominis animam ſunt contemplati reliquis valere iuſſis, perinde ac ſi omnes animæ eſſent vnius & eiuſdem rationis; ergo ne ipſe eidem crimini fiat obnoxius, oportet, vt animam omnem, atque illam præcipuè, quæ propria eſt hominis, contempletur, dum quid eſt anima, definitione exponit. Accedit initio lib. 2 de anima vim & naturam illius animæ aperiri, in qua explicanda priſci illi animæ exploratores

per

per errorem lapſi fuerunt,quapropter quoniam hi vel ſolam, vel maximè hominis animam habuerunt propoſitam, concludendum eſt hnnc nullo pacto prætermitti ab Ariſtotele animam definiente. Quinetiam huius libri initio Ariſtoteles pollicetur ſe inueſtigaturum eſſe communiſſimam animæ diffinitionem, & in tex.8. ſe hoc præſtitiſſe affirmat; quocirca ne nos decipiat, & fides illius deſideretur, eum perſoluiſſe promiſſa eſt confitendum. Demum in tex.24. eiuſdem lib.oſtenditur animam eſſe rationem, formam & actum primum, quia eſt illud principium, quo animata corpora primùm viuunt, ſentiunt, mouentur, & intelligunt: atqui cùm hac argumentatione concludatur omnem animam, ne ea quidem, quæ principium eſt intelligendi,excepta,primum actum eſſe patet omnes animas in hac definitione eſſe concluſas. Neque hac in re Ariſtoteles hæſitauit, qui licèt in loco recitato concludat per modum hominis dubitantis, an omnis anima ſit actus primus corporis naturalis inſtrumentarij, hac tamen vtitur dicendi forma, non quia de re ambigat, ſed vt rei difficultatem ſignificet, atque ne in re ardua ac difficili nimis ſibi videatur arrogare: quapropter quod ſingularis eſt modeſtiæ, id properam creditur ambigui animi argumẽtum. Reſpondent alij animæ definitionem non peræquè in omnes animæ partes conuenire, nam licèt omnes hæ ſint actus, non omnium tamẽ vnam & eandem eſſe rationem, quoniam cùm actus non ſit vnius modi,ſed varius,aliuſque ſit aſſidens,qui per ſe conſtat, & eſt ſeparabilis, & alius inhærens, ac formans, qui eſt natura dimidiata,& inſeparabilis, mentem noſtram eſſe actum generis prioris, & reliquas animas poſterioris. Hi multum falluntur, nam animæ diffinitionem in omnes animæ partes æquè cõuenire ex Ariſtotele poteſt ſciri, qui paulò poſt vno eodemque principio, quod eſt: Anima eſt principium, quo primùm viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus; conficit omnem animam eſſe actum primum; atqui quod vna eademque rationem de multis oſtenditur, id his omnibus æquè tribuitur. Deinde ſi actus in animæ definitione poſitus eſſet varius, neque eadem ratione in omnes animas quadraret, vitio dandum eſſet Ariſtoteli, quòd huius vocis ſignificatus minimè

mè aperuerit, eaque in contexenda animæ diffinitione perinde fuerit vſus, ac ſit vnius naturæ ſignificatrix, in idque propterea inciderit, à quo cauendum eſſe nos monuit in lib. 1. de cœlo 110. Et ſanè cùm Ariſtoteles actum diuiſerit in primum & ſecundum, nulla erit cauſſa, cur alteram actus partitionem in eum, qui eſt per ſe conſtans, & aſſidens, atque in eum, qui inhæret ac format, negligeret, quippe quæ ad naturam animæ percipiendam non ſit minoris vtilitatis. Prҫterea actus primus Ariſtoteli ſignificat veram propriamque formam: non igitur actus in animæ definitione poſitus eſt varius ſic, vt ſit vel aſſidens, vel formans, ſed vnius eſt modi, ac perpetuò inhæret, completque eſſentiam. Quod eſt aſſumptum, id ex Ariſtotele intelligitur, qui initio lib. 2. de anima cùm ſubſtantiam diuiſiſſet in materiam, formam, & id, quod eſt ex his, formamque finiuiſſet id, ſecundum quod ſubſtantia compoſita eſt hoc aliquid, mox in tex. 4. oſtendit animam eſſe ſubſtantiam, quæ eſt vti forma; hocque oſtenſo ſubiungit ſubſtantiam, quæ eſt vti forma, eſſe actum, animamque propterea eſſe actum corporis naturalis poteſtate vitam habentis. Quoniam verò huius corporis actus eſt duplex, primus & ſecundus, animam primum actum eſſe concludit, ipſamque finiri actum primum corporis naturalis poteſtate vitam habentis. Ex his nemo fuerit tam plumbeus, qui non intelligat actum primum Ariſtoteli ſignificare veram propriamque formam. Idem quinetiam intelligitur cùm ex tex. 8. eiuſdem libri, in quo ſcribitur vniuersè dictum eſſe animam eſſe eam ſubſtantiam, quæ in ratione conſiſtit, atque hanc eſſe quod quid erat eſſe corporis naturalis inſtrumentarij; tum etiam ex tex. 24. eiuſdem libri, in quo confirmatur animam probè finitam fuiſſe actum primum ex eo, quòd anima eſt principium, quo primùm viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus; nam hoc principium eſſe verè, proprièque formam tam certum eſt, quàm quod maximè. Adiungendum eſt paulò poſt in tex. 36. afferri duas argumentationes, quibus monſtratur viuentis corporis animam eſſe cauſſam per modum formæ, quarum altera eſt, quia eſt actus illius, quod eſt poteſtate: verumenimuero quoniam in altera argumentatione perſpicuè concluditur eſſe veram propriamque

formam, planè idem in altera concludetur: quapropter cùm in hac aſſumatur actus in anima definienda aſſumptus, concludendum eſt hunc actum eſſe veram, inhærentemque formam. Iſtud cùm Plotinus probè cognitum haberet, ad initium lib. 2. enn. 4. Ariſtotelem accuſauit, quòd animam finiuerit actum primum & ἐντελέχειαν, quoniam anima non eſt forma, quæ inſit in corpore, ſed corpori ſolùm adeſt, & hoc vtitur, & cùm ſua vi ſubſiſtat, in corpore minimè hæret. Nec ſanè quiſpiam aliter exiſtimabit, qui huius vocis actus notionem & originem tenuerit, aut Græcis illam exquirentibus & aperientibus fidem adhibuerit. Hæc vox græcè eſt ἐντελέχεια, quam cùm Cicero in Tuſculanis putaret ſcribendam eſſe conuerſa conſonante T. in δ. interpretatus fuit eam ſignificare motus perennitatem, ſiue continuam perennemque motionem; nam cùm ex Platone intellexiſſet animam ex ſe ac perpetuò moueri, fortaſſe exiſtimauit Ariſtotelem quoque in eadem opinione fuiſſe, atque idcirco animam finiuiſſe continuam ac perẽnem motionem. Verùm hic egregiè lapſus eſt, quoniam hoc nomen ἐντελέχεια non eſt animæ proprium, ſed tribuitur omnibus formis, & anima non eſt motio, ſed principium motionis. Quòd ſi reſponderit continuam, perennemque motionem ſibi ſignificare ſubſtantiam in perenni, continuaque motione poſitam, accuſabitur, quòd anima ſentiens animaque intelligens nequaquam verſantur in continua & aſſidua muneris functione; & quòd ſtirpium, ac belluarum animæ perſpicuè ſunt natiuæ, atque caducæ. Sed huius interpretationem ab Ariſtotelis ſententia longè abeſſe notius eſt, quàm vt pluribus aperiatur; quicquid hac de re ſcripſerit Politianus in cap. 1. Miſcel, vt eam tueretur ab Argyropolo accuſatam, qui optimè declarauit actum & ἐντελέχειαν Ariſtoteli formam ſignificare. Hæc verò ſatis accommodatè hoc nomine nuncupatur, quoniam eſt finis generationis, ſummaque perfectio; tunc enim naturæ opus eſt abſolutum, cùm materia, quæ eſt poteſtate, formam eſt adepta, atque iſtud non obſcurè ſenſerunt Græci explicatores: Hinc Hermolaus, quem alij nonnulli poſtea ſunt ſecuti, ἐντελέχειαν vertit perfecti habiam, hoc eſt habitum perfectionis, tunc enim res benè ſe habet, ac perfecta exiſtit, cùm

ſuam

ſuam formam eſt adepta. Non eſt igitur dubitandum actum primum, quo Ariſtoteles in animæ definitione vtitur, veram ac propriam formam ſignificare; quòd ſi ita eſt, anima & mens humana de ſententia Ariſtotelis verè ac propriè eſt hominis forma. Huius præterea id fidem facit, quòd mens eſt principium, quo primùm intelligimus initio lib. 3. de anima; & illud principium, quo primùm intelligimus, eſt noſtra forma lib. 2. eiuſdem operis 24. Huic argumento occurrunt Auerrois aſſeclæ aſſeuerantes illud principium, quo primùm intelligimus in loco recitato lib. 2. de anima, non eſſe mentem, ſed animam cogitatricem, nam hoc in loco iſtud principium eſt principium quo cogitamus, & non quo intelligimus. Hi craſſis errorum tenebris ſunt circumfuſi, quoniam anima cogitatrix à mente, ſiue ab anima intelligente diuerſa nunquam fuit excogitata ab Ariſtotele, & principium, quo cogitamus, eſt mens ipſa. Animam cogitatricem ab Auerroe fictam non eſſe Ariſtotelicam argumento eſt, quòd hæc in libris de anima pro nihilo ſemper eſt habita, quodque Ariſtoteles diſputans de facultate imaginatrice hanc ſic laudibus effert, vt ſtatuat eam inter virtutes ſentientes primum dignitatis locum obtinere, aſſeueretque, dum mens obtegitur, per hanc homines fungi ſuo munere, hancque mentis vicem ſuſtinere: Verumenimuero ſi Ariſtoteles vim cogitatricem approbaret, hanc nullo pacto neglexiſſet, quippe qui in cæteris virtutibus ſentientibus explicandis, quæ huic dignitate cedunt, ſuam operam locauit, eidemque præterea omnia illa tribuiſſet, quæ in virtutem imaginatricem contulit. Reſpondent nonnulli, in diſputatione de vi imaginatrice hanc animam comprehendi, quippe inter hanc & illam magna eſt ſimilitudo. Hi potiùs augent, quàm eleuent dubitationem, quoniam cùm ſimilitudo creet errorem, efficitur, quò magis hæ animæ partes ſunt inter ſe ſimiles, eò enucleatiùs, atque diſtinctiùs de vtriſque agendum fuiſſe, ne aliquis in errorem ſimilitudine deceptus rapiatur. At verò principium, quo cogitamus, eſſe mentem, & animam intelligentem illud monſtrat, quòd hoc principium eſt illud, à quo ſumitur quartus vitæ gradus, quo homines continentur; hoc autem eſſe mentem ex eo intelligitur, quòd

cùm

cùm Ariſtoteles in lib. 2. de anima conſtituiſſet quatuor viuẽtium gradus, & de ſingulorum principijs ſeparatim articulatimque tractandum propoſuiſſet, nullius animæ partis naturam perſequitur, à qua hic quartus vitę gradus poſſit ſumi, vna excepea mente, quæ initio lib. 3. de anima eſt principium, quo intelligit anima, ſiue quo, vt Themiſtius interpretatur, homo vtitur ad contemplandum, & conſultandum. Iſtud præterea ab eo confirmatur, quia Ariſtoteles in hoc vitæ gradu ſignificando eas voces ſemper vſurpat, quæ præcipua ſignificatione mentem declarant: Etenim in lib. 2. de anima 13. eum vocat νοῦν, hoc eſt mentem; & paucis interiectis in tex. 22. δοξαστικον, Latinè habentem opinandi facultatem; atque poſt paulò in tex. 32. λόγισμον, και διανόιαν, id eſt rationem atque diſcurſum. Et verò hæ voces mentis propriæ ſunt, quæ græcè dicitur νοῦς, & διάνοια, ſolaque ratiocinatur, & à qua nequit diuelli opinio, quæ nunquam non ſequitur rationem lib. 2. de anima 157. Nec quicquam facit, quòd hoc principium vocetur principium, quo cogitamus; nam cogitare eſt munus mentis: Cùm enim huius duo ſint munera, quorum vno ſimplices naturas per ſe ſolas apprehendimus, altero has componimus, & diuidimus affirmando, & negando, ac ratiocinando, primum munus propria dicitur intelligere, & mens in hoc poſita propriè vocatur νοῦς græce, & mens Latinè; alterum verò vocatur cogitare, menſq; hoc fungens nuncupatur vis cogitatrix, ſeu ratiocinatrix, & græcè διάνοια. Hæc duo noſtræ mentis munera Themiſtius in lib. 1. de anima *66*. probè cognouit, quo in loco ſcriptum reliquit, etſi cogitare alicui videri poſſit ipſo intelligere præſtabilius, quòd ſimplicia comprehendere nullius eſt artis, ſed connectere & componere, attamen hoc illi multùm præſtare, nam vera & falſa eſt cogitatio, intelligentia nonniſi vera; & hæc eſt tanquam amplexus, & attactus rei, quæ intelligitur, illa veluti circuitio, luſtratio, & circumſpectio, nec acceſſio; quo fit, vt ſit imbecillitatis argumentum; ac propterea inter ipſam & intelligentiam id videatur intereſſe, quod inter oculos hebetiores & clariores. Cautè autem in loco memorato Ariſtoteles vſurpauit verbum cogitare, quoniam ſignificare volebat mentem qua ex parte eſt animę pars

& cor-

& corporis actus; atque hæc eatenus eſt huiuſmodi, quatenus eſt διάνοια; nam vt νοῦς multò diuinior eſt, quàm vt poſſit animæ pars, & corporis actus exiſtimari: Huius ea eſt ratio, quia ſi vt νοῦς eſſet pars animæ, & corporis actus, quicquid eſſet νοῦς, id numerandum eſſet in animæ partibus, & in corporis actibus, quod falſum eſſe Deus firmiſſimam facit perſuaſionem, qui eſt νοῦς & mens pręſtantiſſima, nulloque pacto fieri poteſt, vt ſtatuatur pars animæ, & corporis actus. Sed & præter hoc illud demonſtrat mentem humanam eſſe hominis formam, quoniam ab hac tribuitur conſtituens hominis differentia, quæ eſt particeps mentis ac rationis; anima enim rationali, quæ in nobis re idem eſt, quod mens, quæ eſt principium intelligendi ac ratiocinandi, homo eſt homo lib. 2. de gen. animal. cap. 3. & hæc eſt principium functionis contemplandi, in qua veluti hominis propria beatitudinem humanam Ariſtoteles in lib. 10. Ethic. ad Nicom. collocauit. Et ſanè ſi mens non ſit propria hominis forma, ſed aſſideat homini, non ſecus ac nauta nauigio, quo pacto per ipſam homo conſtituetur, eritque illud ipſum, quod eſt? qui poterit homo verè intelligere? Cùm enim intelligentia ſit functio manens in natura intelligente, in mente manebit, neque vllo pacto cum homine communicābitur; alioquin non video, cur eadem ratione nauigium non poſſit ſentire ac intelligere, quòd nauta, qui aſſidet ipſi, vtitur ſenſibus, & intelligendi munere fungitur. Hæc arbitror planiſſimè declarare Ariſtotelem poſuiſſe mentem humanam eſſe veram ac propriam hominis formam, quod quoque teſtatus eſt Plotinus initio lib. 2. enn. 4. & cum Plotino Olympiodorus in com. in Platonis Phædonem, atque Galenus in lib. Quòd animi mores ſequantur corporis temperationem; vt interim mittam præclariſſimos Ariſtotelis explicatores Græcos, Arabes, & Latinos, qui non ſecus ſententiam ipſius ſunt interpretati.

Ex-

Explicatio tex. 11. lib. 2. de anima, qui multos Peripateticos induxit, vt crederent mentem non eſſe veram, ac propriam hominis formam.

Cap. XXII.

QVæ perſuaſerunt aduerſarijs, vt Ariſtoteli tribuerent, quòd ſenſerit mentem, animamque noſtram non verè noſtrum corpus formare, & animare hæc momentum non habent, nam falſum eſt Ariſtòtelem repoſuiſſe mentem humanam in numero mentium ſeparatarum, & quæ ſcripta ſunt in lib. 2. de anima 11. ſic poſſunt explicari, vt ex ipſis nullum argumentum eruatur, quo confirmetur dogma ſtatuens humanam mentem non eſſe veram hominis formam. Hoc in loco tria ab Ariſtotele aſſeuerantur: vnum, anima non eſt ſeparabilis: alterum, ſi anima eſt partibilis, quædam eius partes non ſunt ſeparabiles, & quædam nihil prohibet, quominus ſint ſeparabiles; tertium, obſcurum eſt, nũquid anima ſit actus corporis, vt nauta nauis. Prima aſſeueratio non eſt, vt nunc explicetur, quòd in ea nullum illius, de quo diſputamus, ſit poſitum fundamentum. Secunda eſt obſcura, enimuero cùm animam eſſe partibilem trifariam poſſit intelligi, atque vno quidem modo vt more Platonis anima ſcindatur in partes loco & ſubſtantia diſiunctas; altero, vt anima veluti quoddam genus in multas animas tanquam in ſuas ſpecies diuidatur; tertio & poſtremo, vt anima multis facultatibus diſtinguatur, neque ſit forma ſimplici facultate donata, quemadmodum putauit Democritus, quam partitionem Ariſtoteles habuerit in animo controuerſum eſt. Ego arbitror tertiam & poſtremam partiendi ratione fuiſſe inſpectam ab Ariſtotele, quæ quoque eidem fuit propoſita de ſententia Alexandri in lib. 1. huius operis 7. Itaque hæc eſt huius loci ſententia: Si anima multis partibus & facultatibus eſt diſtincta, conſtat quaſdam ipſius partes non eſſe à corpore ſeparabiles, nimirum il-

las, quæ non ſine corpore, vel aliqua corporis parte tanquam inſtrumento ſua munera conficiunt, quippe quæ ſunt aliquarum corporis partium actus: Cæterum nihil vetat quaſdam, & illas, quibus nulla pars corporis ſeruit tanquam inſtrumentũ, eſſe ſeparabiles, veluti eſt ea pars animę, qua vtimur, dum contemplamur, & conſultamus, cuique nomen eſt mens, quandoquidem hæ non ſunt actus alicuius corporis partis. Priores facultates eſſe corporis partium actus ex ipſarum operibus intelligitur, quæ cùm poſtulent definitas corporis partes, quibus tanquam inſtrumentis perficiantur, argumento ſunt facultates eſſe harum partium actus. At verò mens noſtra cùm in ſuo munere obeundo non ſit addicta & mancipata alicui corporis parti, non eſt, vt corporis actus exiſtimetur, ſed putandum eſt hanc ſic eſſe datam animæ rationis compoti, vt non inſit in corpore, atque ipſius particeps minimè ſit corpus: atque hac in re ipſa diſcrepat a reliquis animæ facultatibus, quæ corporis & animæ ſunt communes. Porrò cùm dixi hanc facultatem non eſſe in corpore non ita intellexi, vt nullo modo inſit in corpore, ſiquidem cùm ſit animæ facultas, & anima ſit corporis actus, nequit fieri, vt non ſit in corpore, in quo ineſt anima, ſed ſtatui hanc non eſſe in corpore ſic, vt ſit actus illius, quemadmodum facultas videndi eſt actus oculi, & reliquæ facultates animæ ſentientis, animæq; nutrientis ſunt actus aliarum corporis partium. Enimuero cùm huius munus non recipiatur in corpore, vel in aliqua corporis parte tanquam in ſubiecto, ſed in anima perpetuò maneat, ac propterea in eo nec corpus, nec vlla pars corporis recupetur, nulla ratione fingi poteſt hanc facultatem continere corpus, vel aliquam corporis partem. At quiſpiam dubitabit, ſi mens non eſt corporis actus, conficitur animæ definitionem illi minimè congruere, atque animæ definitione non omnes animæ partes eſſe comprehenſas. Vt tollatur hæc dubitatio, duo ſunt attendenda, vnum mentis appellatione intelligi & animæ facultatem, qua vtimur ad intelligendum, & animam rationis compotem, quam ex præclariſſima facultate, & munere præſtantiſſimo mentem quandoque vocamus: alterum, animæ partium nomine ſignificari modò animæ facultates, & modò ſpecies, in quas anima veluti quod-

dam

dam genus eſt diſpertita: His animaduerſis dicendum eſt Ariſtotelem in anima definienda animæ ſpecies habuiſſe propoſitas,atque eo pacto finiuiſſe animam, vt definitio cunctis quidem animæ ſpeciebus conueniat, ſed non ad omnes animæ facultates dilatetur: Quapropter cùm mens, de qua ſermo in huius loci explanatione eſt nobis inſtitutus, ſit animæ facultas, non eſt, vt cuiquam videatur mirum, ſi ipſa non excipiat animę definitionem: Tertia aſſeueratio antequam explicetur, aperiendum eſt, quo pacto nauta vocetur actus nauis: Cùm actus propriè dicatur de forma,ac muneris functione,& nauta neque nauis forma, neque eiuſdem functio muneris ſit, profectò hic non erit propriè actus nauis. In quo autem ratio ſit poſita,propter quam inuenit hanc appellationem,incertum eſt: Ego exiſtimo nautam vocari nauis actum, quia quemadmodum forma & muneris functio dicuntur actus, quoniam cùm res ſuam formam eſt adepta, ſuoque munere fungitur, tunc nauiter,beneque ſe habet, haud ratione diſſimili nauta poteſt nauis actus exiſtimari, nam hæc ſuam eſt perfectionem conſequuta, cùm in ipſa fuerit nauta ſua opera præſtans, vt in eo ſit opere,cuius gratia eſt condita: Sententia igitur huius tertia aſſeuerationis eſt: Quamuis ex hactenus de anima traditis in inueſtiganda animæ definitione conſtet animam vel quaſdam animæ partes non eſſe ſeparabiles,quia ſunt actus corporis,vel partium corporis, attamen quoniam anima poteſt ſtatui corporis actus, non ſolùm quia eſt forma huius, & principium, quo illud ipſum eſt,quod eſt,verùm etiam quia eſt principium alicuius functionis & operis in hoc exiſtentis, adhuc obſcurum eſt, nunquid eo pacto ſit actus corporis, quia ſit principium, quo corpus animatum fungitur ſuo munere, quo modo nauta eſt actus nauis: Enimuero cùm nondum fuerit explicatum animam eſſe principium functionum,quas corpus anima præditum ex ſe fundit, nemo ex ijs, quæ dicta ſunt, poteſt explicatè comprehenſum habere, ſitne anima actus corporis, quia ſit functionnm principium. De hoc autem quid ſtatuendum ſit,ex ijs,in quibus deinceps Ariſtoteles ſuam operam locabit, planè conſtabit. Hæc igitur cùm ſit huius obſcuri loci explicatio,perſpicuum eſt oleum & operam perdere, qui vtũ-

tur eo ad perſuadendum Ariſtotelem voluiſſe mentem humanam non eſſe actum & formam corporis, & hanc induxiſſe, quæ non ſecus ſit in corpore, ac nauta in nauigio.

Conſideratio primi Ariſtotelici argumenti, quo ad initium lib. 1. de part. animal. oſtenditur non intereſſe philoſophi naturalis de omni anima docere.

Cap. XXIII.

PRoximum eſt, vt conſideremus, nunquid loci initio huius diſputationis recitati ſint huiuſmodi, vt monſtrent mentem noſtram eſſe in numero mentium à materia ſeparatarum, ſuoque corpore antiquiorem. In lib. 1. de part. animal. cap. 1. dum Ariſtoteles adimit philoſopho naturali mentis contemplationem, arbitrantur aduerſarij hinc clarè intelligi Ariſtotelem ſenſiſſe noſtram mentem eſſe in numero mētium à materia ſeparatarum, quorum exiſtimatio recta ſit nec ne, vt cognoſcamus, danda eſt a nobis opera, vt huius loci vim & ſententiam probè teneamus, & præſertim quòd argumenta, quibus hic perſuadetur non intereſſe naturalis ſcientiæ mētem contemplari, ab omnibus ſemper habita ſunt difficilia, eaſque in animis recentium Peripateticorum turbas excitarunt, quæ nondum videntur compreſſę. Mirandulanus in lib. 18. de euerſione ſingularis certaminis, & ante hunc Pomponatius, Mædius, & Buccaferreus putarunt has argumentationes eſſe probabiles, neque in his Ariſtotelis conſilium eſſe ad veritatem perſuadere non intereſſe phyſici de mente diſquirere: eo autem adducuntur, quòd Ariſtoteles his neglectis noſtræ mentis naturam inueſtigauit & aperuit in lib. 3. de anima, quem librum ad naturalem philoſophiam pertinere, ſic conſtans eſt omnium philoſophorum opinio, vt Ammonius apud Philoponum, initio lib. 3. de anima exiſtimauerit ſe poſſe aduerſus

uerſus Alexandrum concludere mentem effectricem, cuius contemplatio eſt Ariſtoteli in hoc libro propoſita, non eſſe Deum, quem contemplari tributum eſt primo philoſopho. Adiungunt, ſi mentis aciem his argumentis voluerimus adijcere, nos intellecturos eſſe propoſitiones in eis aſſumptas à vero abeſſe, neque ex his quod colligitur, neceſſariè colligi, de quo ne quis dubitet, prima argumentatio in medium veniat: In hac concluditur non intereſſe phyſici docere de mente, quoniam præter naturalem philoſophiam nulla alia relinqueretur ſcientia: atque huius connexi ea ratio affertur, quoniam qui mentem contemplatur, neceſſe eſt eum verſari in omnibus intelligibilibus perſpiciendis, & quod ſequens eſt, tenere rerum omnium notiones: Verumenimuero quis non intelligat, ſi hæc argumentatio eſſet neceſſaria, fore, vt nullius ſcientiæ ſit verſari in mentis contemplatione? quandoquidem cuicunque ſcientiæ hæc fuerit tributa eidem poterit non diſſimili argumentatione adimi? Deinde cùm intelligibilia duobus modis poſſint conſiderari, vno ea ratione, qua ſunt intelligibilia; altero iuxta proprias ſingulorum naturas, profectò quiſquis mentem contemplatur, oportet hunc omnia intelligibilia qua ex parte ſunt intelligibilia, habere perſpecta, & non eſt neceſſe eundem tenere proprias ſingulorum naturas: quocirca cùm in his inueſtigandis multæ ſcientiæ poſſint occupari, non ſequitur, ſi philoſophus naturalis mentem contempletur, vt præter ſcientiam naturalem nulla alia ſcientia relinquatur: Hæc iſti, quibus alij reſiſtunt aſſeuerantes alienum eſſe ab Ariſtotelis conſuetudine in loco ad tractationem accommodato neglectis neceſſarijs argumentis vſurpare probabilia, atque quæſtionis data opera ad tractandum propoſitæ falſam afferre explicationem. Qua ratione verò hæ argumentationes ſint exponendæ ſic, vt habeant firmitatem, neceſſarieque concludant, magna eſt varietas, & ne nunc ſingulorum explicationes in medium afferam, quod longum eſſet, nec ſine faſtidio, quid recentes nonnulli ſcripſerint, duntaxat conſiderabo. Hi ſtatuunt mentem noſtram duobus modis ſpectari poſſe, vno modo in eo, quòd eſt hominis anima, & in homine principium intelligendi; altero in eo, quòd eſt mens ſeparata habitaque

ratio-

ratione ipſius naturę & quidditatis; priore modo inquiunt noſtram mentem cadere in philoſophi naturalis conſideratione, hocque modo fuiſſe ab Ariſtotele inſpectam in lib. 3. de anima: poſteriore autem pertinere non ad naturalem, quod his argumentis conficitur, ſed ad primum philoſophum: nam cùm huius quidditas & ſubſtantia ſit à materia diſiuncta, nullamque propterea materiam accipiat in definitione, nequit fieri, vt cadat in philoſophi naturalis conſiderationem, qui formas, quas intuetur, non ſine materia definit lib. 2. phyſ. t. 21. ſed tribuenda eſt primo philoſopho, cuius eſt contemplari formas & ſubſtantias ſua natura à materia ſeparatas. Quo autem modo ſequatur, ſi philoſophus naturalis mentem contempletur, fore, vt præter naturalem philoſophiam nulla ſcientia relinquatur, duæ ſunt declarationes, nam cùm huius conſequutionis firmitas in eo poſita ſit, quòd mens intelligibilium eſt, atque nomine intelligibilium poſſint intelligi & ſubſtantiæ à materia ſeparatæ, quæ ſua natura ſunt intelligibiles, conſtituuntque alteram partem illius diuiſionis, qua ea, quæ ſunt, diuiduntur in ſenſibilia, & in intelligibilia; & præterea quæcunque noſtræ menti obijciuntur ad intelligendum, complentque noſtræ mentis obiectum, nonnulli, in quibus eſt Piccolomineus, priorem ſignificatum accipientes hoc ita interpretantur, vt ſenſum ſit mentem eſſe e numero intelligibilium, & ſubſtantiarum à materia ſeparatarum: & quoniam omnium inter ſe coniunctorum eadem eſt contemplatio, hinc concludunt fore, vt philoſophus naturalis contempletur omnes ſubſtantias a materia ſeparatas, & quod relinquitur, nullus locus ſit primæ philoſophiæ, quæ inducitur, vt in his perſpiciendis ſuam operam locet, ac propterea præter naturalem philoſophiam nulla alia relinquatur philoſophia. Quòd ſi quiſpiam obijciat diſciplinas mathematicas eſſe ſcientias, neque has tolli, ſed integras manere, ſi philoſophia naturalis contempletur ſubſtantias à materia ſegregatas; hanc obiectionem declinant aſſeuerantes has non eſſe philoſophię partes, quòd tot ſint philoſophiæ partes, quot ſubſtantiæ lib 4. poſna t. 4. & ſcientiæ mathematicæ nequaquam poſitæ ſint in ſubſtantia conſideranda; accuſántque Theodorum Gazam vertentem præter

natu-

naturalem philoſophiam nulla relinquetur ſcientia, cùm eſſet vertendum præter naturalem philoſophiam nulla relinquetur philoſophia: Etenim multum intereſt inter ſcientiam & philoſophiam, cùm omnis philoſophia ſit ſcientia; & non contra omnis ſcientia ſit philoſophia. Alij, vt Mercenarius, poſteriorem ſignificatum amplectentes huius ſenſum eſſe aiunt mentem referri ad intelligibilia veluti ad ea, à quibus mouetur, quæque illi obijciuntur ad intelligendum: & quoniam eorum, quæ ad ſe mutuò referuntur, eadem eſt contemplatio, idemque modus conſiderandi, ex his conficiunt fore, vt philoſophus naturalis ſi contempletur mentis quidditatem, vt quoque intueatur intelligibilia in eo, quòd ſunt à materia diſiuncta, quoniam mentis quidditas nullam materiæ coniunctionē agnoſcit, & propterea omnia ſibi aſſerat, quæ primam philoſophiam conſtituunt: quinetiam adiungunt ſibi vendicaturū eſſe formas mathematicas, nam ſi ob id, quòd mentis quidditatem intuetur, verſatur in formis à materia re ſuaque natura ſeparatis, quæ longiſſimè abſunt ab ijs, quæ ſua natura ſunt materiæ coniuncta, & vt coniuncta materiæ definiuntur, quæque ipſius propria ſunt, multò commodiùs poterit verſari in formis mathematicis perſpiciendis, quæ, quòd coniunctæ ſint materiæ, tametſi ſine hac definiantur, propiùs accedunt ad naturam eorum, in quibus ipſe propriè occupatur: quapropter cum Ariſtotele colligunt philoſophum naturalem rerum omnium notiones habiturum eſſe, nullamque ſcientiam præter philoſophiam naturalem relictum iri. Hæc non carēt difficultatibus: Principiò adimere philoſopho naturali contemplationem quidditatis, & naturæ mentis humanæ non eſt abſque Ariſtotelis crimine, qui in lib. 3. de anima huic ea tribuit, quæ illius naturam & quidditatem comitantur, totuſque eſt in his declarandis & demonſtrandis. Quòd ſi mens, hominiſque anima poteſt finiri actus primus corporis naturalis aptè nati exercere actum intelligendi, quæ definitio, quoniam non eſt ſine materia ſenſibili, pertinet ad philoſophum naturalē, quis non ſentiat philoſophum naturalem iniuria priuari cognitione mentis humanæ quidditatis, quæ hac definitione aperitur? Reſpondebunt forſitan hanc definitionem aut non eſſe eſſen-

tialem,

tialem, ſed accidentalem, & non patefacere mentis humanæ quidditatem; aut ſanè declarare noſtræ mentis quidditatem, qua ex parte eſt anima noſtra, & in nobis principium intelligendi: Sed quodcunque probent, aliquod incommodum nunquam non erit præſtò: nam ſi ſumant prius, mens per accidens erit hominis anima, homoque præſtantiſſimum huius vniuerſitatis animal ex ijs exiſtet, quorum copulatio eſt ex accidenti: Sin poſterius, vnius ſimplicis formæ, & à materia diſiunctæ erunt duæ quidditates, duæque naturæ: Hoc autem & illud nemo in Ariſtotelis doctrina eruditus in abſurdis non numerabit. Deinde cùm Ariſtoteles dubitet, nunquid interſit phyſici diſputare de omni anima, & concludat non eſſe in huius partibus docere de omni anima, quia non contemplatur mentem, quis non conijciat Ariſtotelem ſumere mentem in eo, quòd eſt anima? Non enim rectè neceſſarièque colligi poteſt philoſophum naturalem non diſputare de omni anima, quia non contemplatur mentem, niſi hæc in eo, quòd eſt anima, inſpiciatur. Sed & hoc perſpicuè intelligitur ex ſecunda argumentatione, in qua dum oſtenditur non omnem animam eſſe principium motus, quia mens non eſt alicuius motus principium, mens planè inſpicitur, qua eſt anima hominis. Præterea prior horum verborum, Mens intelligibilium eſt, explanatio abhorret ab Ariſtotele, de cuius ſententia mens hoc in loco non ſecus eſt intelligibilium, ac ſenſus ſit ſenſibilium: atqui ſenſus non eſt ſenſibilium, quia ſit ſenſibilis, & in numero ſenſibilium, nam prorſus fugit noſtrorum ſenſuum comprehenſionem; ergo nec etiam mens erit intelligibilium, quia ſit intelligibilis, & in numero intelligibilium. Poſterior autem interpretatio, ſi ſtatuatur cum eius authoribus mentem in hac argumentatione inſpici, qua ex parte eſt mens & ſubſtantia à materia ſeparata, inepta eſt, quoniam cùm in mente à materia ſeparata idem ſit intelligibile, quod natura intelligẽs, id, quod in hac argumentatione concluditur, non erit diuerſum ab eo, ex quo concluditur: Enimuero monſtratur philoſophum naturalem verſaturum eſſe in intelligibilibus perſpiciendis, quia mentem à materia ſeparatam contemplatur: atqui intelligibilia idem ſunt, quod natura mentis a materiæ ſeparatæ, cu-

ius

rus ſunt obiecta. Poſtremò ratio, qua oſtenditur philoſophiam naturalem extinguere ſcientias mathematicas, non eſt neceſſaria; ſi quidem non eſt neceſſe philoſophum naturalem contemplari formas ſecundum definitionem à materia ſenſibili ſeparatas, ſi intueatur formas ſecundum definitionem, & ſecundum ſuam naturam à materia ſegregatas, quoniam quæ cadunt in philoſophi naturalis conſiderationem, ea ex his tanquam ex ſuis cauſſis & principijs pendent, & non ex illis. Sed „ hos mitto, & quid ipſe ſentiam, declarare aggredior. Hoc „ primum argumentum his verbis continetur: Si de omni ani- „ ma interſit naturalis ſcientiæ docere, nulla certè præter na- „ turalem philoſophiam relinquetur ſcientia: Intellectus „ enim ſiue mens rerum intelligibilium eſt. Itaque rerum om- „ nium notiones naturalis vna tenebit: eſt enim eiuſdem ſciē- „ tia, vt tam de intellectu, quàm de re intelligibili doceat, ſi- „ quidem eadem contemplatio omnium eſt inter ſe coniun- „ ctorum, ſicut etiam ſenſus & rei ſenſibilis. Quam vim habeat hæc prima Ariſtotelis argumentatio, perſpicuum erit, ſi antè tres voces in ea aſſumptæ, quæ ſunt philoſophia, mens, & intelligibilia, quid Ariſtoteli ſignificent, à nobis fuerit expoſitū. In his verò explicandis adeunda ſunt Platonis ac veterum philoſophorum placita, in qua arbitror intueri Ariſtotelem, cùm hanc dubitationem proponit: nam cùm ipſe nondum conſtituerit, quid de mēte & anima ſentiendum ſit, quòd hoc patefacere creditum eſt libris de anima, quos hi libri de part. animal. prægrediuntur, fieri non poteſt, vt quiſpiam animaduertens Ariſtotelis opinionem, quæ adhuc eſt obſcura, anquirat, nunquid interſit ſcientiæ naturalis de omni anima diſquirere, quoniam ex incognitis nulla arripitur dubitandi occaſio; ſed par eſt, vt ob ea, quæ à Platone, & à priſcis philoſophis de mente philoſophia, & intelligibilibus tradita omnibus cognita erant, Ariſtoteles dubitet, hiſque poſitis dubitationi occurrat. Sciendum igitur eſt veteres ſapientes numerum partium philoſophiæ contemplatricis hoc modo collegiſſe: Cùm tota hæc philoſophia in veri contemplatione verſetur, & omnia quæcunque ſunt, naturamque habent conſtantem & non mutabilem, ſibi cognoſcenda proponat, tot eius erunt partes,

quot ſunt harum rerum ordines & gradus. Hos verò Pythagorici, vt ſcribit Syrianus in com. lib. 12. poſtnat. tres eſſe voluerunt, quorum primum & ſupremum vocarunt intelligibilem, quòd ſola mente comprehendatur, alterum & medium cogitabilem, quia in cogitationem ſiue in imaginationem cadit, tertium & poſtremum ſenſibilem, quoniam noſtris ſenſibus eſt expoſitus: ergo in tres partes vniuerſa philoſophia contemplatrix erit diſtributa, quarum prima, cui nomen eſt Theologia, ſiue poſtnaturalis & prima philoſophia, ſibi vendicat res intelligibiles; altera, cuius amplexu diſciplinæ mathematicæ continentur, in notitia rerum cogitabilium poſita eſt: tertia quæ appellatur naturalis, in cognoſcendis rebus ſenſibilibus occupatur. Porrò tametſi habeantur tres philoſophiæ contemplatricis partes, attamen ſi philoſophiæ nomen preſsè vſurpetur, hæc philoſophia erit bipartita, nam diſciplinæ mathematicæ ex numero philoſophiæ partium ſunt eijciendæ, quia nulla eſt pars philoſophiæ contemplatricis preſſe acceptæ, quæ ſubſtantiam, & id, quod verè eſt, non contempletur, in cuius cognitione nullam mathematicam diſciplinam videmus ſuam operam locare. Non enim credendum eſt Pythagoricis, qui res mathematicas in ſubſtantijs numerabant, haſque eſſe medias interiectas inter res intelligibiles reſque ſenſibiles exiſtimabant, aduerſus qnos in poſtremis libris poſtnaturalibus diſputatur. Adiungendum eſt magnum & præclarum eſſe philoſophiæ nomen, & qui philoſophiam dignè profitetur, hic ab omnibus magno in honore & pretio habetur: at cùm priſcis illis temporibus pueri & adoleſcentuli ſuam primam operam diſciplinis mathematicis nauarent, non eſt, vt his philoſophiæ nomen adſcribatur. Quòd nonnulli arbitrantur ad has diſciplinas e numero philoſophiæ partium eijciendas multum valere, quòd ſcriptum ſit in lib. 4. poſnat 4. tot eſſe philoſophiæ partes, quot ſubſtantiæ, hi non rectè arbitrantur, nam ſi attento animo hunc Ariſtotelis locum eſſent contemplati, intellexiſſent philoſophiæ nomine ſignificari non vniuerſum philoſophiæ corpus, ſed membrum huius præcipuum primamque philoſophiam: Quapropter tametſi veriſſimum ſit philoſophiam preſsè acceptam in ſubſtantijs duntaxat occupari,

cupari,

cupari, hoc tamẽ perperam colligitur ex hoc Ariſtotelis loco. Porrò diſciplinas mathematicas non eſſe in numero philoſophiæ partium reponendas Platonici quoque ſenſerunt, atque huius rei teſtis eſt apud Euſebium in lib. 11. de præparat. euãg. cap. 1. Atticus Platonicus, qui in libro, quem aduerſus illos conſcripſit, qui Ariſtotelicam ſciẽtiam habentes Platonicam profiteri non audent, vniuerſam philoſophiam partitus eſt in Logicem, Ethicem, & Phyſicem, atque hanc in eorum, quæ ſenſu percipiuntur, cognitionem, atque in rerum, quæ ſola mente apprehenduntur, contemplationem. Cæterùm quamuis mathematicæ diſciplinæ id dignitatis non ſint adeptæ, vt ſibi locum aſſerant inter partes philoſophiæ preſsè acceptæ, non eſt tamen, vt cum Ariſtippo & Epicureis contemnantur, nam hæ magnum habent momentum ad vitam præclarè inſtituendam, ſuntque veluti præludia & apparatus ad philoſophiam, quod Plato cùm intelligeret, neminem vnquam admiſit in auditorem, qui harum eſſet ignarus. Hoc igitur in loco philoſophiæ vocabulum & latè, & preſsè, vt collubuerit, poteſt accipi, eoque diſciplinæ mathematicæ poſſunt contineri, & non contineri. Sequitur intellectus, ſiue mẽtis vocabulum: Iſtud apud Ariſtotelem multas ac varias ſignificationes inuenit, nam aliquando latè patens ſignificat imaginationem, atque eam animæ partem, qua intelligimus, vt in lib. 3. de anima 48. Præterea quandoque eam ſolam animi partem, qua vtimur ad contemplandum & ratiocinandum, vt ſub exitum lib. 2. de anima, in lib. 3. eiuſdem operis multis in locis, atque alibi ſæpè. Adhæc cùm hæc animæ pars, qua intelligimus, duas vires ſibi aſciſcat, quarum altera vniuerſas rerum naturas contemplamur; altera res humanas ordinamus & adminiſtramus, verbum mentis nonnunquam deſignat vim priorem, quam vocamus contemplatricem, vt in lib. 2. de anima 21. & aliquando poſteriorem, quæ actiua dicitur, veluti in lib. 1. eiuſdem operis 24. vbi traditum eſt mentem, quæ ex prudentia nominatur, non omnibus hominibus eſſe conceſſam. Rurſus hoc nomine interdum obſignatur functio mentis, vt in lib. 3. de anima 26. quo in loco ſcribitur non omnem mentem, ſed quæ eſt ipſius quid eſt ſecundum ipſum quod quid erat eſſe,

R 2 ve-

Digitized by Google

veram eſſe. Denique eandem vocem vſurpat Ariſtoteles in lib 3. de anima 18. ad eam mentem ſignificandam, quæ nominatur effectrix, quęque eſt mens diuina, atque à materia ſegregata. Hoc in loco mentis vocabulo mentem hanc poſtremam intelligo, per quam homo rebus diuinis fit cognatus, cuiuſque, vt inquit Plato in Timæo, Dei quidem omnes ſunt participes, homines autem pauci, nam ijs ſolis hominibus hęc mēs contingit, qui animum à rei ciuilis & familiaris cura abducentes ſeſe contemplationi dederunt. Hi verò cum hac mente copulati efficiuntur beati, & quò magis cum ea vinciuntur, & arctè conſtringuntur, eò puriorem ac veriorem fœlicitatem conſequuntur, nam huius ope relictis falſis rerum in ſenſum cadentium imaginibus ad ideas, ac veras res intelligibiles extolluntur, in quarum contemplatione poſiti à corporeis vinculis quodammodo ſoluuntur, & ad Dei naturam proximè accedunt. Vt hanc vocem in hac notione accipiam, id facit, quòd hæc mens effectrix eſt ſimpliciter, ſuaque natura mens; quocirca par eſt vocabulum mētis ſimpliciter pronunciatum vſurpari ad hanc ſignificandam. Mens noſtra non eſt ſanè indigna hoc nomine, verùm Ariſtoteles conſueuit eam vocare mentem, qua intelligit & exiſtimat anima, quod liquet ex lib. 3. de anima 1. & 5. Reſtat hæc vox, Intelligibilia, quæ græcè eſt νοητά: Hac voce cùm intelligamus interdum ea, quæ ſua natura ſunt intelligibilia, veluti ſunt mentes beatæ, atque Platonis ideæ; ac interdum ea omnia, quæ menti ad intelligēdum obijciuntur; in hac argumentatione intelligibilia opinor ſignificare Ariſtoteli quæcunque obijciuntur menti ad intelligendum. Hæc verò ſi Platonis doctrinam ſequamur, in quam arbitror Ariſtotelem potiſſimùm intueri, non diſcrepant ab ijs, quæ verè ac propriè ſunt intelligibilia, ſuaque vi ſunt à materia diſiuncta: Etenim puto hunc locum Ariſtotelicum magnam affinitatem habere cum Platonis loco in Timæo, vbi ideas eſſe ponendas hoc oſtenditur modo: Si mens differt à vera opinione, neceſſe eſt, quæ cadunt in mentem, ab ijs differre, quę in veram opinionem incidunt: ſed opinio perſpicuè diuerſa eſt à mente; ergo ideæ ſunt ponendæ, ponendaque ſunt intelligibilia, quorum eſt mens. Hic Plato clarè ſentit in-

telli-

telligibilia, quorum eſt mens, ideas eſſe; quod quoque voluit ſub exitum lib. 6. de Rep. vbi duo rerum genera inducens vnũ intelligibile, alterum ſenſibile, atque vtriſque binas partes, claras & obſcuras tribuens ſtatuit partem claram generis intelligibilis continere ideas, atque has ſola mente percipi; partem obſcuram eſſe formas mathematicas, quarum eſt cogitatio; ad partem claram generis ſenſibilis referri res ſenſibiles veras, atque has in opinionem venire; & ad partem eiuſdem generis obſcuram reuocari rerum ſenſibilium vmbras & imagines, quarum omnium eſt coniectatio. His ita expoſitis non eſt difficilis Ariſtotelicæ argumentationis explicatio, quæ eſt huiuſmodi. Si de omni anima, hoc eſt, vt ego interpretor, ſi de omnibus, quæ ad animam pertinent, & ſunt in anima, naturalis ſcientia diſſereret, præter naturalem philoſophiam nulla relinqueretur alia ſcientiæ vel philoſophiæ pars: atqui iſtud ſtat à mendacio; non igitur philoſophiæ naturalis intereſt de omni anima docere. Connexum explicatur: Si quicquid ad animam pertinet, & in anima eſt, philoſophia naturalis contempletur, mentem quoque diuinam, quæ eſt veluti habitus noſtræ mentis, ſuaque præſentia facit, vt hæc fiat actu mens, actuque intelligibilis, non ſecus ac lumen facit ſua præſentia colores actu colores, actuque aſpectabiles, contempletur, eſt neceſſe; ſed huius mentis natura & vis non probè apprehenditur abſque notitia rerum ſua natura intelligibilium; ergo philoſophus naturalis has quoque tenebit, & quod ſequitur, nihil erit à philoſophi naturalis tractatione alienum, nullaque præter naturalem philoſophiam relinquetur pars ſcientiæ, vel philoſophiæ: Enimuerò cùm ſubſtantiæ, in quibus cognoſcendis poſita eſt philoſophia contemplatrix preſsè accepta, & ab Attico phyſicè appellata, ſint vel ſenſibiles, vel intelligibiles; atque philoſophus naturalis tractet ſenſibiles, veluti eas, quæ ſunt ipſius conſiderationis propriæ, ac præterea intelligibiles, quòd ſine his nemo poteſt aſpirare ad mentis cognitionem, omnes planè ſubſtantias philoſophus naturalis contemplabitur, nullaque præter philoſophiam naturalem erit ſcientia, aut philoſophia, cùm præter ſenſibiles, intelligibileſque ſubſtantias nulla ſubſtantia relinquatur, cuius cognitioni ad-

dicta ſit alia pars philoſophiæ. Quòd ſi aliquis exiſtimet philoſophiæ nomen latè ſumendum eſſe, dilatandumque ad mathematicas diſciplinas, has quoque non erit difficile perimere, quoniam ſi philoſophia naturalis ſuam operam locabit in perſpiciendis rebus ordinis intelligibilis, res etiam ordinis cogitabilis habebit propoſitas, quibus diſciplinæ mathematicæ conſtituuntur; Huius ratio eſt, quia hi tres gradus ſiue ordines rerum de veterum ſententia ſic inter ſe ſunt digeſti, vt non liceat ex infero ac ſenſibili ad ſuperum & intelligibilem aſcendere, niſi per medium ac cogitabilem aditus pateat: qua e re præter naturalem philoſophiam non ſolùm non relinquetur prima philoſophia, ſed nec etiam relinquentur ſcientiæ mathematicæ. Porrò philoſophum naturalem, ſi mẽtem diuinam contempletur, conſideraturum eſſe intelligibilia, illud confirmat, quòd mens & intelligibilia ad ſe mutuò referuntur, & quæ ſunt huiuſmodi, ea cadunt in vnius ſcientiæ conſiderationem. Hæc eſt explicatio huius Ariſtotelicæ argumentationis, quæ philoſophiæ naturali, & non primæ adimit mentis diuinæ contemplationem, quoniam illi, & non huic iniunctum eſt verſari in ſubſtantijs ſenſibilibus; ex quo fit, vt ſi quoque de intelligibilibus doceat, ea omnia teneat, in quibus vniuerſa philoſophia occupatur, nullaque alia præter ipſam relinquatur philoſophia: Et quamuis qui mentem intuetur, intelligibilia intueatur, qua ex parte ſunt intelligibilia, hæc tamen ſic intuetur, vt ipſorum naturam non ignoret, nam & qui de ſenſu inſtituit diſputationem, hic rei ſenſibilis naturam teneat, eſt neceſſe.

Se-

Secundi argumenti, quo idem perſuadetur, explanatio.

Cap. XXIV.

SEquitur altera argumentatio, quę in his verbis continetur. An non omnis anima principium motus eſt? Neque partibus animæ omnibus id tribui debet, ſed augendi principium idem putandum, quod & in plantis eſt: alterandi vim eandem, quam ſentiendi: deferendi autem aliud quicquam, non autem vim intelligendi; delationem enim vel in cæteris eſſe animalibus nouimus, intellectum, ſiue mentem in nullis. Conſtat igitur non de anima diſſerere omni oportere, quandoquidem non anima omnis natura eſt, ſed aliqua eius pars vna, aut etiam plures. Hæc Ariſtoteles, in quibus videtur ita argumentari. Si philoſophus naturalis de omni anima diſſereret, omnis anima eſſet principium motus; ſed non omnis anima eſt principium motus; non igitur philoſophus naturalis de omni anima docebit: Connexum huius argumentationis cùm ſit euidens, ab Ariſtotele breuitatis amatore fuit omiſſum: Enimuero ſatis conſtat philoſophum naturalem illas ſolas formas inſpicere, quæ ſunt motus principia in corporibus naturalibus, nam quæcunque formæ non ſunt huiuſmodi, hæ cùm non ſint corpora naturalia, aut horum affectiones, aut affectionum principia, ſunt adimendæ naturali conſiderationi, quæ tota in his omnibus poſita eſt initio lib. 1. de cœlo. Aſſumptum confirmatur, quia mens non eſt motus alicuius principium: etenim cùm tria ſint motuum genera, accretio, alteratio, & delatio, mēs nullius principium poteſt ſtatui, nam accretionis principium eſt anima vegetalis, alterationis anima ſentiens, & delationis alia quædam animæ pars præter mentem; delatio enim in plurimis cernitur animantibus, in quibus non eſt mens. Hæc eſt Ariſtotelis argumentatio, quam veluti probabilem, & non neceſſariè concludentem Pomponatius, Buccaferreus, Madius, & Mirandula-

nus

nus ſunt calumniati, quandoquidem in ea aſſumitur, & oſtenditur mentem non eſſe motus principium, quod cum ijs pugnat, quæ in lib. 3. de anima, & in lib. de communi animal. motu tradita ſunt. Quicunque tuentur huius argumentationis efficaciam, hi in duas ſectas ſunt diſtracti, nam alij negant Ariſtotelem poſuiſſe mentem eſſe principium motus; & alij affirmant, quanquam non eo pacto, quo eſt natura. Ex negantium numero eſt Mercenarius, qui putat ijs in locis, in quibus Ariſtoteles ſtatuit mentem eſſe motus principium, mentis nomine intelligendam eſſe vim imaginandi; atque id colligit ex lib. 3. de anima 48. vbi hæc habentur: ,, *Videntur autem duo hæc mouentia, aut appetitus, aut mens, ſi quis vim imaginandi ponat, vt mentem quandam.* Hic errat, abeſtque ab Ariſtotele, qui in lib. recitato perſpicuè ſentit veram propriãque mentem eſſe principium motus: nam in tex. 49. mentem, quam ſtatuit principium motus, appellat mentem actiuam, quæ nullo pacto poteſt exiſtimari facultas imaginatrix, cuius non eſt actio, ſiue praxis: & in tex. 50. aſſeuerat mentem non mouere ſine voluntate; hæc verò ſeſe comitem adiungit, non facultati imaginatrici, ſed ſoli veræ, propriæque menti; & paulò poſt in tex 51. cùm de mente, quæ motus principium eſt, loqueretur; ,, Mens, inquit, omnis recta eſt, vis autem appetendi & imaginandi recta & non recta. In his non obſcurè ſeparatur mens, quæ ſemper eſt recta, à vi imaginandi, quæ interdum eſt recta, interdum non recta. Sed hæc ita clara ſunt, vt exiſtimandum ſit hunc virum oculis conniuentibus inſpexiſſe Ariſtotelem in lib. 3. de anima de facultate motrice diſputantem, dum huic adſcribit, quòd mentis nomen ſemper vſurpet ad facultatem imaginandi ſignificandam: Neque illi opitulatur tex 48. in quo Ariſtoteles nequaquam ſtatuit vim imaginatricem eſſe illam mentem, quam poſuit eſſe motus principium, ſed nos monet ſe mentis nomine complecti & mentem veram, & facultatem imaginatricem: Defendentes verò mentem eſſe principium motus in varias abeunt explicationes, nam ex his Zimaræ in ſol. contrad. lib. 3. de anima interpretatur mentem non eſſe principium motus internum, quemadmodum eſt natura, quandoquidem mens noſtra non

ſecus

ſecus in nobis exiſtat, ac mens ſeparata in cœlo. Hunc Mirandulanus exagitat, quoniam mentes ſeparatæ tametſi principia ſint extrinſecus poſita, nihilominus ſunt cœlorum naturæ: Cùm enim cœli ſint corpora naturalia, habeantque naturam, in eis ponenda eſt aliqua forma, quæ ſit natura: hæc autem eſt mens ſeparata, quòd præter hanc nulla in cælis forma poſſit reperiri: Hic nihil proficit, quoniam natura eſt in eo, in quo eſt principium motus; & præter mentem cæli motricem tribuenda eſt cælo alia forma, quæ ſit natura ipſius, & qua ipſũ animatum intelligat & appetat mentem motricem, vt aliàs de ſententia Alexandri declaraui, qui ſolus, vt exiſtimo, hac in re agnouit & aperuit Ariſtotelis opinionem. Cæterum quamuis Mirandulanus ſit fruſtra, attamen Zimaræ explanatio non caret difficultate, nam cùm mens ſit propria hominis forma, & homo ſit corpus naturale, cuius forma eſt natura, non eſt, vt mens hominis e naturę cenſu eijcitur. Accedit Ariſtotelem hoc, quod eſt eſſe principium motus, ſic menti adimere, vt cõcludat hanc nullo pacto eſſe principium motus; qua e re Zimara, vt tueatur huius argumenti efficacitatẽ, non eſt, vt ad principium motus extra, vel intus poſitum confugiat. Piccolomineus arbitratur Ariſtotelem velle mentem non eſſe principium motus proximum, quemadmodum eſt natura, quippe quæ motum afferat natura & facultate imaginandi media interiecta: atque iſtud putat ab Ariſtotele ſignificatum fuiſſe in lib. 3. de anima 56. vbi ſcriptum eſt appetitũ eſſe quidem initium motus, ſed non mouere abſq; vi imaginandi rationali, vel irrationali, hoc eſt vt ipſe interpretatur, non ſine facultate imaginatrice, quę interdum regitur à mente, huicque obſequitur, & interdum non audit mentem, huicque reluctatur. Hæc quoque mihi diſplicent, tum quia, vt contra Zimaram proximè dicebam, mens in hac argumẽtatione nullo pacto eſt principium motus, quandoquidem mentem non eſſe huiuſmodi principium conficiatur ex eo, quòd delatio in beſtijs cernitur, in quibus non eſt mens: tum etiam quoniam mens, non ſecus eſt principium motus, ac ſit vis imaginandi; neque illa vtitur hac ad motum efficiendum: Mens non ſecus mouet, ac vis imaginandi, quoniam vt hæc non affert motum, niſi ira aut cupi-

ditas excitetur,ita illa,niſi voluntas moueatur. Eandem non mouere vi imaginandi media interiecta ex lib.3. de anima 47. intelligitur,quo in loco continentes mouentur à mẽte,& non quia ſequantur appetitum ſenſualem,& ab hoc cieantur: atqui cùm vis imaginandi nunquam moueat ſine appetitu ſenſuali, mens in continentibus ſic erit principium motus, vt non vtatur vi imaginandi, quæ media interijciatur. Neque Ariſtoteles in tex. 56. nomine facultatis imaginatricis rationalis obſignauit vim imaginandi, cui mens præſideat, ſed hoc nomine intellexit mentem, nam qnemadmodum paulò, ſupra in tex. 48. nomine mentis complexus eſt imaginandi facultatẽ, haud diſſimiliter hoc in loco nomen facultatis imaginatricis ad veram propriamq; mentem accommodauit. Alij aliter ſentiunt, ſed his omiſſis arbitror hac ſecunda argumentatione idem, quod prima, confici, oſtendique mentem diuinam, quæ cùm ſit in nobis veluti habitus quidam noſtræ mentis, poteſt videri pars animæ noſtræ, & aliquid mentis noſtræ, non pertinere ad naturalem conſiderationem, quoniam non eſt alicuius motus principium: Enimuero mens, quæ in hominibus eſt principium progreſſionis, eſt illa mens, quæ vocatur actiua, & vertitur in rebus actioni ſubiectis, quod Ariſtoteles ſignificauit in lib.3. de anima 49. in quo concludit rectè hæc duo, appetitum & mentem, quæ in actione verſatur, videri loco mouere.

Tertium argumentum explicatur, quo idem perſuaderi plerique exiſtimant.

Cap. XXV.

POſt hæc continuò ſubiungit Ariſtoteles: Adhæc rem à
„ materia abſtractam nullã poteſt ſcientia naturalis con-
„ templari, cùm natura rei alicuius gratia faciat omnia,
„ rebus autem abſtractis abiunctum id eſt, quod ſub hoc, cuius
„ gratia, verbo intelligimus. His multi, e quorum numero ſunt Zimara & Mercenarius, exiſtimant tertiam rationem explicari,

cari,qua idẽ,quod ſupra, conficiatur, à quibus Michael Epheſius & alij diſſentiunt, qui arbitrantur his nos docere philoſophum naturalem non occupari in cognitione rerum mathematicarum, quas Ariſtoteles conſueto vocabulo vocat ex abſtractione: Enimuero poſtquam monſtratum eſt ad philoſophum naturalem non pertinere cuiuſuis animę partis contemplationem, deinceps oſtenditur in eius partibus non eſſe tractationem de ijs, quæ ſunt ex abſtractione: Conſueuit enim Ariſtoteles vna quæſtione explicata tractare aliam, quæ cum ea, quæ fuit expoſita, habeat aliquam cognationem. Itaque ſi hanc explanationem, quæ non improbabilis mihi videtur, quiſpiam amplectatur, ſanè propter hunc Ariſtotelis locum ę ſcientia de natura non erit tollenda mentis contemplatio. Verùm ne aliquis forſitã putet nos hac obiectione perculſos abire in hanc interpretationem, experiamur, nunquid altera opinione probata ſit locus commodè reſpondendi. Argumentatio Ariſtotelica hunc in modum ab ijs conſtruitur, cum quibus diſputamus. Si philoſophus naturalis nullam poteſt formam contemplari cogitatione à materia ſeparatam, cuiuſmodi ſunt formæ mathematicæ, quas veteres ἐξ ἀφαιρέσεως hoc eſt ex abſtractione conſueuerunt appellare, quòd cùm reapſe ſint in materia, ab hac animo & cogitatione ſeiunguntur, multò minus aliquam ſuæ curæ partem poterit ponere in mente humana perſpicienda, quæ à materia eſt omnino ſeparata: atqui philoſophus naturalis ſuum ſtudium minimè confert ad cognoſcendas res ſola ratione à materia ſeiunctas; ergo multò minus ſuam operam locabit in hominum mente contemplanda. Aſſumptum confirmatur, quia cùm philoſophus naturalis ea ſola ſibi proponat cognoſcenda, quæ natura conſtant, & fiunt à natura, res mathematicæ, quæ non ſunt à natura effectę, non poſſunt cadere in illius conſiderationem. Res, formaſque mathematicas non eſſe à natura id fidem facit, quòd quicquid à natura efficitur, id rei alicuius gratia fit; rebus autem mathematicis abiunctus eſt finis, & id, quod ſub hoc, cuius gratia, verbo intelligitur: ex quo Ariſtippus, vt ſcribit Ariſtoteles in lib. 3. poſtnat. 4. diſciplinas mathematicas contempſit dicẽs in cæteris artibus & etiam ſordidis omnia dici, quia ſic eſt me-

lius,aut deterius,mathematicas autem nullam bonorum malorumve curam habere, quòd in ijs rebus verſantur, à quibus finis eſt abiunctus. Connexum ita perſuadetur: Rerum triplex eſt diuerſitas,nam aliæ ſunt cum materia coniunctæ re ac diffinitione, nempe res naturales; aliæ hærent quidem in materia,verùm ſunt huiuſmodi vt materia detracta commodè percipiantur,ac definiantur,nimirum res mathematicæ; denique aliæ nullam prorſus cum materia habent familiaritatem, & vti ab hac ſunt re ipſa diſiunctæ,ita ſine ea definiuntur,& hæ res ſunt omnium præſtantiſſimæ, ac diuinæ immortaleſque habentur. Harum rerum ſiue formarum quæcunque ſunt in primo genere, hæ tribuuntur philoſopho naturali; quoniam verò his multò cognatiores ſunt formæ ſecundi generis,quàm quæ tertio genere continentur, ſiquidem hæ ſunt à materia omnino ſolutæ, & illæ cum materia implicitæ, tametſi hanc minimè accipiant in ſuis definitionibus,par eſt,vt formæ mathematicæ magis ſint naturalis conſiderationis, quàm formæ diuinæ,quæ longiſſimè abſunt ab ijs,quæ vt ſint,atque intelligantur,materiam poſtulant: Verùm philoſophus naturalis in formis mathematicis ſuum officium minimè exercet: Multò igitur minus aliquid ſtudij ponet in ijs perſpiciendis, in quibus nulla prorſus cernitur materiæ communio: & quod ſequitur, neutiquam ſibi aſciſcet mentis humanæ contemplationem, quæ in his formis annumeratur. Hoc modo ab his conſtruitur,atque reſoluitur Ariſtotelis argumentatio:cęterũ ratio connexi parùm ſcitè explicatur, quoniam cùm maior ſit affinitas inter formas naturales & mentes diuinas, quàm inter eaſdem & formas mathematicas (mentes enim ſeparatæ ſunt rerum naturalium cauſſæ, nec parum habent momenti ad has gignendas,& percipiendas) non rectè concluditur philoſophum naturalem non diſſerere de diuinis mentibus, quia formas mathematicas non contemplatur. Sed nec etiam aduerſarij, niſi Auerroem, quem vnicè diligunt, deſerant, poſſunt in ſententia manere:etenim cùm quæſtiones duæ de mẽtibus diuinis agitentur,an ſint, & quid ſint,prior philoſophiæ naturali, poſterior philoſophiæ diuinæ fuit ab Auerroe tradita ſub exitum lib. 1. phyſ. atque in lib. 2. eiuſdẽ operis com. 26.

& in

& in lib. 8. com. 3. & in lib. 12. poſt nat. com. 5. atqui cùm philoſophus naturalis nihil ſtatuat de quæſtionibus, an ſint, & quid ſint formæ mathematicæ; nec etiam poterit quicquam dicere de quæſtione, an ſint mentes ſeparatæ, quòd mixta horum explicationem formę mathematicę propiùs accedunt ad ea, in quibus ſtudium ponitur à philoſopho naturali, quàm mentes diuinæ à materia ſegregatæ. Ego dicendum eſſe opinor Ariſtotelem in hac tertia argumentatione, quemadmodum & in reliquis animum referre ad mentem effectricem, quæ eſt mens diuina, atque ad *Platonis* decreta, quæ illis temporibus in omnium creditorum hominum ore verſabantur: Hic autem voluit mentem diuinam, quam ſecundum diuinitatis gradum continere, idearumque pulchritudine diſtingui exiſtimauit, ac Verbum ex Bono, ſummoque Deo procreatum illius ſectatores appellant, in eo genere eſſe ponendam, quo res prorſus indiuiduæ, & ſola mente comprehenſæ continentur; atque harum rerum cognitionem ſibi neminem polliceri poſſe, qui antea maximos non fecerit proceſſus in rerum mathematicarum perceptione, quippe hæ res cùm mediæ ſint interiectæ inter res ſenſibus obnoxias, & res in ſolam mentem cadentes, aditum aperiunt ijs, qui e craſſa rerum materiatarum caligine ſeſe attolunt ad mentium diuinarum comprehenſionem: Ergo cùm naturalis philoſophus ſuo munere non fungatur in formis mathematicis perſpiciendis, nec etiam verſabitur in mentium diuinarum inſpectione, ad quam nemo poteſt peruenire, qui formarum mathematicarum præſidio fuerit deſtitutus. Cùm igitur hæ ſint horum argumentorum explanationes, videant aduerſarij, quid commodi poſſint ex his percipere, in quibus Ariſtoteles mentem noſtram non habet propoſitam, ſed mentem diuinam, atque intuens in Platonis dogmata conficit eius contemplationem non eſſe philoſopho naturali tribuendam. Quapropter optima ratione his argumentis neglectis in lib. 3. de anima, qui in naturalis philoſophiæ partibus abſque vlla dubitatione numeratur, accuratè diſputatur de vi & natura noſtræ mentis, nihilq; omnino prætermittitur, quod faciat ad perfectam huius notitiam tradendam. Non me pręterit aduerſarios, vt ſuam opinionem tuean-

tur,

tur, aſſeuerare Ariſtotelem hoc in libro nequaquam intueri mentis noſtræ vim & naturam, ſed ſolùm hanc contemplari, qua ex parte cum hominibus eſt copulata. Atqui planè cuperem, vt hi me docerent, in quo totius philoſophiæ loco mentis humanæ vis & natura aperiatur: non enim hanc patefacit nobis liber duodecimus poſtnaturalis, cui ab aduerſarijs credita eſt illius conſideratio: Quid igitur ſit noſtra mens, quæ eſt forma præſtantiſſima, nuſquam aperuit Ariſtoteles, qui in explicandis ſtirpium ac beſtiarum formis plurimum operæ conſumpſit? Sed hi quæſo diligenter excutiant, quæ de mente tractantur in lib. 3. de anima, atque hæc coniungant cum ijs, quæ de natura animæ initio lib. 2. eiuſdem operis fuerunt vniuersè diſputata, nam facilè intelligent, quàm ſit vanum adimere philoſopho naturali noſtræ mentis vim & naturam, quæ in his libris ita accuratè ac perſpicuè declaratur, vt Ariſtoteles non careat reprehenſione, ſi hæc argumenta contexerit, vt philoſopho naturali eripiat humanæ mentis contemplationem.

Alia ſuperiorum argumentorum interpretatio. Cap. XXVI.

QVoniam in ſuperioribus explicationibus induxi Ariſtotelem philoſopho naturali adimere mentis diuinæ & effectricis contemplationem, conſtitui aliam his adiungere explanationem, qua hęc argumenta ſic interpretantur, vt in his Ariſtoteles noſtram mentem intueatur, ne qui pugnaciſſimè defendunt mentis vocabulum Ariſtoteli ſignificare mentem noſtram, hunc locum & hæc argumenta tametſi faciant, vt putent hinc neceſſariè colligi mentem noſtram eſſe vnam e collegio mentium beatarum, & à materia ſeparatarū. Hæc autem interpretatio eſt huiuſmodi. Noſtra mens duobus modis poteſt conſiderari, altero in eo, quòd nos conſtituit, & eſt id, quo homo eſt illud ipſum, quod eſt: altero, qua ex parte eſt mens, mentiſque nomine obſignatur: Si priore modo inſpiciatur, perſpicuum eſt hanc cadere in naturalis philoſophi contemplationem, quòd huius eſt illas omnes formas perſpi-

cere,

cere, quæ complent ac conſtituunt corpora *naturalia*: ſin poſteriore, non eſt, vt huius cognitio tribuatur philoſopho naturali: atque huius præter multa alia id fidem facit, quòd cuius eſt cognoſcere quippiam, vt eſt cuiuſdam modi, illius quoque eſt omnia, quæcunque ſunt illius modi contemplari; quapropter cùm philoſophus naturalis mentem à materia ſeparatam non intueatur, nec etiam mentem noſtram in eo, quòd eſt, ac dicitur mens, poteſt intueri: Accedit mentis nomen eſſe ex illorum numero, quæ ab Ariſtotele in lib.4. poſt nat. 2. ad vnum, & ad vnam quandam naturam dicuntur, quæque à latinis explicatoribus attributionis analoga nominantur, primùmque tribuitur. Menti primæ, ac diuiniſſimæ, quæ veriſſimè ac propriſſimè eſt mens, habetque mentis nomen clationem; tum mēti humanæ, & poſtremò facultati imaginatrici: atqui quoniam quæcunque his nominibus ſignantur, huius modi ſunt, vt quæ ſunt poſt primum, ea non poſſint ſciri primo non apprehenſo, nam? vt inquit Ariſtoteles in tex. proximè recitato, vbique proprie primi, ex quo alia pendent, & propter quod ſignantur nomine, cognitio ſcientiaque habetur; relinquitur, vt mens noſtra in eo, quòd eſt, & vocatur mens, nequeat ſciri, niſi diuina ſupremaque mens fuerit primùm cognita; hanc verò cognitam habere cùm minimè datum ſit philoſopho naturali, nec eidem poteſt tribui cognitio noſtræ mentis, qua ex parte mens eſt, & mens nuncupatur. Hoc igitur modò poſteriore arbitror mentem noſtram Ariſtoteli eſſe propoſitam in his argumentis, quorum primum ita explicatur: Si eſſet in partibus philoſophi naturalis docere de omni anima, hoc eſt de ſingulis animæ partibus omni modo, & qua ex parte proprijs nominibus ſignificantur, prẹter naturalem philoſophiam nulla alia philoſophiæ pars relinqueretur; ſed philoſophiam in multas partes diſtribui ſentiunt & conſentiunt omnes ſapientiæ amatores; non igitur eſt naturalis philoſophi ſingulas animæ partes quocunque modo contemplari, & qua ex parte ſuis nominibus appellantur. Connexum declaratur: Cùm mens ſit intelligibilium, atque omnium inter ſe coniunctorum ſit eadē ſcientia, idemque modus conſiderandi, profectò ſi naturalis philoſophus de mente doceret in eo, quòd eſt mens, (mentem

hoc modo philoſophus naturalis intueatur, oportet, ſi de ſingulis animæ partibus doceat, qua ex parte ſunt illa ipſa, quæ dicuntur eſſe) eiuſdem quoque erit verſari in cognoſcendis intelligibilibus in eo, quòd ad mentem, qua ex parte eſt mens, referuntur: Quapropter quoniam qui mentem contemplatur in eo, quòd eſt mens, hic mentes omnes intuetur, primamque præſertim, quæ verè ac propriè eſt mens, & ex qua reliquæ pendent, eadem ratione is, qui contemplatur intelligibilia in eo, quòd referuntur ad mentem, quatenus eſt mens, ſuam operam locet, oportet in contemplãdis omnibus intelligibilibus, atque in ijs præcipuè, quæ per ſe, ſuaque natura ſunt intelligibilia, ſuntque ſua natura diſiuncta à materia, & ab omni materiæ concretione. Et verò ſi hoc ita eſt, præter naturalem philoſophiam nulla alia philoſophiæ pars erit inducenda: Ruant enim ac concidant reliquæ partes philoſophiæ, eſt neceſſe, quòd res intelligibiles, quæ has conſtituere exiſtimantur, ſibi aſſerat philoſophia naturalis. Quòd ſi aliquis obijciat philoſophiam naturalem non poſſe deſtruere alias philoſophiæ partes, ſi ipſa verſetur in rebus cunctis intelligibilibus perſpiciendis, quoniam cùm ei ſatis ſit has apprehendere, qua ex parte ſunt intelligibiles, relinquentur aliæ philoſophiæ partes, quarum erit res aliquas intelligibiles penes proprias naturas contemplari; reſpondebo Ariſtotelem in Categorijs cap. de ijs, quæ ad aliud referuntur, ſtatuiſſe, ſi quis probè explicatéque cognouerit aliquod eorum, quæ ad aliud referuntur, eũ oportere illud etiam probè explicatéque noſſe, ad quod refertur: quamobrem cùm mens & res intelligibiles ad ſe viciſſim referantur, profectò ſi philoſophus naturalis ob id, quòd explicatè certoque cognoſcit mentem in eo, quòd eſt ac vocatur mens, habet explicatam mentium omnium cognitionem, explicatè certoque tenebit res omnes intelligibiles, harumque naturas certò ſciet, quòd nequeat fieri, vt quippiam probè intelligatur natura ipſius ignorata. Sed de primo argumento hactenus. Sequitur alterum, cuius explicatio eſt huiuſmodi: Si philoſophus naturalis inſtitueret diſputationem de ſingulis animæ partibus quocunque modo de ijs poteſt diſputari, haſque contemplaretur, qua ex parte ſuis proprijs nominibus ſignifican-

tur,

tur, nulla eſſet animæ pars, quæ in eo, quòd proprio nomine notatur, non eſſet natura & principium motus: at in animæ partibus numeratur mens; cui in eo, quòd eſt & vocatur mẽs, non poteſt tribui hoc, quod eſt eſſe principium motus; non igitur ad philoſophum naturalem ſpectat docere de omnibus animæ partibus, quocunque poſſunt modo conſiderari, & in eo, quòd proprijs ſuiſque ſignantur nominibus: Connexi id fidem facit, quòd illas formas & animas, ſolas philoſophus naturalis ſibi proponit cognoſcendas, quæ ſunt naturæ & formæ corporum naturalium, atque in his principia motus, quo ipſa cientur ſecundum naturam. Aſſumptum illud confirmat, quòd mens qua ex parte eſt mens, non eſt natura & principium motus: atque iſtud ex eo intelligitur, quia cùm tres motus reperiantur, accretio, alteratio, & inceſſus, quorum principium exiſtit natura, mens, vt mens nullius principium poteſt ſtatui; non quidem accretionis, quoniam hoc tributum eſt animæ vegetali, qua ſtirpes conſtituuntur; nec rurſus alterationis, quia huius principium eſt anima ſenſualis, cuius factum eſt particeps vniuerſum genus animalium; nec denique inceſſus, nam cernere eſt mulctas animantes incedere, quibus certum eſt mentem non fuiſſe impertitam, quicquid autem tribuitur menti, vt eſt, ac vocatur mens, ab eo mens nõ poteſt diuelli, idque ſoli menti congruit, & non alij. Relinquitur tertium & poſtremum argumentum, quod eſt: Si naturalis ſcientia de ſingulis animæ partibus quocunque modo doceret, & vt ſunt illa ipſa, quæ dicuntur eſſe, res à materia abſtractas, quæ alio nomine nuncupantur res mathematicæ, contẽplaretur; ſed hæ non cadunt in naturalis philoſophię cõſiderationẽ; nõ igitur in naturali philoſophia inſtituenda eſt diſpu tatio de oĩb animæ partibus, vt ſunt illa ipſa, quæ dicũtur eſſe: Aſſumptũ declaratur, quoniã ſciẽtia de natura illas res ſolùm contemplatur, quę propter aliquẽ finem ſunt factę, & finis deſideratur in reb. à materia abſtractis, quas vocamus mathematicas. Connexũ quamuis confirment ea, quę in primi argumẽti explicatione dicta ſunt à nobis, quęq; ſunt naturalem philoſophum neceſſe habere res oẽs intelligibiles, qualeſcunq; ſint, contemplari, ſi mentem in eo, ꝙ eſt, vocaturq; mens, ſubijciat

ſuæ conſiderationi, attamen non malè fortaſſe hoc quoque modo declaratur. Cùm philoſophus naturalis propriè ac per ſe verſetur in corporibus naturalibus perſpiciendis, par eſt, vt potiùs formas mathematicas, quæ ſunt corporum naturaliũ affectiones, contempletur, quàm ſubſtantias ſua natura ab omni corpore diſiunctas, ſuaque natura intelligibiles: Qua e re ſi philoſophus naturalis aliquam ſuæ cogitationis partem tribuerit ſubſtantijs ſua natura à corpore & à magnitudine ſeparatis, multò magis ſuam operam locabit in formis mathematicis perſpiciendis. Atqui ſi philoſophus naturalis de ſingulis animæ partibus doceat, vt ſunt ea ipſa, quæ dicuntur eſſe, mentem in eo, quòd eſt mens, neceſſariò intuebitur, &, quod ſequitur, mentem à materia ſeparatam, vt ſupra declaratum eſt, contemplabitur. Ergo ſi naturalis ſcientia de ſingulis animæ partibus doceat in eo, quòd ſuis nominibus appellantur, res inſpiciat oportet, à materia abſtractas, quæ vocantur mathematicæ. Cùm igitur hæc ſit horum argumentorum explicatio, hinc temere colligitur mentem noſtram eſſe in numero mentium à materia ſeparatarum.

Cum Ariſtoteles affirmat ſcientiam de anima certitudine reliquis ſcientijs anteire, an ſignificet mentem noſtram eſſe ſubſtantiam à materia ſecretam.

Cap. XXVII.

IN procemio lib. 1. de anima 1. cùm affirmet Ariſtoteles ſcientiam de anima certitudine excellere ſcientias reliquas, aduerſarij arbitrantur hinc intelligi mentem noſtrã eſſe vnam illarum mentium, quæ per ſe conſtant ab omni materia ſegregata. Sed non rectam habent exiſtimationem, tempuſque perdunt, hoc dum colligere laborant: Et primùm nos decipiunt, quandoquidem in lib. 1. poſt. analy. 42. non duo,

ſed

ſed tres afferuntur modi, quibus vna ſcientia eſt certior altera. Primus eſt. Scientia tenens quòd eſt, & propter quid eſt, certior eſt ea, quæ quòd eſt duntaxat tenet: etenim is, qui cauſſam habet comprehenſam, multò exactiùs cognoſcit, atque is, cui cauſſa eſt incognita: Alter: Scientia, quæ non eſt de ſubiecto, hoc eſt, quæ vertitur in rebus à materia ſenſibili abiunctis, certior eſt ea, quæ eſt de ſubiecto, hoc eſt, quæ poſita eſt in cognitione rerum materię ſenſibili coniunctarum, nam materia, quæ ſua natura poteſtate continetur, longiſſimeque abeſt ab actu, qui eſt fons & ratio intelligendi, & cognoſcendi lib. 9. poſtnat. 20. cauſſæ eſt, vt ea, quibus eſt copulata, minus exquiſitè, minusque enucleatè comprehendantur; ac præterea cauſſa eſt, vt ſcribit Auerroes in huius loci commentarijs, erroris & incertitudinis, tum quia ipſi accepta feruntur omnia per accidens attributa, quæ, quòd ſint infinita, nullaque ſcientia ob id poſſint comprehendi, difficilem incertamq; reddunt cognitionem eorum, quæ per ſe inſunt, & formam comitãtur, cum quibus ſunt connexa & complicata; tum etiam quia cùm ſit fons & origo mutationis, eſt in cauſſa, vt rerum natura ſit inconſtans & mutabilis: Res autem mutabiles & in varietate conſtitutæ minus exquiſitè, minusque enucleatè percipi poſſunt ijs, quæ nullis varietatibus, nulliſque mutationibus ſunt obnoxiæ: Hinc Ariſtoteles in lib. 4. poſtnat. 23. ſtatuit aduerſus Heraclitum & Cratyllum, qui putabant de his rebus, quòd in continuata quadam verſarentur mutatione, nihil verè poſſe affirmari, res à nobis per formam cognoſci, minimè verò per materiam, quoniam ob hanc, &. non ob illam res aſſiduè mutantur. Porrò hoc ſecundo modo Arithmetica eſt certior Muſica, & Geometria Perſpectiua, nam Arithmetica intuetur numerum ab omni qualitate ſenſibili ſecretum, quem Muſica propoſitum habet cum ſono implicitum: & Geometria lineam per ſe ſolitariam contemplatur, quam in aſpectum cadentem conſiderat Perſpectiua. Tertius modus eſt: Scientia, quæ ex paucioribus exiſtit, certior eſt illa, quæ ex appoſitione; id eſt ſcientia, cui ſimpliciora ſunt propoſita, certior eſt ea, quæ minus ſimplicia, magisque compoſita ſibi proponit: Hac ratione Arithmetica eſt certior Geome-

tria, quoniam illa inſpicit vnitatem, quæ caret poſitione, hæc autem punctum, cui data eſt poſitio; qua de re Arithmetica in re magis ſimplici poſita eſt, & Geometria in re magis compoſita; eadem ratione quæ de ſphæra tradidit Theodoſius, certiora ſunt ijs, quæ de ſphæra ab Antolyco prodita ſunt, nam ille ſimpliciter ac abſolutè ſphæræ accidentia inueſtigauit, hic verò ſphæræ mobilis accidentia fuit perſcrutatus. Tres itaque ſunt modi, quibus Ariſtoteles nos docet vnam ſcientiam eſſe altera certiorem, & minimè duo, vt cenſent aduerſarij, & cum aduerſarijs Philoponus in comm. lib. 1. de anima ad tex. 1. quem ſequutus eſt Suidas exponens ſcientiæ ſenſuſque diſcrimina; qui quoque modi ab ijs diſcrepant, quos hi commemorauerunt. Nunquid verò ex his confici poſſit mentem noſtram eſſe in numero mentium a materia ſolutarum, nunc conſideremus. Sanè ſi hi modi animo reuoluantur, præter ſecũdum nullus erit idoneus, qui ſcientiæ de anima tribuatur, nam cæteræ ſcientiæ probè tenent q̃ eſt, & propter quid eſt: neq; anima eſt reliquis formis naturalibus ſimplicior, ſed contra magis eſt compoſita, quippe quę prędita eſt multis, varijſq; facultatibus, quib. ſe prodit ac patefacit: Quocirca ſi ſciẽtia de anima cæteris præſtat certitudine, neceſſe eſt, vt ſit huiuſmodi, quoniã illius opera cõſumitur in rebus à materia diſſunctis. Porrò hę res cùm ſint duorum generum, nam alię ſola cogitatione ſunt à materia diuulſæ, quas vocãt formas mathematicas, & aliæ re ipſa, profectò cùm abſurdum ſit ſciẽtiam de anima in ijs occupari, quæ ſunt generis prioris, relinquitur hanc res, quæ ſunt generis poſterioris, ſibi aſciſcere: qua de re mens noſtra erit ſubſtantia & mens à materia ſegregata. Atq; hoc pacto quiſpiã fortaſſe ſibi pſuadebit hinc ſumi poſſe argumentũ fauens aduerſarijs; verũ hæc perſuaſio non eſt recta, qđ nunc planè conſtabit. Nomen ἀκρίβεια, quod hic ab Ariſtotele vſurpatur, duas habet notiones, in quarum altera certitudinem, ſiue explicatam & minimè dubiam rei cognitionem ſignificat; in altera diligẽtem & accuratam inquiſitionem. Nec quiſpiam contemnat hanc poſteriorem ſignificationem, nam verbum ἀκριβάζω, à quo ἀκρίβεια, latinè eſt diligenter indago: & Alexander in lib. 1. poſt nat. com. 12, fuit eam amplexa-

tus,

tus, quo in loco cùm ſcribat Ariſtoteles primam philoſophiã eſſe ἀκριβεστάτην hoc eſt accuratiſſimam, quoniam ſcientiæ, quæ ex paucioribus rem conficiunt, accuratiores ſunt ijs, quæ ex pluribus, quæque ex additione appellantur, vt Arithmetica eſt accuratior Geometria, inquit Alexander cui accidunt pauciora, ide ſſe cognitum difficilius, curamque maiorem poſtulare; & cui nihil accidit, eius cognitionem eſſe multò difficiliorem, maioremque etiam diligentiam expoſtulare, nam cùm accidentia nullum auxilium ſuppetant ad notitiam ſubſtantiæ conſequendam, hæc à ſola ſubſtantia eſt omnino petenda. Cùm igitur huius nominis duæ ſint notiones, ambas hoc in loco potuit Ariſtoteles habere propoſitas; atque ſi poſteriorem habuit, eius ſententia eſt: cùm vna ſcientia alteri pręſtet, vel quia verſatur in re magis pulchra, magiſque admiranda, vel quia difficiliorem exactioremq́; mentis indaginem poſtulat, nam, vt inquit Plato ſub exitum Hippiæ maioris, pulchra ſunt difficilia, & initio Cratylli, pulchra veteri prouerbio ſunt cognitu difficilia, propter vtraque hæc ſcientia de anima in primis eſt ponenda. Quòd ſi hæc eſt huius loci ſententia, perperam ex eo conficitur ſcientiam de anima in ijs occupari, quæ ſunt à materia ſoluta. At verò ſi Ariſtoteles priorem ſignificationem eſt amplexus., nec quoque hic locus aduerſarijs eſt adiumento, quod vt cognoſcatur, hæc ſunt attendenda: Cùm ſcientiæ ſuam certitudinem habeant poſitam vel in rei ſubiectæ euidentia, vel in exacta accurataque demonſtrandi ratione, in hac & in illa poſſunt inter ſe conferri in quæſtionem vocando duarum ſcientiarum vtra ſit certior. Si priore modo certitudo ſpectetur, illa ſcientia certitudine præſtabit, quæ in re verſabitur magis certa, magiſque perſpicua; atque hoc pacto arbitror Ariſtotelem hoc in loco aſſeuerare ſcientiam de anima eſſe maximè certam, & euidentem, quandoquidem animam ſibi conſtituit cognoſcendam, quæ ſit necne, nulla exiſtit controuerſia. Etenim animam eſſe adeo apertum perſpicuumque eſt, vt iampridem ex hominum animis fuerit eiecta opinio Dicearchi ſentientis animam eſſe ſolùm nomen inane, cui nihil ſit ſubiectum, fruſtraque animalia & animantes appellari. Sin verò ex demonſtrandi euiden-

tia

tia ſcientiarum certitudo ponderetur, illa erit dignitatis amplioris, cuius demonſtrationes ſunt magis certæ, magisque euidentes; atque hac ratione in lib. 1. Ethic. ad Nicom. cap. 3. & ſub exitum lib. 2. poſtnar. ab Ariſtotele ſcientijs mathematicis tribuitur exquiſita certitudo, nam harum demonſtrationes ſic perſpicuæ, apertæque ſunt, vt omnem prorſus dubitationem tollant. Porrò ſi ex demonſtrandi ratione æſtimanda eſt ſcientiarum certitudo, multifariam & illis tribus modis in lib. 1. poſt. analy. expoſitis vna ſcientia eſt altera certior: Quãobrem fruſtra laborant aduerſarij quęrentes ex his tribus modis quonam putet Ariſtoteles ſcientiam de anima cæteris certitudine præſtare, quandoquidem huius ſcientiæ certitudo non in accurata demonſtrandi ratione, ſed in rei conſideratæ euidentia conſiſtit, cuius rei argumento eſt ardua ac difficilis huius ſcientiæ explicatio, quam non ſolùm Ariſtoteles in hoc procemio declarat, verùm etiam explicatores confirmant ijs viribus inter ſe certantes, vt quò victoria inclinet, arduum ſit iudicare. His adiungo illos mòdos, quibus docemur in analyticis vnam ſcientiam eſſe alia certiorem, ad illas ſcientias vel maximè accommodari, quæ aliquatenus in re ſubiecta conueniunt, veluti ſunt illæ, quæ à Latinis vocantur ſubalternæ, quòd earum altera alteri ſit ſubdita, ſentireque Ariſtotelem illam eſſe multò certiorem, cui horum alter modorum conuenit. Hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam teſtantur exempla ex his ſcientijs aſſumpta, ſecundi quidem modi ex Arithmetica & Muſica, tertij verò ex Arithmetica & Geometria. Etenim Muſica ſubijcitur Arithmeticæ, & huic vnitatem ſubſtãtiam indiuiduam contemplanti affinis & cognata eſt Geometria, quæ inſpicit punctum in ſubſtantijs indiuiduis repoſitum, quanquam illud interſit, quòd vnitas caret poſitione, quæ puncto eſt adiuncta. Appellat autem Ariſtoteles punctum & vnitatem ſubſtantias, ne a Pythagorica opinione illis temporibus maximè celebri videatur abhorrere, aduerſus quam in extremis primæ philoſophiæ libris erat diſputaturus. Cùm igitur Ariſtoteles hoc in loco abſolutè ac ſimpliciter affirmet ſcientiam de anima eſſe maximè certam, neque hanc comparet vel cum ſuperiore aut ſubdita, vel cum alia, cum qua ali-

quo

quo pacto in re conſiderata conueniat, vanum eſt confugere ad illos certitudinis modos in lib. analyticis expoſitos. Quòd ſi aduerſarij in ſua opinione ita fuerint obfirmati, vt putent hunc locum non poſſe probè explicari, niſi ad hos certitudinis modos referatur animus, ipſi nihiloſecius fruſtra erunt, quoniam hic locus non incommodè poterit hunc in modum explicari: Scientia de anima poteſt in dignitate comparari & cum ſcientijs res alias, & diuerſas tractantibus, & cum ſciētijs animam aliquo pacto inſpicientibus, veluti ſunt ſcientiæ traditæ in lib. de hiſt. animal. de part. animal. de ſtirpibus, & in ijs, qui parui naturales vocantur. His omnibus ſcientia de anima præſtat dignitate, ſed non vna, eademque ratione, nam ijs ſcientiis, quibus res ab anima diuerſæ ſunt propoſitę, anteſtat, quoniam in re præſtabiliore abſumitur; reliquis verò, quia eſt certior; eſt autem certior, quoniam res ſimpliciores ſcrutatur, & tenet quòd eſt, ac propter quid eſt, cùm illæ vel in re minus ſimplici verſentur, vt ſciētia de animalium partibus, vel quòd eſt, ſolùm habeant comprehenſum, vt animalium hiſtoria, eadem eſt ratio reliquarum ſcientiarum, idque nullam habebit dubitationem, ſi diligenter euoluantur animo ea, quæ in libris de anima, & in illis tractantur. Quocirca ſi aduerſariis datum quoque fuerit Ariſtotelem hoc in loco illos certitudinis modos habere propoſitos, hinc tamen non poterit confici animā, mentemque noſtram eſſe in iis, quæ à materia ſunt ſegregata. Quòd Philoponus in huius loci commentariis ſcribat Alexandrum, ne ſuam opinionem proderet, deleuiſſe hæc verba:
„ Magis autem altera alteram aut ſecundum certitudinem,
„ aut ex eo, quia rerum eſt earum, quæ magis præſtabiles, ma-
„ giſque admirabiles ſunt: id mihi difficile eſt creditu, cùm hic locus non ſit huiuſmodi, vt ipſum ſummus ac præclariſſimus Peripateticus debuerit extimeſcere; ſed Alexander hæc verba fortaſſe abſterſit monitus à Codice vetuſto, cui fidem eſſe adiungendam exiſtimauit, quòd Ariſtoteles nunquam alibi ſignificauerit maiorem ſcientiæ certitudinem eſſe amplioris ſcientiæ nobilitatis argumentum; eiuſque nullam habuerit rationem, cùm in lib. 1 1. poſtnat. cap. 6. iudicium ferens de nobilitate partium philoſophiæ contemplatricis, cæteris omnibus

an-

antepoſuit ſcientiam poſtnaturalem ſumpto argumento à ſingulari illius, in quod hæc incumbit, præſtantia. Equidem fieri poteſt, vt cognitio explicatior ſit præſtantioris dignitatis argumentum, verùm cùm hoc accidit, ſcientiæ inter ſe comparantur in eadem ſubiecta materia verſantes, illaque ſtatuitur præſtabilior, quæ certiores pollicetur demonſtrationes. Hoc autem hoc in loco Ariſtoteli non potuit eſſe propoſitum, in quo ſcientia de anima ijs anteponitur ſcientijs, à quibus in materia, naturaque ſubiecta diſſentit.

Mentem eſſe ſeparabilem quo ſenſu de ſententia Ariſtotelis ſit accipiendum.

Cap. XXVIII.

IN tex. 7. libri tertij de anima cùm ſtatuat Ariſtoteles mentem noſtram eſſe ſeparabilem, plerique Auerrois ſectatorum hinc colligunt mentem humanam eſſe vnam e ſubſtantijs à materia ſeparatis, & ex materia non pendentibus, quę in lib. 6. poſtnat. 2. & in lib. 12. eiuſdem operis 5. vocantur ſeparabiles, ſed parùm ſyncerè, nam cùm mentem eſſe ſeparabilem bifariam intelligatur, vel ſua ſubſtantia, vel muneris functione, mens hoc in loco dicitur ſeparabilis, non quia ipſius ſubſtantia per ſe conſtet à corpore & à materia diiuncta, ſed quoniam in ſui muneris functione non pendet ex corpore tanquam ex inſtrumento, quo ipſa ad hanc obeundam vtatur. In hunc ſenſum audiendum eſſe hunc locum perſpecta huius loci ſententia clarè patebit, ad quam explicandam iam ingredior. Cùm ſupra fixum, ſtabilitumque fuerit mentem ad ſenſus ſimilitudinem ſic eſſe ſpecierum capacem, vt ſit impatibilis, non iniuria rogabit aliquis, vtrum hæc impatibilitas, quæ eſt in ſenſu & in mente, dùm ſpecies ſuſcipiuntur, ſit eiuſdem modi: Huic Ariſtoteles occurrit in hoc textu, ſtatuitque impatibilitatem, quæ in ſenſu & in mente cernitur ea ex parte, qua ille ſpecies ſenſibiles, & hæc intelligibiles ſuſcipit, non eſſe ſimilem,

milem, quandoquidem ea, quæ in mente apparet, eſt purior, ſinceriorque, ea verò, quæ in ſenſu, impurior, & cum vera propriaque perpeſſione aliquatenus copulata. Huius confirmationem aſſumit Ariſtoteles ex ſenſuum inſtrumentis, & ex actu ſentiendi; nam cùm hic actus nihil ferè aliud ſit, quàm ſenſus ſeſe patefaciens, atque ſenſus ſit vis in ſenſorio, ſiue in inſtrumento ad ſentiendum condito poſita, ſanè cùm ex ſpecierum ſuſceptione inſtrumentum quandoque peruertatur, & actus ſentiendi interdum diminuatur, atque in aliquod detrimentum incidat, exiſtimandum eſt ſenſum dum ſuſcipit ſpecies, non omnino expertem eſſe veræ ac propriæ perpeſſionis. Inſtrumentum ſenſus, actumque ſentiendi interdum vitiari illud monſtrat, quòd ſenſus poſt comprehenſionem ac ſuſceptionem vehementis ſenſibilis ſentire non poteſt vel ſtatim, quòd ictu illius ſit perturbatus, vel in poſterum, quia ſui muneris iacturam fecerit. Id autem liquet in tribus ſenſibus viſu, auditu, & olfactu, qui tactu & guſtatu ſunt ſpiritualiores, longiusque abeſſe videntur à vera perpeſſione. Fieri enim nõ poteſt, vt poſt aliquem magnum ſonum, vel grauiſſimum odorem, vel excellens aliquod viſibile comprehenſum deinde remiſſum aliquem vel ſonum, vel odorem, vel colorem aut ſtatim, aut in poſterum percipiamus. At verò mens vbi quippiam intellexerit valdè ac vehementer intelligibile, quaſi perfectior, vegetiorque facta non minus, ſed multò magis, quæ imbecilliora ſunt, poteſt intelligere: Quapropter hæc ſpecies ſuſcipiendo nullo pacto afficitur, eſtque ipſius impatibilitas pura & ſyncera, atque ab omni vera, propriaque perpeſſione ſecreta. Cauſſa huius diuerſitatis in mentis & ſenſus impatibilitate ea eſt, quia mens eſt ſeparabilis, hoc eſt mens, dum ſuſcipit ſpecies, nullo vtitur inſtrumento corporeo; & ſenſus nequit ſuo fungi munere abſque alicuius corporis miniſterio: Enimuerò cum vera propriaque perpeſſio ſit corporis, quoniam vera propriaque actio & perpeſſio in contrarijs vertitur ſeſe tangentibus, ac viciſſim agentibus & patientibus; atque ea ſola ſeſe propriè tangunt, quæ ſunt corpora lib. 1. de gen. & int. cap. de tactu; mens planè, cui nullum corpus ſeruit tanquam inſtrumentum in ſpecierum ſuſceptione, has dum

V exci-

excipit,in nullam incidet veram propriamque perpeſſionem; hæc autem poterit in ſenſum cadere,quia cùm virtus, quę vtitur inſtrumento, ſuam eſſentiam in hoc poſitam habeat, ſenſus hæreat oportet in inſtrumento corporeo;quapropter quia eſt ratio, & quæ ſi concentus quidam ipſius corporis ex perfecta earum qualitatum, quæ primæ vocantur, temperatione erumpens, non ſecus ac verus concentus, qui pulſatis vehementer fidibus diſſoluitur, ab exuperantijs ſenſibilium confunditur,impediturque,ne deinceps in ſuo munere abſque lęſione verſetur, in veram ac propriam aliquatenus incurrens perpeſſionem. Porrò mentem non habere in noſtro corpore inſtrumentum duo perſuaſerunt Philopono: Vnum eſt: Si mens haberet inſtrumentum, vel ipſum ſuum inſtrumentum, ſine quo intelligere quicquam non poteſt, prorſus non intelliget, quod non conſentit cum eo, quod eſt omnibus perſuaſum,noſtram ſcilicet mentem omnia intelligere; vel ſi intelliget,alio inſtrumento,quo intelligat hoc,indigebit, abibitque res in infinitum in ipſius mentis inſtrumentis. Alterum eſt: Inſtrumentum adiumento ſolet eſſe ei,cuius eſt inſtrumentũ, corpus impedit mentem, retardatque à muneris functione: ergo corpus nequit eſſe mentis inſtrumentum. Latinorum plerique inquiunt,ſi mens noſtra haberet inſtrumentum,eſſet certæ cuiuſdam naturæ rerum ſenſibilium, hacque de cauſſa non comprehenderet omnes,ſed ſolùm nonnullas e rebus ſenſibilibus. Hæc leuia ſunt,primumque Philoponi argumentum refellitur, quòd noſtra mens eſt aptè nata intelligere omnia vel per ſe,vel per aliud,ea intelligit per ſe,quæ noſtris ſenſibus expoſita ſunt,ea verò per aliud,quæ ſenſus latent: Cùm igitur noſtræ mentis inſtrumentum nequeat noſtris ſenſibus hauriri, quippe quod ſi ei datum fuerit, in intimis noſtri corporis partibus poſitum erit,non per ſe, ſed per aliud à noſtra mente intelligetur: & verò non eſt in abſurdis mentem noſtram proprium inſtrumentum apprehendere eodemmet inſtrumẽto ipſum non per ſe, ſed per aliud intelligendo. In altero non verè ſumitur corpus prohibere mentem à muneris functione, nam tantùm abeſt, vt intelligentia à corpore impediatur, vt ſine corpore non poſſit exerceri à mente corpus animante.

Ve-

Digitized by Google

Verùm Philoponus deceptus eſt, quia mens non poteſt commodè fungi ſuo munere, ſi corpus fuerit turbulentum, aut nimis obæſum, quòd ſpiritus debent eſſe puri, puraque phantaſmata, ſi danda eſt opera intelligentiæ; ex quo in lib. 4. de part. animal. cap. 10. ſcriptum eſt corporis pondus mentem, ſenſumque communem reddere tardiorem; & Heraclitus apud Galenum in lib. Quòd animi mores ſequantur corporis temperationem dixit illius animum eſſe prudentem, cuius ſpiritus ſunt ſicci. Quinetiam Muſonius apud Stobæum in ſerm. 17. ſcripſit alimentum ex carnibus, quia impuros vapores ex ſe fundit animam obnubilantes, cogitandi ſapiendique impedimentum afferre; quamobrem ingenio tardiores fieri, qui huiuſmodi victu affatim vtuntur. Idem cùm Platonem & Theopompum non præteriret, hic prodidit multa edere & carnibus veſci rationis & conſilij vſum adimere, animoſque efficere tardiores, ac immani quadam duritie ac ſtultitia complere; ille verò parcè ac frugaliter ſemper cęnauit, quæ e re cœnæ ipſius, vt tradidit Hegeſander apud Athenæum in lib. 10. & retulit Cicero in lib. 5. Tuſcul. a Timotheo claro Athenis viro magnopere laudabantur, quoniam non ſolùm in præſenti, ſed etiam in poſtero die eſſent iucundæ; nam vt inquit Horatius in lib. 2 ſerm. ſatyra. 2.

„ *corpus onuſtum*
„ *Heſternis vitijs animum quoque pergrauat vna.*

cui affine eſt illud ſapientiæ. Corpus pergrauat animam. Non eſt igitur, vt quiſpiam miretur, ſi Carneades, & alij plerique (vt ſcribit Plinius in lib. 25. cap. 5.) helleboro albo ſe purgarunt, ne ex corruptis in ventriculo humoribus vapores ad cerebrum attollerentur, qui eſſent impedimento, ne quæ commentabantur, acriùs peruiderent. Sed de Philopono hactenus: Latinos autem non ſatis firmo vti argumento declarat facultas imaginatrix, quæ inſtrumento donata ſibi aſſerit rerum omnium ſenſibilium cognitionem. Cæterùm præter hęc ſunt alia, quæ maiores videntur momenti: Vnum eſt: Si vlla noſtri corporis pars eſſet mentis inſtrumentum, quibuſcunque animantibus hęc pars data eſſet, his mens quoque ineſſet; ſed nulla noſtri corporis pars poteſt ſtatui mentis inſtrumentum, quę

non ſit animantibus data non intelligentibus; non igitur in noſtro corpore vlla pars poteſt ſumi, quæ ſit mentis inſtrumẽtum. Alterum, quod ex præſenti loco intelligitur, eſt huiuſmodi: Si mens haberet inſtrumentum, ſicuti ſenſus, planè oporteret, quemadmodum ſenſus comprehenſione excellentis ſenſibilis hebetatur, ſic ipſam obtundi & perſtringi, cùm aliquod percepiſſet excellens & arduum intelligibile; atqui mens comprehenſione vehementis intelligibilis non ſolùm non hebeſcit, ſed contra fit vegetior atque expeditior ad reliqua intelligenda; non igitur vllum inſtrumentum fuit menti a natura conceſſum. Tertium & extremum eſt. Omnibus facultatibus quarum eſt inſtrumentum, illud commune eſt, vt inſtrumento inueteraſcente ægrè ipſę ſuis fungantur, officij: cùm igitur noſtri corporis partibus conſeneſcentibus tantùm abſit, vt mens ægrè verſetur in ſuo munere, vt ad hoc ſit multò alacrior, nulla profectò pars corporis ſeruiet menti tanquam inſtrumentum. Ex his conſtat Ariſtotelem in lib. 1. de anima 92. optima ratione ſcripſiſſe difficilè eſſe fingere, qua corporis parte mens contineatur; non enim huius, vt dicebat Chryſippus referente Galeno in lib. 2. de placitis Hippocratis & Platonis vllum ſenſum, vllumve certum argumentum habemus. Nec cuipiam imponat, quòd læſo cerebro lædatur mentis actio, ex quo Galenus, & Medici, atque cum his Abbolfaragus Babylonius exiſtimant confici cerebrum eſſe mentis inſtrumentum: nam ſi ſequitur, quia cerebro læſo læditur actio mentis, vt cerebrum ſit mentis inſtrumentum, cur etiam non ſequitur mentis inſtrumentum eſſe præcordia, quibus inflammatis homines delirant, fiuntque amentes? & cur inſtrumentum facultatis vitalis non eſt os ventriculi, ex cuius offenſione ſæpe contingit præceps huius virtutis lapſus? Non igitur quòd læſo cerebro lædatur mentis actio, eſt argumentum efficax illud eſſe huius inſtrumentum. Cauſſa verò huius euenti in id eſt conijcienda, quòd læſo cerebro per conſenſum læditur imaginatio, qua læſa fit, vt mentis actio lædatur. Cautè dixi imaginationem lædi per conſenſum, quandoquidem principium ſenſus & imaginationis ab Ariſtotele in lib. 3. de part. animal. cap. 4. non in cerebro poſitum eſt, ſed in corde, quod

Digitized by Google

cerebro affecto afficitur ob ipſius cum hoc conſenſionem: Sanguineis enim animalibus, vt idem ſcribit in lib. 2. eiuſdem operis cap. 7. à natura datum eſt cerebrum ad cordis calorem temperandum; quamobrem cerebro laborante cor laborat ob maximam harum partium inter ſe conſenſionem. Neque Medici aduerſus hoc clamitent, quandoquidem Hippocrates, à quo nulla apud ipſos eſt prouocatio, in lib. de locis in homine ſcribit omnia in noſtro corpore ſimul conſpirare, ſingulaſque corporis partes alterum alteri morbum facere. Ecquid veri ſit, cur ſenſui à natura inſtrumentum corporeum fuerit impertitum, & non menti, id plerique Ariſtotelici ſtatuunt eſſe in cauſſa, quoniam ſenſus eſt à natura conſtitutus ad comprehendendam, cognoſcendamque certam ſpecialem naturam rerum ſenſibilium, vt viſus fuit animalibus à natura datus, vt eius opera colores percipiantur: quamobrem in realis ſedem obtinuit, quibus ad colores contrahitur, ac determinatur. Hos non poſſum audire, quoniam virtus imaginatrix non caret inſtrumento, quæ ad certum rerum ſenſibilium genus non eſt definita, quandoquidem in eius ditione ſunt omnia, quæcunque ſenſibus accipiuntur. Nec illis præterea poſſum aures præbere, qui huius rei cauſſam conſtituunt in eo, quia ſenſus eſt virtus materiata & corporea, atque ideo cum aliqua corporis parte complicata, mens verò immateriata & incorporea, & propterea ab omni corpore ſoluta: nam cùm animæ facultas bifariam intelligatur immateriata, vno modo quia eius eſſentia non pendet ex corpore, tanquam ex eo, ſine quo conſtare non poſſit; altero, quia illius functio muneris ſine corpore, quod ſeruiat tanquam inſtrumentum, miniſtratur, hæc ex modo priore nequaquam poteſt conſequi, quòd nullo vtatur inſtrumento ad ſuum munus obeundum, quoniam hominis ſenſus non ſine inſtrumento in rebus dignoſcendis verſatur, cuius eſſentia non pendet ex corpore: ex modo autem poſteriore ſi concludatur facultatem nullo inſtrumento vti, in argumento, quod eſt colligendum, id concedi poſtulabitur, cùm facultatem carere inſtrumēto idem ſit, quòd facultatem eſſe principium functionis, quæ ſine corpore tanquam inſtrumento ſeruiente adminiſtratur. Mitto interim formas infra

ani-

Digitized by Google

animam poſitas eſſe in materia defixas, quibus nullum eſt inſtrumentum ad ſua opera obeunda; atque de ſententia Alexandri & Alexandreorum noſtram mentem eſſe vim ex corpore & materia pendentem, cui nulla ſeruit corporis pars veluti inſtrumentum? Opinor ea de cauſſa inſtrumentum ſenſui tributum fuiſſe, vt hic res ſigillatim & particulatim cognoſceret; nam cùm ea, quæ cadunt in noſtram cognitionem, & ſingulariter, & vniuersè poſſint apprehendi, atque anima noſtra ſit apta ad hæc vtroque modo apprehendenda, duas ipſa obtinuit facultates, quarum altera, cui nomen eſt ſenſus, res ſingulariter accipit; altera, quæ mens eſt, eaſdem vniuersè intelligit. Vt igitur ſenſibus res ſigillatim & particulariter, hoc eſt citra materiam quidem, ſed non ſine materię proprietatibus acciperentur, his data ſunt inſtrumenta, quæ, quòd ſint corpora ſingularia, nequeunt quippiam ſuſcipere niſi ſigillatim & cum materiæ tegumentis; & quoniam ſenſibus eo modo res dijudicantur, quo hæ ab ipſorum inſtrumentis ſuſcipiuntur, relinquitur his res apprehendi particulariter, atque cum materiæ proprietatibus implicitas. At verò mentem oportuit vacare inſtrumento, vt res vniuersè, detractiſq; omnib. materiæ appendicibus poſſint ipſa diſcerni atq; intelligi.

Quo pacto Ariſtoteles ſit interpretandus, cùm ſtatuit mentem eſſe intelligibilem, quemadmodum intelligibilia: & nunquid noſtra mens ſit ponenda in numero mentium à materia ſeparatarum, quia ſeparet ea, quæ cum materia ſunt copulata.

Cap. XXIX.

NVnc conſiderabimus locum lib. 3. de anima 15. vbi affirmatur mentem noſtram eſſe intelligibilem, quemadmodum intelligibilia, nam in ijs, quæ materiæ ſunt expertia intelligens & id, quod intelligitur, idem eſt. In huius loci explanatione ab ijs, quæ dicuntur ab

alijs,

alijs, me temperabo, & quid ipſe ſentiam, duntaxat commemorabo. Cùm in tex.8.huius lib.conſtitutum fuerit mentem, quando ſic ſingula eſt facta, vt ſimilis ſit homini ſcienti, ſe ipſam intelligere poſſe, in tex.13.in dubium fuit reuocatum, qui ipſa ſit intelligibilis, atque dubitatio hunc in modum fuit expoſita: Si mens noſtra eſt intelligibilis, aut ea ratione, qua eſt mens, intelligibilis eſt, vt in ipſa idem prorſus ſit hoc, quod eſt eſſe mentem, & hoc, quod eſt eſſe intelligibile, aut alia ratione eſt mens, & alia intelligibilis: Si primum detur, conficitur res alias omnes, quæ per ſe à nobis intelliguntur, elementa, mixta inanima, ſtirpes, & animalia rationis expertia eſſe mentes, mẽtemque habere, quod pugnat cum ipſa euidentia: huius conſequutionis ratio eſt, quoniam licèt multa ac varia ſint intelligibilia, vnica tamen eſt ratio, ſecundum quam ſunt intelligibilia, quæcunque ſunt huiuſmodi: quamobrem neceſſe eſt, ſi mens noſtra ea ratione, qua eſt mens, ſit quoque intelligibilis, ita vt in ea idem ſint natura mentis, & natura intelligibilis, vt quodcunque eſt intelligibile, propterea ſit intelligibile, quia ſit mens, aut habeat mentem: Alterum verò ſi ponatur, ponendum quoque erit noſtram mentem compoſitam eſſe ex duabus diuerſis naturis, quarum vna ſit propria mentis natura, altera verò ſit ipſi, ac cæteris rebus, quę per ſe ab ipſa intelliguntur, communis; quod nõ cohæret cum eo, quod ſupra in tex.4. fuit concluſum, quodque eſt mentem noſtram eſſe immixtam, nihilque commune habere cum ijs, quæ per ſe intelliguntur ab ipſa. Ratio, propter quam hoc ſit ponendum, eſt, quia cùm vna eademque ſit ratio, qua eſt intelligibile, quicquid eſt huiuſmodi, ſequitur planè rationem & naturam, qua mens eſt intelligibilis, eſſe quoque in reliquis omnibus, quæ per ſe ab ipſa mente intelliguntur, atque ideo mentem compoſitam eſſe ex duabus naturis, quarum altera propria eſt mentis, & altera menti ac reliquis omnibus intelligibilibus communis. Quòd ſi mens neutro modo eſt intelligibilis, hæc ſeipſam non intelliget, quoniam his exceptis modis nullus eſt, quo ipſa poſſit eſſe intelligibilis. Hæc eſt dubitatio in tex.13.propoſita, cui hoc in loco ſit ſatis ſtatuendo mentem eſſe intelligibilem, quemadmodum intelligibilia. Hæc intelligibilia quid ſint,

magna

magna eſt controuerſia, nam cùm intelligibilium alia ſint ſua natura ab omni materia disiuncta, quæ propriè ſunt intelligibilia, quia nulla facta ſeparatione à materia naturam per ſe intelligibilem habent, & proinde vt intelligantur, aptiſſima; & alia re ipſa coniuncta materiæ, quæ non propriè ac natura ſua ſunt intelligibilia, cùm huiuſmodi efficiantur opera mentis illa ſeiungentis à materia, plerique interpretes inquiunt mentem noſtram eſſe intelligibilem non ſecus, ac prioris generis intelligibilia, quæ ſunt mentes ſeparatæ, quandoquidem illa in his numeratur, ſuaque ſubſtantia conſtat ſine materia. Verùm ſi hæc interpretatio recipiatur, dubitatio potius amplificabitur, quàm profligetur, quòd multò obſcurius, incertiuſque eſt, quo pacto mentes beatæ ſint intelligibiles vel à ſeipſis, vel à mente noſtra, quàm quo modo mens noſtra ſit intelligibilis. Accedit conſentaneum non eſſe vocabula habere aliã ſignificationem, cùm dubitatio proponitur, & aliam, cum diſſoluitur. Quocirca ſi vox intelligibilium aſſumpta in propoſitione ſignificat res materiatas intelligibiles, non eſt, vt in diſſolutione ad mentes à materia ſegregatas transferatur. Ego cùm alijs explicatoribus ſum illius opinionis, vt hac voce intelligantur res materiatæ, & in ſenſum cadentes, quæ ſunt intelligibiles qua ex parte fiunt, & ſunt mens actu, (noſtra enim mens intelligendo fit id, quod intelligitur) atque idcirco Ariſtotelem ſentire noſtram mentem eſſe intelligibilem, quemadmodum hæc intelligibilia: quod confirmat ſubiungens in ijs, quæ ſunt ſine materia, idem eſſe naturam intelligentem, & id, quod intelligitur: quorum verborum ſententia eſt: Res intelligibiles materiatæ cùm a materia ſunt ſeparatæ, actuque intelligibiles, hę ſimul ſunt mens & id, quod intelligitur; quapropter mens noſtra has intelligendo ſimul quoque ſe ipſam intelligit: ex quo fit, vt ipſa non ſecus ſit intelligibilis, ac intelligibilia, nec ſecus ipſa ſe intelligat, ac intelligibilia. Porrò res materiatas, cùm ipſæ fuerint à materia ſecretæ, ſimul eſſe mẽtem, & id, quod intelligitur, confirmant hæc, quæ continuò
„ ſequuntur; Scientia contemplatiua & id, quod actu in ſcien-
„ tiam cadit, idem eſt: hoc eſt, mens actu contemplans ſit, &
eſt idem, quod id, cuius actu eſt contemplatio. Fit autem noſtra

ſtra mens intelligendo ipſum intelligibile non quidem ſimpliciter,& corporaliter, ſed ſpiritaliter, & aliquo pacto, nimirum imitatione ac repreſentatione, ſiue in eo, quòd per ſpeciem quandam immaterialem, quæ eſt actus intelligendi, in ſe ipſa refert id,quod intelligitur, ſicut eſt in rerum natura. Et ſanè ſi ſenſus actu eſt quodam modo ipſum ſenſibile lib. 2. de anima 138. conſentaneum eſt & mentem actu eſſe id, quod intelligitur. Atque iſtud intereſt inter formas,quæ ſunt cognitionis principia, & formas nullam cognitionem tribuentes, nam hæ id tantùm ſunt, quod ſunt, illæ autem ſic natura ſunt comparatæ,vt poſſint fieri & eſſe alia,quod opera cognitionis aſſequuntur, nam hac vis cognoſcens fit id, quod cognoſcitur; & quò natura cognoſcens & cognitio maiorem habent perfectionem,eò maior eſt vnitas, quæ ex natura cognoſcente & ex eo,quod cognoſcitur,exiſtit. Quapropter ſcite ſcripſit Auerroes in digreſſione comm. 5. lib. 3 de anima fieri magis vnum ex mente & re intelligibili,quàm ex materia & forma: Vnum enim magis ſunt ea, quæ ſic ſe habent,vt eorum vnum ſit & fiat alterum,quàm ea,ex quibus fit quoddam tertium. Ex his perſpici poteſt inter mentem & materiam multum intereſſe in formis ſuſcipiendis, nam materia cùm ſuſcipit formā, non fit forma, ſed ex hac & ex illa oritur quiddam tertium, quod eſt ſubſtantia compoſita: at mens cùm ſuſcipit ipſum intelligibile, fit idem intelligibile, neque ex ea & intelligibili aliquod tertium efficitur. Ex his præterea intelligitur mētem noſtram, & non ſolam diuinam, ſe ipſam tantùm intelligere, & extra ſe nihil apprehendere, quod forſitan multis noſtræ ætatis philoſophis eſt inauditum; nam cùm mens fiat id,quod intelligitur, nec poſſit intelligere quippiam, niſi conuertatur in ipſum, efficitur, vt mens noſtra ſe ipſam ſemper intelligat, & extra ſe nihil percipiat. Atque ad hoc ſi Picus, animum retuliſſet,non illi fuiſſet opus intelligere abdito, cuius facta fuit mentio à D. Auguſtino in lib. de Trinitate, & ab Henrico in quolibetis, ad tuendam ſuam concluſionem paradoxam, quæ ſtatuit animam nihil actu, niſi ſe ipſam intelligere. Ex his denique perſpicuum eſt noſtram mentem eſſe intelligibilem, quēadmodum intelligibilia, quod ad explicandum erat propoſi-

X tum:

tum: enimuero cùm mens fiat intelligibilia, hæc intelligendo ſe ipſa quoque intelligit, & quoniam hæc intelliguntur ea ex parte, qua mens fit ipſa, & ipſa fiunt mens actu, ſequitur, vt eadem ratione noſtra mens ſit mẽs actu, & intelligibilis. Ecquid verò ſit cur cùm mens eadem ratione ſit mens & intelligibilis, ſemper tamen non intelligat, Ariſtoteles huius explicationem loco magis idoneo reſeruat, atque interim ſeſe expedit ab abſurdo, quod ſequi dictum eſt, ſi mens eadem ratione ſit mens & intelligibilis, quodque eſt fore, vt reliqua intelligibilia ſint mens, aut mentem habeant: Ab hoc autem ita ſe vendicat: Quæcunque à nobis per ſe intelliguntur, & vocantur intelligibilia, bifariam poſſunt inſpici, vno modo qua ex parte actu intelliguntur, & ſunt à materia ſecreta; altero qua ex parte ſunt materiæ copulata, & poteſtate, vt intelligantur, ſi priore modo inſpiciantur, quod exiſtimatur abſurdum, id non eſt abſurdum, quoniam quæcunque actu intelliguntur: hæc omnia ſunt mens, & in ijs, quæ ſunt à materia ſecreta, idem eſt mens, quæ actu intelligit, & id, quod intelligitur: huius ea eſt ratio, quia mens noſtra vt dictum eſt, actu intelligendo fit illud ipſum, quod cadit in intelligentiam: Intelligere enim nihil eſt aliud, quàm naturam intelligentem fieri id, quod, vt ab ipſa intelligatur, eſt aptè natum. Sin autem poſteriore, hinc minimè conficitur reliqua intelligibilia, quæ materiam habent, & materię ſunt implicita, eſſe mentes, aut mentem habere, quoniam horum vnumquodque non eſt niſi poteſtate mens, & intelligibile: Etenim formæ cum materia complicatæ non ſunt actu intelligibiles, actuque mentes, ſed poteſtate, ex qua in actum transferuntur, cùm à materia & à materiæ tegumentis ſegregantur, actuque intelliguntur: quamobrem his cum materia, materiæque proprietatibus implicitis non inerit mens, neque hæ erunt mentes, quamquam eædem à materia & materiæ conditionibus ſeparatæ ſint mentes, quæ mentes his tributæ ſunt actu intelligibiles, quòd in ipſis à materia, & à materiæ proprietatibus ſolutis idem prorſus eſt mens, & id, quod intelligitur. Hæc eſt huius loci perdifficilis explanatio, ex qua liquet aduerſarios decipi hoc ex loco colligentes mentem noſtram eſſe in numero mentium ſua natura intelligibilium, & à

mate-

materia ſeparatarum. Nec minus quoque decipiuntur, dum putant idem colligi poſſe ex hoc, quòd noſtra mens formas mathematicas ſeparat à materia, in qua ſunt infixæ, in quo munere nequaquam verſaretur, niſi per ſe conſtaret à materia ſoluta, quoniam quod cauſſa eſt quibuſdam, vt ſint cuiuſdam modi, id magis eſt modi illius, hi inquam æquè decipiuntur, quia mens noſtra non ſic formas mathematicas, & alia, quæ intelligit, ſeparat à materia, vt re ipſa liberet, & abſoluat à materia, ſuaque opera præſtet, vt diuulſa à materia cohęreant, hoc enim proximè accedit ad Platonis opinionem de ſeparatis & per ſe ſubſiſtentibus vniuerſalibus, quæ multis in locis fuit ab Ariſtotele exagitata, & profligata; ſed omnia hæc à materia diſiungit, quoniam comprehendit ipſa non apprehenſa materia, neque apprehenſis naturis cum quibus ſunt implicita: hoc verò tantum abeſt, vt argumentum ſit eam eſſe & conſiſtere à materia ſegregatam, vt contra ſignificet eſſe materiæ coniunctam, & corporis formam, quippe mens non fungatur hoc munere, niſi præſtò habeat phantaſmata, quę in corpore ſunt, & ex corpore pendent. Neque in lib. 12. poſtnat. 51. ſcriptum eſt mentem non habere materiam, nam tametſi hoc in loco hæc ſcripta ſint: An omne non habens materiam eſt indiuiſibile, quemadmodum mens humana: poſtrema tamen verba ab Alexandro & Philopono cum ijs, quæ ſequuntur, in ipſorum explicatione coniunguntur, ſententiaque eſt: Quemadmodum mens humana cùm in rebus naturæ contemplandis ad eam peruenerit excellentiam, vt ſummum naturæ authorem contempletur, non in alia & alia temporis parte, ſed vno temporis puncto ipſum intuetur, & apprehendit, eodem modo mens diuina ex omni æternitate ſe ipſam comprehendit ſine vllo temporis interuallo. Quòd ſi hęc cùm Auerroe & latinis coniungantur cum ijs, quæ antecedunt, hunc locum ita interpretabimur, vt in eo explicetur dubitatio propoſita, vtrum mens diuina ſeſe contemplando intueatur naturam compoſitam, ſtatuaturque mentem diuinam in ſui ipſius contemplatione poſitam apprehendere naturam prorſus ſimplicem & indiuiduam, quippe quæ vacat materia, & omnia, quæ materia vacant, ſunt indiuidua, quemadmo-

dum mens humana, aut mens rerum concretarum in aliquo tempore cernitur, in eo ſcilicet, quo intelligitur; nam cùm intelligere nihil aliud ſit, quàm apprehendere naturam rei ſimplicem ſine materia, & materiæ inuolucris, atque diuiſiſi è materia exiſtat, profectò mens humana, dum intelligitur, eſt indiuidua, ac præterea mens rerum concretarum, hoc eſt res cõcretæ, dum intelliguntur, fiuntque mens, ſunt indiuiduæ, naturamque habent ſimplicem, & non ex multis partibus conſtantem.

Explanatio loci in lib. 2. de gen. animal. cap. 3. in quo ſcriptum eſt Mentem extrinſecus accedere: & nunquid Ariſtoteles in lib. 1. de anima 82. ſtatuat mentem eſſe corpore antiquiorem.

Cap. XXX.

RESTÃT duo loci, alter in lib 2. de gen. animal. cap. 3. poſitus, qui ſemper plurimi factus eſt ab omnibus: & alter in lib. 1. de anima 81. In loco priore cum Ariſtoteles docuiſſet omnes animas priùs poteſtate in fætu haberi, quàm actu, anquirit, quonam modo animæ ſubeant fætum, & in fætum ſeſe inſinuent. Neceſſe eſt enim aut omnes fætui accedere, cùm antea conſtarent in rerum natura; aut omnes fætum ſubire, antea cùm non fuerint, aut denique fætui ſic contingere, vt ipſarum aliquæ fuerint, & aliquæ antè non fuerint. Hanc quæſtionem explicans monſtrat fieri non poſſe, vt omnes animæ fætum ſubeant, cùm antè fuerint ita, vt omnes animę extrinſecus accedentes fætui contingant. Argumentum, quo vtitur, eſt huiuſmodi: Si omnes animæ extrinſecus accederent, aut vna cum corpore accederent, aut per ſe ſine corpore: Neutrum defendi poteſt: Non igitur omnes animæ extrinſecus veniunt. Connexum perſpicuum eſt, aſſumpti pars altera ita probatur: Illa principia,

quo-

quorum actio non poteſt abſque corpore exerceri, ſine corpore manere non poſſunt: ſed non omnium animarum actiones poſſunt ſine corporis miniſterio abſolui: non igitur omnes animæ poſſunt ipſæ per ſe extrinſecus accedere abſque corpore: Alterius partis confirmatio eſt huiuſmodi: Si omnes animæ fœtui accederent extrinſecus cum corpore, ſemini coniunctæ extrinſecus venirent, ſiquidem in generatione nullum corpus præter ſemen adiungitur materiæ & ſanguini menſtruo: atqui cum ſemine non accedunt: non igitur omnes animæ extrinſecus cum corpore veniunt: Aſſumptum declaratur, quoniam ſemen, cùm ſit excrementum alimenti mutati, nullam poteſt animam in ſe continere. His ita conſtitutis Ariſtoteles continuò ſubiungit: Reſtat igitur vt mens ſola extrinſecus accedat, eaque ſola diuina ſit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. His cùm nihil apertius dici poſſit ad ſignificandum mentem extrinſecus accedere, temporeque prægredi corporis humani conſtitutionem, aduerſarij tanquam victores lætitia exultant, gaudioque triumphant, ſed inaniter gloriantur de victoria, quæ nulla eſt; quod erit perſpicuum, ſi quid mentis nomine Ariſtoteles intelligat, fuerit explicatum: ad hoc autem ita ingredior. Principiò mentis nomē Ariſtoteli non poteſt ſignificare animam rationalem, quæ ex præſtantiſſima intelligendi facultate mens quandoque nuncupatur, quia paulò ſuprà cùm Ariſtoteles certum eſſe dixiſſet animam ſenſualem, qua animal eſt, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo, confeſtim adiungit de mente plurimum dubitari quonam tempore, & quo modo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participant, quibus perſpicuè ſignificat ſe hoc nomine quippiam aliud, quàm animam rationalem habere propoſitum. Accedit Ariſtotelem poſtquam dixit mentem extrinſecus accedere, quoniam cum huius actione non communicat corpus, continuò ſubiungere omnem animam corpus aliud participare. Atqui nulla ratione hæc inter ſe cohærebunt, ſi mentis nomine intelligatur anima rationalis. Et cùm actus intelligendi ſit actio animæ rationalis propria, atque hic actus ſit cum ſenſu, aut per ſenſum lib. 3. de anima trigeſimonono, qui po-

teſt fieri, vt cum eo non communicet, actio corporalis, ſi initio lib. de ſenſu & ſenſili actiones, quæ cum ſenſu aut per ſenſum aguntur, ad corpus & animam communiter attinent. Quamobrem quicunque ex hoc loco intelligunt animas noſtras rationis compotes extrinſecus accedere, hi non multùm occulati fuerunt in huius loci inſpectione. Verumenimuero cùm duæ mentes in Ariſtoteles ſchola ſint valde celebres, quarum vna patiens & materialis nominatur, cuius eſt omnia fieri, altera efficiens, cuius eſt omnia facere, par eſt mentis vocabulum, aut ambas, aut alteram ſolùm amplecti. Alexander in lib. 2. de anima ſcribit mentem, quam hoc in loco Ariſtoteles aſſeuerat extrinſecus accedere, eſſe mentem effectricem, de qua in lib. 3. de anima 19. dictum eſt ſeparabilem eſſe, immixtam, impatibilem, ſolamque immortalem atque perpetuam. Hæc explanatio tametſi pleriſque Peripateticis videatur improbabilis, quòd non ſit conſentaneum Ariſtotelem in hac conſideratione de animis fætum ſubeuntibus propoſitam habere mentem effectricem, quæ de ſententia Alexandri non eſt pars animæ noſtræ, mihi tamen videtur magnopere probabilis, nam cùm mens efficiens ſit prima ſupremaque mens, quæ nobis accedit, vt primùm aptè ſumus ad intelligēdi munus exequendum, & nobiſcum maximè copulatur, cùm ipſam intelligimus, non eſt, vt cuiquam mirum videatur, ſi Ariſtoteles in hac quæſtione ad hanc mentem diuertat Ariſtotelem verò conſueuiſſe mentis nomine ſimpliciter & abſolutè pronunciato intelligere primam, ſupremamque mentem teſtantur ea, quæ de hac diſputantur ferè ſub exitum lib. 12. poſtnat. & confirmat id, quòd cùm de mente noſtra loquitur, hanc ſolet nominare mentem, qua intelligit & exiſtimat anima lib. 3. de anima 1. & 5 atque vocatam mentem lib. eadem 46. His accedit Ariſtotelem hoc in loco ſtatuere tanquam certum & indubitatum cum huius mentis actione nihil communicare actionem corporalem, quod nunquid de ſententia Ariſtotelis tribuendum ſit noſtræ menti materiali in nobis exiſtenti tam dubium eſt, quàm quod maximè, & aptè congruere menti diuinæ atque effectrici tam certum eſt, quàm quod certiſſimum. Poſtremò mentem extrinſecus accedere ſignificat Ariſtoteli

non,

non, vt plerique interpretantur, mentem infundi à Deo non eductam ex materiæ viſceribus, ſed mentem antea exiſtentem homini adiungi, nam quæſtio, in qua verſatur Ariſtoteles, eſt, nunquid animæ fætui contingant, cùm antè fuerint extrinſecus venientes, minimè verò nunquid animæ fætui accedant ex materia erutæ, an à Deo procreatæ: atqui mens materialis, quæ eſt vis animæ rationalis, qua homo eſt illud ipſum, quod eſt, vt paulò ſupra ſcriptum eſt, fieri nequaquam poteſt, vt exiſtat, antequam homo ſit genitus, quoniam forma nunquam tempore anteit id, cuius eſt forma lib. 12. poſtnat. 16. non igitur Ariſtoteli hoc in loco propoſita eſt mens materialis, ſed mens efficiens, quæ cùm ſit de ſententia Ariſtotelis mens diuina, ſic accedit homini, vt antea extiterit infinitis ſeculis ipſum antecedens. Cæterum ſi diuina mente iuſſa valere cum aduerſarijs voluerimus Ariſtoteli alteram mentem fuiſſe propoſitam, hunc locum ita interpretabimur. Mens, quam patientem, capacem & materialem nominamus, cùm duobus modis poſſit cadere in conſiderationem, vno modo ſecundum ſuam ſubſtantiam, & in eo, quòd eſt pars, & aliquid animæ noſtræ, altero in eo, quòd eſt & vocatur mens actu, profectò non eſt aſſeuerandum Ariſtotelem hanc inſpicere modo priore, quoniam anima noſtra non antè exiſtens extrinſecus inſeritur in fætum, quippe quæ continetur genere formarum, quarum ea eſt natura, vt ſuis corporibus nunquam ſint temporis origine priores lib. 12. poſtnat. 16. Noſtram igitur mentem Ariſtoteles intuetur modo poſteriore, quo quidem modo inſpecta verè ac ſimpliciter dicitur mens, nam hæc cùm eſt poteſtate, minus propriè vocatur mens, atque huius ea eſt ratio, quia cùm mens vicem gerat inſtrumenti, vt dicebat Ariſtoteles in ſect. 30. probl. 4. atque inſtrumentum eatenus ſit inſtrumentum, quatenus hoc vtimur ad aliquod efficiendum, mens non antè erit verè mens, quàm ipſa ſuo fungatur munere, noſque ipſa vtamur ad intelligendum, & ad colligendas notiones rerum vniuerſas. Sed & hoc ex eo poteſt ſciri, quòd cùm Ariſtoteles ſcribat de mente plurimum dubitari quonam tempore, & quo modo, & vnde eam recipiant, quæ ipſam participant, duo huic tribuit, vnum ipſam non eſſe in fætu, neque in vtero fætui accedere,

ſed

ſed poſterius innaſci: alterum, nō vniuerſum genus hominum eius eſſe particeps, ſed animam noſtram, qua ſumus illud ipſum, quod ſumus, quæque eſt finis generationis, neceſſe eſt in cunctis hominibus reperiri, atque vt primùm geniti ſunt, non igitur Ariſtoteles mentem ſibi proponit conſiderādam in eo, quòd eſt aliquid animæ noſtræ, & ſecundum ſuam ſubſtātiam, ſed hanc intuetur, qua ex parte eſt & vocatur mens actu, quo quidem modo conſiderata in nobis poſterius fit, nec vniuerſis hominibus tributa eſt, ſed ijs duntaxat, qui ſcientes ac periti appellantur. Nec verò eſt nouum Ariſtotelem contemplari mentem in eo, quòd eſt mens actu, atque hanc ita conſideratam ſimpliciter appellare mentem, nam hoc modo fuit mentem intuitus in lib. 7. polit. cap. 15. vbi habet hæc. Vt corporis ortus prior eſt, quàm animi, ita ea pars, quæ non vtitur ratione, antiquior ea eſt, quæ vtitur, idque ex eo ſciri poteſt, quia ira, voluntas, & cupiditas in pueris inſunt, vt primùm ſunt in lucem editi, ratio autem & mens progrediente ætate, nec non in lib. 1. de anima 24. quo in loco ſcribit eam mentem, quæ ex prudentia nominatur, non omnibus ęquè animantibus, imo verò ne omnibus quidem hominibus eſſe conceſſam. His in locis Ariſtoteles nequaquam inſpicit mentem in eo, quòd eſt aliquid animæ noſtræ, quoniam cùm eius ſubſtantia ſit reponenda in earum rerum numero, quæ à natura nobis ſunt impertitæ, vt traditum eſt in ſect. 30. probl 4. in ortu nobis contingat, & in omnibus hominibus reperiatur, oportet, ſed eam contemplatur, qua ex parte eſt mens actu, quo quoque modo cùm eam hoc in loco habeat propoſitam, eius ſententia eſt reſtare, nihilque prohibere, quominus hæc mens in eo, quòd eſt mens actu, ſtatuatur extrinſecus accedere, quoniam ipſa vt huiuſmodi nullam habet cum corpore communionem, idque ex eo intelligitur, quia Deus eſt mens actu, quem nefas eſt vllā cum corpore habere communionem, quam ſanè haberet, ſi mens actu vt huiuſmodi cum corpore communicaret. Sed & hoc ſic poſſumus interpretari, vt Ariſtoteles ſcribat mentem actu extrinſecus accedere, quoniam actus intelligendi, ex quo mens actu fit, & nominatur, non expletur aliqua corporis parte, quæ eamque inſtrumentum ſeruiat. Atque id intereſt inter

men-

Digitized by Google

mentem & reliquas animæ partes, nam harum actus abſoluuntur certis definitiſq; inſtrumentis, quibus vniuerſum corpus fuit à natura diſtinctum; quo fit, vt in his non ſolùm facultates inſitæ nobis ſint naturaliter, verùm etiam functiones & abſolutiones; at in mente ſecus eſt, nam licèt omnes homines habeant a natura mentis ſubſtantiam, eius tamen actum & perfectionem non accipiunt a natura, quandoquidem nulla in corpore pars eſt, quæ tanquam inſtrumentum conducat ad huius actum peragendum: Quapropter reliquæ partes animæ nullo modo extrinſecus accedunt, ſed in ijs numerantur; quæ nobis à natura impertiuntur: at noſtra mens, ſi qua ex parte eſt mens actu inſpiciatur, poteſt videri extrinſecus accedere, quia eius actus non eſt nobis à natura tributus; neque in cunctis hominibus cernitur, ſed in ſolis illis, qui in rebus inueſtigandis & perſpiciendis ſunt verſati. Atque id Ariſtoteles ſignificauit in probl. 4. ſect. 30. in quo ſcribit naturam parentem & authorem omnium inſtrumenta nobis duo inſeruiſſe, quorum opera inſtrumentis extraneis vti valeremus, manum inquam corpori dediſſe, animo mentem: & vt manu non iam inde ab ortu naturæ vti poſſumus, ſed cùm eam natura abſoluit, perficitque (procedente namque ætate manus ſuum opus maximè efficere poteſt) ita etiam mentem, quæ res naturalis eſt, non protinus, ſed in ſenectute maximè nobis contingere, atque tunc potiſſimum conſumari & abſolui His non obſcurè ſignificat Ariſtoteles mentem actu non ineſſe nobis à natura, ſed tempore progrediente innaſci, atque in ſenectute conſumari, ſuamque abſolutionem accipere. Non poſſum hoc in loco id præterire, quod in huius loci enarratione proditum eſt ab Auerroe. Hic ,, cenſet verba hæc: Reſtat igitur, vt mens extrinſecus accedat: eſſe accipienda non per modum aſſeuerantis, ſed per modum ambigentis, eaque ſic interpretatur, vt ſententia ſit: Cùm non omnes animæ poſſint extrinſecus accedere, reſtat, vt ſi aliquod principium nobis extrinſecus contingit, id eſſe ſolam mẽtem, atque hanc ſolam diuinam eſſe, nam cum huius actione non communicat actio corporalis, hoc eſt actio eius non abſoluitur miniſterio alicuius corporis tanquam inſtrumenti. Hæc explanatio ita probabilis & Ariſtoteli conſentiens viſa

eſt Zabarellæ, vt eam alijs neglectis vnicè approbauerit, atque vt illi fidem adiungeret, notauit Theodori Gazæ erratum in horum verborum conuerſione; nam cùm græcè legatur λείπεται δὲ, Gaza vertit, Reſtat igitur, cùm eſſet vertendum, Reſtat autem, multùm autem intereſt inter hanc & illam conuerſionem, nam iuxta priorem Ariſtoteles concludit ſolam mentem foris accedere; & iuxta poſteriorem hoc tantùm ſibi vult, quòd attinet ad vim argumentationis, qua fuit concluſum non omnes animas extrinſecus fætui contingere, eam nõ eſſe tanti momenti, vt mentem attingat, quæ cũ habeat actionem non cum corpore communem, vi huius argumenti non poteſt prohiberi, quia extrinſecus veniat. Et ſanè ſi hæc expoſitio, & quæ à nobis ſunt allatæ, æquo animo expendantur, planum erit has multò probabiliores eſſe, quàm quæ probatur aduerſarijs, qui affirmant mentem noſtram extrinſecus accedere, cùm antè extiterit, infinitiſque ſæculis anteceſſerit, quod cum ijs pugnat, quæ in lib. 12. poſt nat. 16. fuerunt conſtituta, quæque ſunt fieri non poſſe, vt forma tempore antegrediatur id, cuius eſt forma. Hic igitur locus parum opitulatur Aduerſarijs, in quo Ariſtoteles vel noſtram mentem, vt Alexander interpretatur, non habet propoſitam, vel ſi propoſitam habet, non ſimpliciter affirmat ipſam extrinſecus venire, ſed aut, vt ego expoſui, eam intuetur, qua ex parte eſt mens actu, & non eo pacto, vt eſt aliquid animæ noſtræ, & ſecundum ſuam ſubſtantiam, aut, vt Auerroes ſentit, dubiam & incertam profert ſententiam. Sed hactenus de hoc locu ad alterum in lib. 1. de anima 82. quod pertinet, ego arbitror dici poſſe hic non aſſumi mentem eſſe corpore ac elementis antiquiorem, & vt ita exiſtimem efficiunt Ariſtotelis verba, quæ ſunt: Quæret præterea quiſpiam quidnam ſit, quod ea vnum efficiat? materiæ enim ſimilia ſunt elementa: Potiſſimum autem eſt id, quod cõtinet, quicquid id tandem ſit, & anima aliud eſſe potius, aut dominum nequit fieri, & multò etiam magis mente: maximè enim conſentaneum eſt hoc eſſe antiquiſſimum, & dominum ſecundum naturam. In his pronomen hoc poſitum extremo loco perperam refertur ad mentem, quoniam cùm hæc græcè ſit νοῦς, quod nomen eſt generis maſculini, non erit ſine vitio,

ſi pro-

Digitized by Google

ſi pronomen hoc, & τοῦτο græcè generis relati ad ipſam referatur, ſed ad id, quod continet, qualecunque illud ſit, referendum eſt; ex quo intelligitur Empedoclem non eſſe audiēdum ſtatuentem elementa eſſe rebus cunctis antiquiora primaque rerum omnium initia, nam cùm hæc ſint mixtorum corporū materia, atque in his in vnum coacta, præter ea aliquod ponēdum eſt, quod ipſa efficiat vnum, atque contineat, verùm quoniam id, quod continet eſt prius iis, quæ continentur, nequit fieri, vt elementa ſint prima rerum omnium initia, rebusque cunctis antiquiora. Mitto interim hoc in loco mentis vocabulum ſumi indefinitè, eoque non magis mentem humanam, quàm mentem Anaxagoræ ſignificari: & cùm abſolutè fuerit pronunciatum, non immeritò quempiam poſſe exiſtimare hic mentem humanam non eſſe Ariſtoteli propoſitam quam is conſueuit appellare mentem, qua anima intelligit & ratiocinatur.

Interpretatio locorum, in quibus Ariſtoteles videtur ſignificare mentem noſtram cum corpore interire.

Cap. XXXI.

PRoximum eſt, vt explicemus locos, qui multos induxerunt, vt tribuerent Ariſtoteli, quòd ſenſerit mētem noſtram cum corpore interire. Principiò locus lib. 2. de anima 15. in quo vis intelligendi nō poteſt in mortalibus conſtare abſque vi alendi, non eripit animæ, mentique noſtræ immortalitatem, nam abſolutè minimè dicitur vim intelligendi non manere ſine vi altrice, ſed adiungitur in mortalibus, quod veriſſimum eſt, quia vis intelligendi quamdiu eſt in hoc fragili, caducoque corpore, tandiu copulata eſt cum alendi facultate, neque fieri poteſt, vt in hoc corpore extet à vi altrice diſiuncta: at verò ab hoc corpore ſeparata cùm non animet vllum corpus mortale, nihil prohibet, quin conſtet ſine vi

alendi: Huius ea eſt ratio, quia vis altrix eſt parata & inſtituta propter corporis fragilitatem, & non quia poſtuletur à vi intelligente, ſiquidem certum eſt mentes illas beatas perpetua intelligentia vigentes nullam habere cum facultate altrice coniunctionem. Cùm paucis interiectis in tex. 22. ſtatuitur facultates ſentiendi & opinandi non ſubſtantia, ſed ratione ſola inter ſe differre, illa ſentiendi facultas eſt accipienda, quæ eſt vis animæ rationalis; hæc autem facultas, cùm animam comitetur à corpore diſcedentem, manet corpore diſſoluto; & quamuis nullo fungatur munere, non propterea exiſtimanda eſt otioſa, & inanis, quoniam otioſum eſt & inane, quod cùm debet, aut poteſt agere, non agit: & virtus ſentiendi data eſt animæ rationali, vt ipſa corpori ſubueniretur, eademque ſic eſt comparata, vt ſine corpore non poſſit ſuum officium præſtare. Quòd ſub exitum eiuſdem libri mens quandoque impediatur morbo, & obſcuretur, hoc non eſt argumentum eius mortalitatis, quia in morbis quandoque mens incurrit in aliquam offenſionem, non quia eius ſubſtantia laceretur, ſed quoniam cùm ſit forma corporis, & corpus ipſi miniſtret in ſuo munere verſanti, non poteſt non conſentire cum corpore ſic, vt hoc laborante ipſa quoque impediatur, ne omnino, aut probè fungatur ſuo munere: atque huius teſtis eſt Ariſtoteles in lib. 1. de anima *66*. quo in loco ſcribit noſtræ mentis intelligere & contemplari marceſcere, non quia mentis ſubſtantia afficiatur, quæ paſſione vacat, ſed quia aliud quoddam intus corrumpitur. Verba, quæ in tex. 20. lib. 3. de anima leguntur, ſatis obſcura ſunt, & commodiſſimè poſſunt explicari ſic, vt nullum periculum mentis noſtræ immortalitati intendatur. Hæc ita ſe „ habent: Separata autem eſt ſolum hoc, quod eſt: atque hoc „ ſolum eſt immortale & æternum. Plerique verba hæc interpretantur tanquam enunciata de mente noſtra, inter quos Vicomercatus tribuens hæc menti noſtræ actu exiſtenti ſentit hanc ſecundum eſſentiam ſolam, & ipſum, quòd eſt, ſeparari à corpore, quaſi dicat Ariſtoteles: Mens actu ſemper quidem intelligit, nam ſiue in hoc ſingulari homine, ſiue in illo nũquam phantaſmata aliqua mentis efficientis lumine illuſtrata non contemplatur, ſed ſecundum huius modi intellectionem ſepa-

rabilis non eſt, cùm phantaſmata ipſa, ex quibus intellectio pendet,cum vi imaginandi corrumpantur: Eſt autem tantum ſeparabilis ſecundum ſubſtantiam & quidditatem ſuam, quæ ex corpore non pendet,vtpotè huic non admixta: & hæc ſola immortalis eſt, atque perpetua, perit enim intellectio huiuſmodi ex phantaſmatis pendens non quidem omnino, ſed in hoc aut in illo ſingulari homine, pereunt etiam reliquæ animæ partes; mentis ſubſtantia nunquam occidit. Hi ſunt improbabiles, nam oportet hæc accipere tanquam pronunciata de mente effectrice,de qua hoc in loco inſtituta eſt diſputatio, quod Alexander videtur ſentire in lib. I. de anima cap.de mẽte effectrice, quem Themiſtius ſequitur,qui de hac mente hunc locum intelligit,cùm natura eius per ſe ſola ſpectatur,quæ nihil aliud eſt, quàm actus merus & infatigabilis, æternus, ſemper intelligens, & ſemper intellectus à ſe non alia re, ſeu per aliam rem, quemadmodum cætera,quæ intelliguntur, & quæ mens habitu à materia diuellit, atque intelligibilia facit, ſed per ſe intelligibilis eſt, & per ſuam eſſentiam ac naturam, atque à ſe habet,vt queat intelligere ac intelligi. Ego igitur cum his conſentiens exiſtimo, cùm verbis proximè antecedentibus diſcrimen fuerit poſitum inter noſtram mentem, quæ fit omnia,& mentem effectricem,quæ facit omnia,quia hæc ſine vlla intermiſſione intelligit, illa autem modò intelligit, modò non intelligit, his nunc ſeparari mentem effectricem ab ijs mentibus,quę ſolùm tum mentes ſunt,cùm a nobis actu intelliguntur,hoc eſt à formis materiatis actu intellectis,atque Ariſtotelem inter has & illam id diſcriminis ſtatuere, quòd mens efficiens ſeparata à noſtra intelligẽtia eſt hoc ſolum, quod eſt, hoc eſt actu mens, actuque intelligibilis: nam hæc neutiquam acceptum fert noſtræ intelligentiæ, quod ſit actu mens, actuque intelligibilis,ſed ſua natura eſt huiuſmodi; quocirca etiam ſi à nobis non intelligatur,nihilominus eſt actu mens, actuque intelligibilis, ex quo fit, vt hæc ſola ſit immortalis, perpetuaque mens, quia ſua natura eſt actu mens, nec quippiam illi cauſſa exiſtit, quòd ſit huiuſmodi: At mentes aliæ à noſtra intelligentia ſeparatæ non ſunt actu mentes, actuque intelligibiles,quoniam tandiu ſunt mentes,quandiu intelliguntur:etſi

non intelligantur, non ſunt mentes; quapropter ſeparatæ & abiunctæ à noſtra mente ipſas intelligente intereunt, deſinũtque eſſe actu mentes, actuque intelligibiles. Hoc in loco rogabit aliquis, cùm formæ materiatæ actu intellectæ à mente effectrice diſtinguantur, nunquid inter has & noſtram mentem aliquid interſit: Reſpondeo multum intereſſe, nam hæ formæ dum intelliguntur, fiunt duntaxat mens noſtra, & non cætera intelligibilia, quæ à noſtra mente intelliguntur: at mens noſtra eſt aptè nata fieri omnia, quæ ab ipſa primùm & per ſe intelliguntur, dum hæc ſcilicet intelligentia apprehendit. Deinde noſtra mens ſua natura & primùm ac per ſe eſt mens, naturaque intelligens, per accidens verò intelligibilis, & res intellecta, nam eatenus eſt intelligibilis, quatenus alia intelligendo ſe ipſam quoque intelligit imitatione & repreſentatione quadam in illa conuerſam: contra formæ materiatæ cùm actu intelliguntur, primùm & per ſe ſunt formæ intelligibiles, per accidens verò mens, quippe quæ ea ex parte ſunt mens, qua actu intelliguntur, quaque mens noſtra intelligendo fit hæ, in haſque conuertitur. Cùm igitur horum verborum ſententia ita ſe habeat, illi decipiuntur, qui exiſtimant hoc in loco ſignificari mentem noſtram eſſe mortalem, quòd ſola mens efficiẽs inducatur immortalis, quoniam non eo ſenſu hæc mens ponitur immortalis, quia naturam habeat, quæ nunquam intereat, atque in hoc ſeparatur à mente noſtra, ſed vocatur immortalis, quia ſeparata à nobis eſt illud ipſum, quod eſt, id eſt actu mens, actuque intelligibilis, ſolaque ex his, quæ cadunt in noſtram intelligentiam, eſt perpetuò actu mens & intelligibilis. Nec minus præterea decipiuntur, qui arbitrantur, quæ ſubiunguntur, quæque ſunt: „Non autem recordamur, quòd „hoc quidem eſt impatibile, mens autem patibilis obnoxia eſt interitui, & ſine hac nihil intelligit: vim habere perſuadendi Ariſtoteli probatam fuiſſe noſtræ mentis mortalitatem: hoc autem quia liquet ex ijs, quæ in his explicandis ſupra fuerunt diſputata, non eſt, vt horum interpretatio iterum in medium veniat. Dubitatio in tex. 36. eiuſdem libri propoſita tantum abeſt, vt euertat ſtatum, in quo mens & anima noſtra manet à corpore diſſociata, vt contra gradum ad hunc faciat, quando-

quidem

quidem Ariſtoteles in hac non aſſumit mentem noſtram non ſeparari à magnitudine, ſed ambigit, an mens non ſeparata à magnitudine, hoc eſt cùm à magnitudine non eſt ſeparata, poſſit ea, quæ non ſunt ſeparata, percipere. Quamobrem quiſpiam non iniuria ſibi poteſt perſuadere modum, quo hæc dubitatio proponitur, aliquo pacto ſignificare alium eſſe ſtatum à magnitudine diſiunctum, quem mens noſtra tenens percipit ea, quæ ſunt à materia ſegregata: Etenim ſi alius ſtatus nulla fuiſſet futura ſignificatio, ſatis Ariſtoteli fuiſſet breuitatis amantiſſimò dubitare, an mens queat intelligere ea, quæ ſunt ſeparata, neque adijcere, cùm non ſit ſeparata à magnitudine, quoniam ſi illius non eſt alius ſtatus præter eum, in quo corpus animat, nemo non eſt intellecturus dubitationem eſſe de mente magnitudini copulata. Atque hæc quidem non improbabilia poſſunt videri, ſed aduerſarios prorſus cogere nequeunt, qui reſponderent hæc addita eſſe, vt ratio intelligeretur, propter quam dubitatur, an mens poſſit intelligere, quæ à magnitudine ſunt ſeparata. Verùm ſi hæc non habent vim cogendi aduerſarios, nec etiam nos cogere poſſunt, vt credamus Ariſtotelem hic ſignificaſſe mentis noſtræ caducitatem. Locus ex cap. 1. lib. 2. de gen. animal. excerptus non eſt, vt nos moueat, quoniam tam in hominum genere, quàm in brutorum animalium generibus maris eſt animam tribuere, cæterùm hoc intereſt, quia mas, quod eſt animal brutum, animam tribuit hanc adducendo ex materiæ poteſtate; mas autem, qui eſt homo, tribuit animam ſua effectione materiam parando ſic, vt habilis idoneaque fiat, quæ ab anima à ſummo opifice procreata animetur. Nec quiſpiam obijciat in corporum naturalium generatione eiuſdem efficientis eſſe materiam parare, & formam largiri, vt latè diſputat Auerroes in lib. 7. poſtnat. com. 31. nam hoc non eſt perpetuò verum, ad ſolaſque illas generationes arctatur, in quibus forma eſt vltimum alterationis, qua materia inſtruitur, fitque alteratione, cùm antè non eſſet. Itaque quoniam anima noſtra, vt ſit, non conſequitur per alterationem, homo generans materiam duntaxat inſtruit & parat, & vbi iam omnis ad plenum abſolutus eſt apparatus, in materiam infunditur anima rationis compos natu-

rali quadam & quaſi dicas ineuitabili neceſſitate à ſummo rerum omnium parente procreata. Quapropter Gregorius Ariminenſis in lib. 2. ſent. diſt. 16. quæſt. 2. ſtatuit hominem generare hominem, non quia ſit opifex animæ, ſed quoniam in materia efficit eum primarum qualitatum apparatum, cum quo anima humana ita eſt connexa & copulata, vt eum neceſſariò comitetur, vbi fuerit plenè abſolutus, ſuiſque numeris expletus: & alij hoc non contenti, quoniam cùm primarum qualitatum apparatus in accidētibus numeretur, finis & extremum actionis, qua homo generat hominem, eſſet accidens; & quod ſequens eſt, hæc hominis actio non attingeret ſubſtantiam, neque propriè eſſet generatio, voluerunt hominem generare hominem, quoniam gignit ipſum compoſitum animam corpori coniungendo, ſuaque actione præſtando, vt anima in corpore inſit, quamque minimè poſſit præſtare, vt hæc ſimpliciter ſit, atque ſubſiſtat, quandoquidem hoc eſt opus ſolius Dei procreantis. Quòd ſi dubites, cùm hominis actio ſit materiata, atque actione materiata id non attingatur, quod eſt à materia ſolutum, cui poterit homo ſua actione animā à materia diſiunctam corpori coniungere? reſpondent etſi anima humana ſuæ ſubſtantiæ habita ratione non poſſit hominis actione attingi, attamen in eo, quòd eſt forma corporis, corporique coniungitur, ipſam attingi poſſe, quoniam vt forma corporis non eſt prorſus à materia ſoluta, illiuſque coniunctio cum corpore reſpectu corporis eſt materiata. Etenim cùm eadem coniunctione anima corpori iungatur, & corpus animæ copuletur, efficitur, dum hominis actione corpus ita afficitur, vt animæ coniungatur, vna quoque anima fiat idonea non quidem ſui, ſed corporis apparatu ad ineūdam cum corpore ſocietatem. Nec verò hæc alicui videantur noua in Ariſtotelis ſchola, nam Auicennas non obſcuri nominis Peripateticus in corporibus naturalibus gignendis ſimilem ferè rationem fuit amplexatus: Hic ſtatuit huic mundo elementali mentem quādam præſidere eiuſdem quidem rationis cum reliquis mentibus diuinis, quæ globis cœleſtibus ſunt addictæ, cæterum dignitate minus præſtabilem; atque huius pręcipuum munus in hoc poſitum eſſe, quod eſt formas omnes, quæ in ipſius virtute contineu-

tinen-

tinentur, tribuere materiæ, cùm hæc probè fuerit inſtructa à cauſſis efficientibus naturalibus, atque hinc eam nomine Colchodeæ hoc eſt formarum datricis nuncupauit. Quinetiam Auerroes, cui tâquam primo authori tribuitur hoc placitum, quod eſt, idem efficiens materiam parat, & formam educit, neceſſe habet hoc approbare, nam cùm mens ſit verè hominis forma, vt demõſtrauimus, & plerique Auerrois ſectatores nõ diffitentur, planè Auerroes neceſſe habet dicere in hominis generatione materiam ab homine apparari, & mentem materiæ paratæ extrinſecus ſuperuenire. Quæ in cap. 3. eiuſdem lib. de genituræ corpore traduntur, hæc non carent obſcuritate, variaſque propterea accipiunt interpretationes, ſed de ijs quicquid ſit, dicendum eſt in ſeminis facultate mentem & animam intelligentem contineri, non quia eius actione fiat, cùm antè non eſſet, ſed quoniam hæc non fit, niſi in materia probè affecta, aptèque nata ipſam excipere: & materia non eſt huiuſmodi, niſi opera effectioneque ſeminis. Et licèt anima rationalis, qua homo eſt homo, prius habeatur poteſtate, quàm actu, attamen huius natura non eſt fragilis & caduca. nam cùm ſcribit Ariſtoteles in lib. 9. poſt nat. 17. in quibus poteſtas actum prægreditur, ea omnia eſſe interitui obnoxia, hoc eſt in ijs accipiendum, quæ per motum & mutationem conſequuntur actum, fiuntque cùm antè non eſſent, in quibus anima noſtra non eſt numerata, quæ, quoniam eſt impartibilis, fit & eſt abſque generatione & mutatione; nam ſi quid partibus vacans aliquando eſt, & aliquando non eſt, id ſine mutatione eſſe, ac non eſſe neceſſarium eſt lib. 8. phyſ. 46. Nec alicui moleſtiam exhibeat, quòd ſcripſerit Ariſtoteles in lib. 2. de gen. animal. cap. 3. omnem animæ virtutem, ſiue potentiam participare aliquod corpus, idque magis diuinum, quàm ea, quæ elementa appellantur, atque pro vt nobilitate, ignobilitateque animæ differunt, ita & naturam huius corporis differre; quoniam corpus hoc eſt corpus, non in quo hæreant animæ, ſed quo animæ vtuntur ad ſua munia obeunda, & eſt ſpiritus, ſine quo fieri nequit, vt vllum animæ opus in corpore exerceatur, quique varius eſt, pro vt variæ ſunt animæ, quibus miniſtrat: atque iſtud ex ijs, quæ ſubiunguntur, ſic apertum eſt, vt

Digitized by Google

qui hæc legerit, hoc ſibi penitus ſit perſuaſurus. Nec nouum eſt Ariſtotelem dicere animam participare corpus, quod ei tanquam inſtrumentum ſeruit, nam & in lib. de vita & morte generationem finiuit primam vegetatricis animæ cum calore participationem. Calorem autem nemo eſt, qui neſciat eſſe huius animæ non ſubiectum, in quo ipſa hæreat, ſed inſtrumẽtum, quo ipſius officia miniſtrantur. Poſtremi loci aſſumpti ex calce lib. 7. poſtnat. ſententia eſt elementa, materialeſque partes exiſtere, tametſi id, cuius ſunt, fuerit diſſolutum: Hoc autem ab Ariſtotele ſcribitur, vt hinc intelligatur, quòd ex multis fit vnum ſimpliciter, quo pacto ſyllaba fit ex literis, & mixtum ex elementis, id non eſſe elementa duntaxat, ſiue partes materiales, ſed præter has eſſe aliud quippiam: At verò minimè ſequitur, ſi elementa, & partes materiales exiſtunt compoſito diſſoluto, vt quæcunque poſt huius diſſolutionem manẽt, ea ſint elementa, parteſque materiales.

Alij loci diſcutiuntur, ex quibus nonnulli intellexerunt Ariſtotelem induxiſſe mentis noſtræ caducitatem.

Cap. XXXII.

PRæter locos explicatos alij in Ariſtotelis doctrina reperiuntur, qui, quòd his nonnulli ſunt vſi, vt docerent poſt hominis occaſum de ſententia Ariſtotelis animã, mentemque noſtram non ſupereſſe, non eſt, vt à nobis ſilentio prætermittuntur; Et primùm in lib 2. de anima 31. intellectiuum in ſe coercet poteſtate reliquas omnes animę partes; & in quibus mortalium ineſt ratio, his cætera cuncta ſunt à natura impertita: ergo noſtra mens, quæ idem eſt, quod ratio & intellectiuum, in ijs numeratur, quæ ſunt mortalia. Et cùm eadem hoc in loco nunquam ſit abſque ſenſitiuo, atque ſenſus corpori ęterno nullum commodum afferat lib. 3. de anima 61. quis non colligat mentem noſtram, quæ à ſenſu nunquam eſt diſſo-

diſſociata, non eſſe æternam? Etenim ſi ſenſus nullam præbet vtilitatem corpori æterno, multò minus ſeruiet mentis commoditatibus, ſi hæc inducatur æterna? Deinde in lib. de long.
„ & breuit. vitæ cap. 1. hæc habentur: Si anima haudquaquam
„ natura ſit, ſed vt ſcientia in anima, ſic & anima in corpore
„ ſit, erit nimirum ipſius quædam alia corruptio præter eam,
„ qua cùm corpus interit, corrumpi ſolet. Hæc perſpicuè ſignificant animam vna cum corpore interire. Præterea initio lib. phyſiognomicorum animæ ſequuntur corpora, vnaque cum corporibus patiuntur; & contra corpora compatiuntur animæ paſſionibus: ergo quis hinc non intelligat eam eſſe inter animam & corpus naturæ coniunctionem, vt vna oriãtur,
„ vnaque intereant? Verba Ariſtotelis ſunt hæc: Quòd & ani-
„ mæ ſequuntur corpora, & ipſæ ſecundum ſe ipſas non ſunt
„ impaſſibiles à motibus corporis, id manifeſtum eſt valde in
„ ebrietatibus, & ægritudinibus: multùm namque animę mu-
„ tatæ videntur à paſſionibus corporis: Et econtrario quòd
„ corpus compatitur paſſionibus animæ, manifeſtum circa
„ amores, & timores, & dolores, & voluptates. Amplius au-
„ tem & in ijs, quæ natura fiunt, magis vtique aliquis conſpi-
„ ciet, quòd corpus & anima ita ſe habent connaturalia, vt
„ fiant cauſſæ plurimarum paſſionum adinuicem. Et in cap. 7.
„ habentur hæc: Videntur autem mihi anima & corpus com-
„ pati adinuicem: & animæ habitus alteratus ſimul alterat
„ corporis formam, & iterum forma corporis alterata ſimul
„ alterat animæ habitum. Quoniam enim animæ ineſt triſtari
„ & lætari, manifeſtum eſt, quòd triſtes obſcuræ faciei, ſunt,
„ & gaudentes hilaris. Siquidem igitur anima diſſoluta for-
„ mam, quæ eſt in corpore, adhuc exiſtere contingeret, ſanè
„ anima & corpus non ita forent compatibilia, vt adinuicem
„ conferentia eſſent: nunc autem manifeſtum, quòd vtrumq;
„ ſeſe conſequitur. Maximè tamen id ex hoc manifeſtum fiat.
„ Mania enim videtur eſſe circa animam, & Medici medica-
„ mentis purgantes corpus, & victibus nonnullis vtentes, in
„ ipſis permutant animam à mania: curationibus autem cor-
„ poris ſimul & corporis forma ſoluitur, & anima à mania per-
„ mutatur; Quoniam igitur vtraque ſoluuntur, palam quòd

Z 2 ſibi

„ ſibi inuicem conferunt. Hæc Ariſtotelis verba ſint inania, temerèque ſcripta eſt neceſſe, niſi ipſe ſentiat mentem & animam noſtram ſequi corporis temperationem, & ex hac pendere: Atque iſtud quoque non obſcurè teſtatus eſt in probl. 4. ſect. 14. vbi cauſſam afferens, cur qui in nimio vel æſtu, vel frigore degunt, efferis & moribus & aſpectibus ſint, inquit optimam temperiem non corporis ſolùm, verùm etiam mentis homini prodeſſe, atque exceſſus omnes vt corporis, ita etiam mentis temperamentum peruertere. Cùm his conſentiunt ea, quibus in probl. 1. ſect. 30. affirmatur homines, qui Ingenio claruerunt, omnes fuiſſe melancholicos; nam ſi illi, qui mente vigent, ſunt melancholici, neceſſarium eſt mentem ſequi corporis temperationem, & ex hac exiſtere. Amplius in probl. 4. eiuſdem ſect. Ariſtoteles cauſſam exquirens, cur ſeniores amplius mente valeamus, & iuniores ocius diſcamus, hæc ſcribit;
„ Quia natura parens & author omnium inſtrumenta duo
„ nobis inſeruit, quorum opera inſtrumentis extraneis vti va-
„ leremus, manum inquam corpori dedit, animo mentem: eſt
„ enim mens quoque rebus à natura nobis impertitis annume-
„ randa vicem ſanè gerens inſtrumenti: Cæteræ omnes ſcien-
„ tiæ, arteſque noſtra opera ſunt, mentem ipſam, opus eſſe na-
„ turæ fatendum eſt. Vt igitur manu non iam inde ab ortu
„ naturæ vti poſſumus, ſed cùm eam natura abſoluit, perficit-
„ que (procedente namque ætate manus ſuum opus maximè
„ efficere poteſt) ita etiam mens, quæ res naturalis eſt, non
„ protinus, ſed in ſenectute maximè nobis contingit, atque
„ tunc potiſſimum conſumatur, atque abſoluitur, niſi detri-
„ mento aliquo lacera, læſaque ſit, quemadmodum cætera
„ quoque naturæ opera. Si igitur mens ab Ariſtotele inducitur, quæ lædatur, & laceretur, atque læſio & laceratio cadant in ſolas res caducas, & mortales, planè noſtra mens de ſententia Ariſtotelis erit fragilis & caduca. Demum in lib. de moribus, vbi maximè anima noſtra ab interitu vindicanda erat ea ſunt poſita, quæ ſine mortalitate non poſſunt conſtare; nam in lib. 1. cap. 11. poſterorum atque amicorum res aduerſę multò minus ad mortuos pertinent, quàm atrocia facinora, quæ in tragædijs imitatione exprimuntur, ad eos, qui illa ſunt

per-

perpeſſi. Et in lib. 3. cap. 6. omnium rerum nihil horribilius eſt morte, nam hæc omnium rerum eſt extremum, nihilque reliquum eſſe mortuo videtur, neque bonum, neque malum. Et cap. 9. mors & vulnera viro forti moleſta ſunt futura, & nolenti atque inuito accident, & quò magis omni virtute fuerit ornatus, eò magis ob mortem dolebit. Hæc cùm literis Ariſtoteles tradiderit, in eam videtur abijſſe opinionem, quæ ſtatuit mortem eſſe non vitæ commutationem, ſed interitum, quo omnia tolluntur, atque delentur. Hi loci tametſi nonnullis viſi fuerint non contemnendi, non eſt tamen, vt magni fiant, nam in lib. 2. de anima 31. mens & ratio nequaquam numerantur in ijs, quæ ſunt mortalia, ſed aſſeueratur mentem & rationem in ijs, quæ ſunt mortalia, nuuquam diſiungi à reliquis animæ partibus: atque huius ea eſt ratio, quia cùm mens animet corpus mortale, neceſſe eſt ipſam coniungi ijs animæ partibus, ſine quibus nequit fieri, vt corpus ſuam tueatur incolumitatem: Quamuis verò mens humana nunquam ſit ſine vi ſentiendi, non propterea colligendum eſt illam non eſſe æternam, quòd ex ſenſu nulla vtilitas perueniat ad corpus æternum lib. 3. de anima 61. quoniam alia eſt ratio corporis æterni, & alia noſtræ mentis, nam cùm ſenſus fuerit datus animalibus, vt eo miniſtrante noxia fugiantur, & commoda aſciſcantur, atque corpus æternum non habeat quippiam, à quo ſibi ſit fugiendum quippe cuius naturæ nihil eſt aduerſum, nec aliquod commodum ſibi ſit comparandum, cùm ſe ipſo contentum ſit, neque vllum bonorum ſuorum requirat, non eſt, vt ei ſenſus largiatur, ne ſi tribuatur, fruſtra impertiatur; at mens humana cùm ſit forma corporis caduci, cui multa ſunt ſalutaria, quibus caret, & multa inimica, quæ illi ſunt vitanda, atque in hoc corpore non poſſit fungi ſuo munere, niſi ſenſus ſuppetias ferat, neceſſe fuit eam & propter corpus, & propter ſe donari facultate ſentiendi. Quæ ſcripta ſunt in lib. de long. & breuit. vitæ, hæc planè ſignificant animam vna cum corpore diſſolui, verùm hæc anima eſt anima ſenſualis, qua animal eſt, & non anima rationalis, qua homo eſt: etenim cùm Ariſtoteles hoc in libro cauſſas perquirat longitudinis & breuitatis vitæ in animalibus, par eſt ipſum eam animam habere propoſitam, qua

ani-

animal eſt; hanc verò eſſe animam ſenſualem ipſe eſt teſtis in lib. 2. de gen. animal cap. 3. De hac igitur anima dubitat, ſitne in corpore, vt ſcientia in anima, an potius natura & forma corporis ſtatuitque eam eſſe naturam & formam corporis, quod hoc modo concludit. Cùm duæ ſint rationes, quibus accidentia intereunt, vna per accidens, qnando ſubiecto, in quo hærent, diſſoluto corrumpuntur; & altera per ſe, quando ſubiecto non corrupto vi contrarii accidentis deſtruuntur, planè ſi anima non fuerit natura & forma, qua animal eſt, ſed quemadmodum ſcientia eſt in anima, ſic & ipſa ſit in corpore, quod veteres illi omnes ſenſerunt, qui eam eſſe corporis harmoniam, vel qualitatem dixerunt, erit vtique ipſius alia intereundi ratio præter eam, qua interit corpore corrupto, poteritque non ſecus atque accidentia, interire corpore, in quo ineſt, ſaluo & integro manente extincta ab eo, quod eſt ipſius naturæ aduerſum: Hoc autem quia non cernitur, perpetuoque videmus anima intereunte corpus diſſolui, nec manere illud ipſum, quod antea erat, quàm anima interiret, concludendum eſt animam non ſic eſſe in corpore, vt ſcientia eſt in anima, ſed eſſe naturam & formam, qua animal eſt illud ipſum, quod eſt. Sequitur locus lib. phyſognomicorum, cui hunc in modum occurrimus: Cùm anima rationalis ſit forma corporis, non eſt, vt cuique ſit mirum, ſi corpus compatiatur motionibus animæ, & contra ſi anima mutatur ob corporis paſſiones: verùm cum anima afficitur corporis paſſionibus, non ſic afficitur, vt eius ſubſtantia lædatur, ſed in ſola functione offenditur, nam, vt dicebat Alexāder in lib. 2. probl. quæſt. 64. quemadmodum fidibus in cithara, & foraminibus in tibia rectè conſtitutis artifex optimè modulatur, malè autem diſpoſitis perperā agat, eſt neceſſe, cùm ipſe nulla in re ſit imminutus, eodem modo anima noſtra agit pro corporis conſtitutione, & cerebro per intemperiem deprauato anima rationalis nequit ſuo officio probè fungi, cùm tamen ipſa paſſione vacet, & permaneat immutabilis. Nec verò contemnenda eſt ars phyſiognomica, quoniam cùm homo non ſit ſola anima, quod Plato putauit, ſed ex corpore & anima conſtet, atque pro vt varia eſt corporis conſtitutio, ita varia ſit ad animi motiones propenſio, Phyſiogno-

ſiognomon ſcitè poteſt ex corporis conſtitutione pernoſcere hominum mores, qui tametſi plerunque ſit verus, quòd homines maiori ex parte agunt ea, ad quæ naturali propenſione feruntur, iiſque moribus informantur, qui conſentiunt cum innata temperatione, quandoque tamen fallitur, quòd ea eſt vis animæ noſtræ, vt obſiſtat iis, ad quæ rapimur corporis temperatione, quod Socrates, & alij viri præſtantiſſimi declararunt: ex quo intelligitur animam noſtram non ſic eſſe in corpore, vt ex eo pendeat, & ex eius temperatione exiſtat. Planè in corporis temperatione magnum eſt momentum ad perficiendas noſtræ mentis functiones, quòd hæ ſine opera imaginandi facultatis non poſſunt exerceri, cui facultati proximè ſeruit corporis temperatio, quo fit, vt labefacta temperatione mens in ſuis functionibus lædatur, verùm mens non habet vllam temperationem, ex qua exiſtat, neque temperamentum, quod in probl. 1. ſect. 14. tribuitur menti, huiuſmodi, ſed eſt illud corporis temperamentum, quod ſeruit menti ſuis officijs perfungenti, quod non ſecus peruertitur à nimio vel æſtu vel frigore, ac illud temperamentum, in quo poſita eſt ſalus, & incolumitas corporis. Cùm autem variæ ac multiplices ſint temperationes, ea, quæ eſt melancholica, maximè prodeſt menti; atque huius argumento eſt, quòd obſeruatum eſt homines, qui ingenio claruerunt, vel in ſtudijs philoſophiæ, vel in republica adminiſtranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis omnes fuiſſe melancholicos, vt ſcriptum eſt initio ſect. 30. probl. Quòd mens in probl. 4 ſectionis proximè recitatæ de trimẽto lædatur, & laceretur, hoc ita eſt accipiendum, vt mens non in ſubſtantia, ſed in muneris functione accipiat offenſionem, idque quo pacto contingat, abundè expoſitum eſt. Reſtant loci librorum de moribus, quorum primus magnopere eſt ambiguus, nam & ex hoc quidam exiſtimant poſſe intelligi animas noſtras manere corpore diſſoluto. Etenim cùm hoc in loco diſcutiendum proponatur, an poſterorum & amicorum res ſecundæ vel aduerſæ ad mortuos pertineant, hi, ne inanis ſit dubitatio, ſentiunt Ariſtotelem ponere animos noſtros poſt obitum ſupereſſe, atque hoc poſito ambigere, nunquid quæ proſpera vel aduerſa contingunt poſteris & amicis, ad hos per-

pertineant. Cæterùm hic locus neque mortalitati, neque immortalitati opitulatur, nam dubitatio eſt, ſi quis beatè traduxerit vitam, atque poſt obitum ipſius poſteri & amici incurrât in magnas miſerias, & calamitates, nunquid hæ poſterorum & amicorum calamitates ad ipſum ſic pertineant, vt poſſit exiſtimari his labefactari, & imminui eam fælicitatem, qua, cùm vitam ageret, fruebatur. Quapropter quoniam ad hanc dubitationem percipiendam & explicandam nihil conducit, ſiue maneant, ſiue non maneant animæ noſtræ corpore diſſoluto, non eſt, vt hinc colligatur animarum noſtrarum mortalitas, vel immortalitas. In lib. autem 3. eiuſdem operis cap. 6. mors maximè terribilis eſt, quia eſt vitæ noſtræ extremum, & poſt eam nihil boni, aut mali poteſt nobis contingere; nam licèt anima non intereat, homo tamen, qui ex corpore & anima conſtat, diſſoluitur, nec manet idem, quod antè erat. Quocirca mors viro forti debet eſſe moleſta, atque eò magis, quò virtute fuerit ornatior.

Conſiderantur, quæ à quibuſdam tradita ſunt, vt perſuaderent Ariſtotelem non approbaſſe mentis noſtræ immortalitatem.

Cap. XXXIII.

CVm loci, in quibus noſtrarum animarum parricidæ putant Ariſtotelem ſuæ impietati eſſe fautorem, noſtros animos nequaquam mittant ad interitum, non iniuria ſibi quiſpiam poterit perſuadere hos, ne ſoli viderentur noſtræ mentis parricidio contaminati, eodem ſcelere Ariſtotelem aſperſiſſe non intelligentes iniqui animi eſſe opinionem impiam adſcribere illi, in cuius ſcriptis nulla huius habetur ſignificatio. Nonnulli aduerſariorum non inuiti dant Ariſtotelem nullum apertum huius nefariæ opinionis moni-

men-

mentum in ijs, quæ mandauit literis, reliquiſſe, atque huius illud in cauſſa fuiſſe tradunt, quia verebatur, ne lueret pœnas in impiè ſentientes conſtitutas; propter quod quoque inquiunt ipſum ab Eurymedōte ſacerdote impietatis accuſatum Chalcidem aufugiſſe, neque paſſum eſſe, vt idem dicere ſolebat, Athenienſes in philoſophiam ſemel atque iterum peccare; hi enim Socratem ſimili crimine damnatum e medio ſuſtulerāt. Quòd autem Ariſtoteles animo imbiberit opinionem de animarum interitu, conantur perſuadere, primùm quia de animi immortalitate nihil memoriæ tradidit, cuius explicationem non neglexiſſet, cùm hanc Plato multis fuiſſet perſequutus: & vbi occaſio ſeſe obtulit de hac diſputandi aliquid, eam adhibuit dicendi formam, quæ eſt ambigentis, & non aſſeuerātis, vt liquet ex lib. 12. poſtnat. 17. vbi ſcriptum eſt nihil fortaſſe prohibere, quominus anima, nōn tota, ſed mens permaneat poſt corporis interitum, qua dicendi forma Ariſtoteles non eſſet vſus, niſi animas noſtras vna cum corpore interire crediſſet. Deinde quia Alexander in Ariſtotelis doctrina verſatiſſimus hanc opinionem inſequi ipſius decreta confirmauit. Poſtremò quia nihil ſenſibus poteſt accipi, quod fidem faciat animæ immortalitatis, & Ariſtoteli nihil eſt tribuendum, cuius ratio non ſit poſita in ijs, quæ ſenſu percipiuntur. Ne verò mirandum videatur alicui Ariſtotelem tam malè de noſtra anima ſenſiſſe ſcribunt animam noſtram ſua natura caducam eſſe, quòd quicquid eſt factum, id naturę legibus non poteſt non interire, verùm diuinitùs conſequutam eſſe immortalitatem; atque Ariſtotelem non ſecus de anima noſtra ſenſiſſe & ſcripſiſſe, ac ferat & poſtulet natura ipſius; quòd quæ cadūt in cōſiderationem, talia ab authoribus ſunt deſcribenda, qualia ſolent natura eſſe, qualiaque ſunt lib. 2. de cœlo 108. Itaque nos admonent duas veritates reperiri, quarum alteram natura magiſtra, ſenſibuſque ducibus inueſtigamus; alteram lumine naturali deſtituti, ac diuino ſupernaturalique ſplendore adiuti conſequimur; aſſeuerantque priorem in decretis Ariſtotelicis perpetuò contineri, poſteriorem verò deſiderari, quam in ſacris literis aperuit nobis veritatis author & largitor. Hæc omnia, antequam longiùs progrediamur, diligenter ſunt examinanda,

nanda, & ex æquo ac bono iudicanda. Primùm quòd dicitur Ariſtotelem ſuam peruerſam de animorum interitu opinionẽ multaſſe, ne ſubiret pœnas à legumlatoribus in impietatis authores conſtitutas, hoc veri non eſt ſimile, quoniam priſcis illis temporibus conceſſum erat philoſophis omnibus de quibuſq; rebus tam diuinis, quàm humanis animi ſui ſenſa explicare, id quod teſtantur Democritei, qui prouidentiam e mundo ſuſtulerunt, Epicurei, qui religionem pro nihilo habuerunt, animaſque noſtras morte mulctarunt, & Ariſtoteles ipſe, qui non eſt veritus ſcribere ſub exitum lib. 2. poſtna t. multa fabuloſa & puerilia à legumlatoribus fuiſſe excogitata, in quibus magis, quàm veritas, poteſt conſuetudo; & in lib. 12. eiuſdem operis 50. multa de Dijs fabuloſè tradita eſſe ad legum vſum & vitæ humanæ commoditatem. Equidem Ariſtoteles ab Eurymedonte in iudicium fuit vocatus, verùm non quia impias opiniones ſereret, ſed quia, vt tradit Diogenes in eius vita, hymnum in Hermeam feciſſet. De animorum autem immortalitate tametſi nulla ab Ariſtotele inſtituta fuerit diſputatio in ſcientia naturali, quia hæc nullum habet momentum ad percipiendam animæ ſubſtantiam, qua ex parte eſt forma & principium animalium, quo quidem modo conſideratur in libris de anima, multa tamen reliquit ſcripta, ex quibus intelligitur ipſum ab hac non abhorruiſſe. Et ſi liber de anima, quem ad Eudemum ſcripſit Ariſtoteles, iniuria temporis non fuiſſet abſumptus, hinc intelligerent aduerſarij hanc diſputationem non fuiſſe ab Ariſtotele neglectam, nam in hoc libro referente Plutarcho in conſolatione ad Apollonium præter alia multa ad animorum noſtrorum immortalitatem pertinentia ſcripſit animos eorum, qui hac vita ſunt defuncti, felices eſſe, ac beatos, quippe qui melioris iam, præſtantioriſque naturæ facti ſunt compotes; hocque ita vetuſta opinione firmatum eſſe, vt eius initium & author ignorentur, atque ab infinita vſq; æternitate hoc ita eſſe cenſeatur: & authore Themiſtio in paraphraſi lib. 3. de anima cap. 37. multa, variaque argumenta fuit complexus animos noſtros eſſe immortales concludentia. Atque his fortaſſe Hermias ab Ariſtotele eruditus, vt teſtatur Suidas in verbo Hermias, ſcripſit animum eſſe immortalem.

Neque

Neque Ariſtoteles in lib. 12. poſtnat. 17. de animi immortalitate ſic loquitur, vt ambigat, & nihil certò conſtituat, quod apertum erit huius loci ſententia patefacta, quæ eſt. Cùm Ariſtoteles inter formas & cauſſas effectrices illud diſcrimen conſtituiſſet, quòd hæ tempore prægrediuntur id, cuius ſunt cauſſæ, illæ verò ſimul ſunt cum hoc, nec vnquam antegrediũtur, figura enim æneæ pilæ, & ipſa ænea pila ſimul ſunt; continuò ſubiungit, ſi ex formis nonnullæ ſint, quæ poſteriùs permaneant, hoc eſt, quæ poſt ſubſtantiæ compoſitæ diſſolutionem maneant, conſiderandum eſſe; atque nulla interpoſita mora aggrediens hanc cõſiderationem ſtatuit nihil prohibere quaſdam formas manere, veluti animas, non quidem omnes, ſed mentes, nam vt omnes animæ permaneant, fieri fortaſſe non poteſt. Ex his conſtat Ariſtotelem ambigere quidem, an omnis anima poſſit manere poſt corporis diſſolutionem, cæterùm ſtatuere mentem permanere corpore diſſoluto; quod cùm Alexander intelligeret voluit apud Auerroem in huius loci commentariis Ariſtoteli hoc in loco propoſitam eſſe mẽtem non humanam, ſed diuinam, cui quoque in lib. 2. de gen. animal. cap. 3. tributum eſt extrinſecus accedere; atque ſenſum eſſe in quibuſdam formis nihil prohibere, quominus ipſarum aliquid maneat compoſito corpore diſſoluto, veluti in anima rationali, quæ eſt forma hominis, nam mentem, quę eſt aliquid huius animæ manere; quamque fieri non poſſit, vt tota anima & omnes animæ partes maneant, quòd alendi & ſentiendi virtutes vna cum corpore deleantur. Sed quicquid ſit de hac explicatione, certum eſt Ariſtotelem hoc in loco nõ ambigere, ſed ſtatuere mentem ſupereſſe corpori mortuo. Et quamuis Alexander in Ariſtotelis doctrina non mediocriter verſatus mentem humanam non interire ab Ariſtoteleis decretis abhorrere exiſtimauerit, & confirmauerit, hunc tamen oleum & operam perdidiſſe, quæ ſuo loco diſputabuntur, nõ obſcurè ſignificabunt. Nec præterea Alexandri authoritas tãti à nobis eſt facienda, vt pro rato habeamus, quod ab ipſo eſt definitum, noſtrumque iudicium deſinamus adhibere in iis, quæ ab ipſo fuerunt iudicata, nam præter Alexandrum viri quamplures ingenio & doctrina præſtantiſſimi in Ariſtotelica

doctrina interpretanda ſuam operam poſuerunt, qui ſenſerũt & docuerunt Ariſtotelem animas noſtras poſuiſſe immortales, & ne nunc ſingulorum nomina recenſeam, quod laborioſum eſſet, & non neceſſarium, vnius Theophraſti rationem habebo, qui ſummus fuit Ariſtotelis auditor, nec indignus fortaſſe, qui Alexandro anteponatur. Hic apud Priſcianum Lydum in com. lib. de ſenſu, phantaſia, & intellectu, & apud Themiſtium in paraphraſi lib. 3. de anima dum tractat locos de noſtra mente ab Ariſtotele antè tractatos, perſpicuè agnoſcit noſtræ mentis immortalitatem. Cùm inquiunt aduerſarii nihil ſenſibus accipi poſſe, quod teſtatur animas noſtras corporibus ſupereſſe, hi pro nugis videntur habere noſtrarum animarum viſiones à Plinio in lib. 7. epiſt. ad Suram, & ab aliis memoriæ traditas: Verùm ſi quæ in hanc ſententiam viri non ineruditi Petrus leloyerius in lib. de ſpectris, Petrus Thyræus in lib. de apparitionibus ſpirituum, & Martinus Delrio in lib. 2. Magicarum diſquiſitionum conſcripſerunt, cognita haberent, planè has viſiones non eſſe contemnendas putarent. Præterea ſi datum quoque fuerit ex ijs, quæ ſenſibus accipiuntur, non poſſe ſumi argumentum ad confirmandam noſtræ mentis immortalitatem, an propterea exiſtimandum eſt hanc fuiſſe ab Ariſtotele repudiatam, qui in ſcientia de natura multa, quorum nullum habemus ſenſum, eſt amplexatus? Sed hi æquo animo excutiant ea, quæ ſupra ſunt à nobis diſputata, & ſi in omnibus noluerint aliquid ſuæ operæ ponere, diligenter expendant hoc, quod eſt mentem ad ſuum munus obeundum nulla vti corporis parte tanquam inſtrumento, quod nemo non dat Ariſtotelicum eſſe, nam hinc omni remota dubitatione intelligent mentem noſtram non pendere ex corpore, & quod ſequitur hoc deſtructo illam non interire. Huius firmitatem cùm nonnulli non ignorarent, ne ab interitu mentem noſtram vendicarent, cum Galeno putarunt hanc non ſine aliqua corporis parte, quæ ſeruiat tanquam inſtrumentum, in ſuo munere verſari, qui perſpicuè falſi ſunt, & ab Ariſtotele diſcordes. Quòd ſi dixerint aduerſarij Ariſtotelem in lib. 1. de anima 13. ſtatuere animam non poſſe à corpore ſeparari, ſi nullum habuerit opus proprium, & vt opus dicatur animæ

pro-

proprium velle id ſic fieri, vt in eo exercendo corpus nullam prębeat vtilitatem, qua e re cùm intelligere, quod eſt opus noſtræ mentis, nunquam miniſtretur ſine phantaſmatis in corpore hærentibus, nulla ratione fieri poſſe, vt noſtra mens ad Ariſtotelis ſententiam diſiungatur à corpore, tametſi nulla vtatur corporis parte tanquam inſtrumento; ſi inquam hoc dixerint, ipſos monebo me hàc de re habiturum eſſe diſputationem in conſideratione Alexandri argumentorum, in qua operam dabo, vt apertè demonſtrem ex hoc Ariſtotelis loco nihil colligi, quod officiat animæ mentiſque noſtræ immortalitati. Cùm præterea aſſeuerant noſtram animam ſua natura caducam eſſe, & Dei conceſſu conſequi immortalitatem, in Ariſtotelem & in veritatem grauiſſimè peccant, etenim ab Ariſtotele cùm multis in locis lib. philoſophiæ naturalis, tum in lib. 1. Ethic. ad Nicomachum cap. 9. fuimus admoniti, quod eſt melius, ſi poteſt eſſe, id ſemper in rerum natura ponendum eſſe; quocirca cùm ea ſit vis Dei præpotentis, vt poſſit animas noſtras procreare ſua natura immortales; atque quod manet ſeculis ſempiternis, id melius ſit innatam habere immortalitatem, quàm hanc illi ſua natura caduco extrinſecus accedere, profectò ſi animæ noſtræ ſunt immortales, hæ ſua natura de ſententia Ariſtotelis erunt huiuſmodi, & non Dei conceſſione. Accedit ſub exitum lib. 1. de cœlo fuiſſe monſtratum quod eſt ſua natura caducum, id opera alterius non poſſe exuere ſuã caducitatem. Et ſi anima menſque noſtra ſua vi per ſe ſubſiſtit, neque ex materia pendet, quis non ſentiat hanc ſua natura nõ eſſe interitus capacem? Quicunque igitur ſtatuunt animam noſtram ſua natura eſſe diſſolubilẽ, & Dei munere nunquam diſſolui, hi turpiſſimè falluntur, e quorum numero cùm videatur eſſe Auguſtinus Steuchus in lib. 9. de perenni philoſophia cap. 26. hic falſa ducitur opinione, neque intelligit nos ſentire animam noſtram eſſe ſua natura immortalem, iubere Concilium Lateranenſe ſub Leone Decimo ſeſſ. 8. Quòd denique attinet ad id, cuius nos admonent aduerſarij, hoc arbitror non eſſe ferendum, tum quia veritas, quæ ſimplex vnaque eſt, in multas perperam dilaceratur; tum etiam quoniam veritas, qua Deus ſacras literas referſit, non eſt illius modi, vt deſtruatur

tur ab illa, quam naturæ & ſenſuum beneficio nobis comparamus, cùm nulla reperiatur inter veritatis diſcordia, vt his præclarè teſtatus eſt Boethius in lib. 5. de conſolatione philoſophiæ metro 4.

,, *An nulla eſt diſcordia veris,*
,, *Semperque ſibi certa cohærent?*
,, *Sed mens cæcis obruta membris*
,, *Nequit oppreſſi luminis igne*
,, *Rerum tenues noſcere nexus.*

Equidem non diffiteor Ariſtotelem de recta veritatis via quãdoque deflexiſſe, nam cùm homo fuerit, cuius eſt quandoque per errorem labi, atque in cæca ſuæ ætatis nocte conſtitutus diuino ſacrarum literarum lumine caruerit, quo qui non eſt illuſtratus vix aut ne vix quidem poteſt ſibi veritatem polliceri multarum præclariſſimarum rerum à noſtris ſenſibus longè poſitarum, cum ratione facit in ijs, quorum ſenſum non habemus, aliquando ei mentis oculum cæcutiſſe; verùm nequit fieri, vt mihi perſuadeam ipſum ſic ægram habuiſſe mentem, vt malè ſenſerit de animi noſtri immortalitate, cuius clariſſima habentur argumenta ab eo minimè ignorata, & in qua aſſerenda mirabiliter conſpirauit præſtantiſſimorum cuiuſque ætatis virorum conſenſus, quem non eſſe contemnendum in lib. 1. Ethic. ad Nicom. & alijs in locis ab eo non obſcurè fuit ſignificatum.

Non

Non ea eſt vis perfectiſſimæ temperationis, vt ex hac poſſit anima humana exiſtere.

Cap. XXXIV.

LOcos omnes expoſuimus, in quibus Ariſtoteles poteſt videri noſtris animis eripuiſſe immortalitatem, nunc argumenta conſiderabimus, quibus Alexander & Alexandrei ſibi perſuaſerunt, & alijs perſuadere conati ſunt Ariſtotelem animo admiſiſſe opinionem de noſtrarum animarum interitu, atque ab Alexandro primùm naſcatur exordium. Hic, ne ſua opinio videretur abſurda, docuit eam eſſe vim perfectiſſimæ temperationis, vt hanc inſequi poſſit anima rationalis formarum præſtantiſſima: atque hoc valde probabile eſſe huius ſectatores perſuaſerunt, tum quia anima noſtra, vt in materia, quam informat, incolumis ſeruetur, certam ac definitam requirit primarum qualitatum temperationem; hacque immutata iacturam facit ſuæ incolumitatis, tandemque labitur in interitum, tum etiam quoniam cernere eſt pro varia corporis temperatione varias in nobis fieri animæ commotiones, & pro temperationis modo intenſiùs, ac remiſſiùs excitari; ex quo fit, vt homines nonnulli nec iracundia commoueantur, neque metu tententur, quamuis cauſſæ alioquin magnæ & non obſcuræ his accidant & iraſcendi & metuendi; alij e diuerſo ob cauſſam minimè grauem vehementer excandeſcant, atque nulla re metuenda extrinſecus ingruente exanimentur: nam qui ea corporis temperatione ſunt affecti, vt torpentem refrigeratumque ſanguinem habeant circa cor, his licèt graues magnique caſus accidant iraſcendi, ipſi tamen nihil aut parum ira incenduntur; contra qui à natura obtinuerunt ſanguinem feruentem circa cor, hi leuiſſimam ob cauſſam ira concitantur. Et ne mirum videatur animam præſtantiſſimam exiſtere ex temperatione huiuſce craſſi corporis, & ex quatuor elementis compoſiti, cum Alexandro in lib. 1. de anima cap. 3. iuſſerunt nos diligenter intueri humani corporis fa-

ris fabricam,& egregiam conſtitutionem, attentoque animo contemplari ſingula, quæ in eo ſunt vel intus operta, vel extra noſtris oculis expoſita, nam poſt hanc contemplationem non amplius nobis videbitur admirabile, maiuſque noſtra opinione animam humanam tot motionum principia in ſe continentem fluere ex temperatione huius corporis, quod tam mirificè, tamque concinnè conſtructum eſt, ac tot inſtrumentis ad vitam, ad motum, & ad cognitionem conducentibus mirabiliter exornatum. Adiunxerunt tametſi in anima noſtra appareat aliquod diuinitatis veſtigium, quippe quæ particeps mentis non leuem gerit mentium diuinarum ſimilitudinem, attamen quæ in ipſa ſunt fragilitatis inditia eſſe valdè multa, iiſque multò clariora, quæ ſtant à diuinitate; qua e re ſi ex proprietatibus faciendum eſt iudicium de rei natura, neminem non daturum naturam animæ rationalis huiuſmodi eſſe, quæ exiſtat ex perfectiſſima primarum qualitatum temperatione. Quæ in anima noſtra teſtantur caducitatem eſſe multò plura iis, quæ ſignificant diuinitatem, inde intellexerunt, quòd alendi & ſentiendi facultatum opera longè ſuperant vnicum mentis opus; atque ex illis, quæ non ſine corporis miniſterio perficiuntur, mortalitatis argumentum ſumitur, & ex hoc, quod reſpuit corpus tanquam ſubiectum & inſtrumentum, in quo & quo abſoluatur, contrarii ſignificatio. Eadem nutriendi ac ſentiendi virtutum opera ita apertè, ita perfectè in nobis eluceat, vt ſint multò euidentiora mentis opera, & perfectiora iis, quæ in multis cernuntur animantibus ratione carentibus; & verò mentis opus & in quibuſdam hominibus, qui minime pauci ſunt, ita obſcurum eſt, vt hi mentem non videantur habere, & in iis, in quibus maximè viget, longè diſcrepat, valdeque remotum eſt ab illo, quod eſt diuinæ mentis proprium, quandoquidem huius intelligentia eſt vniuſmodi, ſimplex, perpetua, abſque ratiocinatione, & non per ſpecies, ſed per eſſentiam exercita; mentis humanæ verò intelligentia eſt varia, multiplex, interrupta, ratiocinationi coniuncta, & non ſine ſpeciebus ex corporeis phantaſmatis pendentibus; quo fit, vt ſi hæ duæ intelligentiæ comparentur inter ſe, in his maior ſit diſſimilitudo, quam ſimilitudo. His nullum eſt momentum ad

per-

perſuadendum noſtram mentem exiſtere ex perfectiſſima primarum qualitatum temperatione: Etenim ex hac quod oritur, per id homo nulla poteſt ratione aſſueſieri ijs, quæ ſunt temperationi aduerſa, atque eam functionem ex ſe fundare, quæ nulla corporis parte tanquam inſtrumento miniſtrante perficitur: quapropter quoniam homo per animam rationis compotem eos ſibi mores induit, qui ſunt ijs aduerſi, ad quos rapit innata temperatio, fungiturque intelligentia munere, cui nulla ſeruit corporis pars tanquam inſtrumētum, hæc nullo pacto poteſt oriri ex primarum qualitatum temperatione, tametſi hæc ſummum teneat locum perfectionis. Et quamuis anima noſtra vt ſit in corpore, hocque animet & informet, certam poſtulet primarum qualitatum temperationem, attamen vt ſimpliciter ſit, ac conſtet in rerum natura, nullis qualitatibus indiget, ſed propria vi ſeſe ſuſtentans nullis qualitatibus nititur. Et licèt præterea pro varia corporis temperatione variæ cernantur animæ commotiones, inde tamen id exiſtit, non quia anima noſtra ſequatur corporis temperationem, ſed quoniam eſt humani corporis forma, huiuſque corporis temperatio magnum habet momentum ad eius functiones perficiendas; ex quo in lib. 2 de anima 94. ſcriptum eſt duros carne eſſe ineptos mente, molles autem benè aptos. Sanè in noſtra anima multò plura, multòque euidentiora ſunt ea, quæ ſtant à caducitate, quàm quę faciunt pro diuinitate, attamen ſtatuendum eſt eam habere naturam immortalem, tum quia quæ fidem faciunt diuinitatis, in eius natura magis poſita ſunt, eique magis cognata; tum etiam quoniam cùm ea, quę ſunt, bipartitò diuidantur, aliaque ſint caduca, & alia diuina; atque quæ ſunt diuinorum, ea in caduci virtute non poſſint contineri, quia quod eſt magis præſtabile, id non eſt poſitum in virtute illius, quod eſt minus præſtabile, planè cùm in virtute animæ noſtræ contineantur ea, quæ ſunt mentium diuinarum, hæc prorſus erit in numero diuinorum, & non in ijs, quæ ſunt caduci generis. Sed & hæc pondus non habere argumento eſſe poſſunt, quæ in animalium genere ſunt infimæ dignitatis, veluti conchilia & oſtrea, nam licèt in his, quæ ſtirpium ſunt, ea & multò plura, & multò certiora ſint ijs, quæ in perfectis ani-

malibus conſpiciuntur, attamen non in ſtirpibus, ſed in animalibus numerantur, & animalia ab omnibus exiſtimantur. Nec quicquam facit, quòd hominis intelligentia ſit in quibuſdam hominibus obſcuriſſima, atq; à diuinarum mentium intelligentia longè ac multùm ſuperetur, nam in genere diuinorum vltimus locus eſt datus animæ noſtræ; quocirca vt ſenſus in infimæ notæ animalibus ita latet, vt ſine ſenſu eſſe videātur, ita vis intelligendi in hominibus non benè eminet, & in quibuſdam ita eſt obſcurata, vt ſine mente poſſint exiſtimari, non quidem quia mentis natura ſit lacerata, ſed aut vitio corporis, cui mens eſt copulata; aut quia non eſt par omnium mentium humanarum dignitas: Etenim cùm ſummus animarum noſtrarum opifex eo conſilio has procreet, vt ad corpora humana, quorum ſunt formæ, accommodentur, par eſt aliam ad aliud corpus eſſe accommodatum, & vt humana corpora nobilitate inter ſe differunt ob temperationem magis minùsve prēſtabilem, ita & animas ipſas, quamuis omnium vna eademque ſit ſpecies, inter ſe differre, aliaſque alijs eſſe magis minuſque præſtantes: atque iſtud Alberto Magno, alijſque grauiſſimis viris fuit probatum, & ab eodem D. Thomam non abhorruiſſe Capreolus, Caietanus, & Ferrarienſis clari in eius familia viri ſenſerunt, atque docuerunt. Quòd ſi hoc ita ſe habet, non erit abſurdum aſſeuerare mētem ſequi corporis humani temperationem, non quidem quia ex materia certis qualitatibus inter ſe temperatis affecta educatur, ſed quoniam procreatur eam habens naturam quæ eſt ad corporis, quod informat, & animat, temperationem accommodata. Plerique Auerrois ſectatorum vt ſeſe expediant ab hoc argumento, quo conficitur animam ſequi corporis temperationem, quoniam ex varia corporis temperatione exiſtunt variæ animæ commotiones, dixerunt has commotiones animæ ſenſualis eſſe, & propterea hoc argumento duntaxat colligi animam ſenſualem ſequi corporis temperationem; atqui cùm hæc anima in nobis longè ſit diuerſa ab anima rationali, nō ſequi, vt anima rationalis oriatur ex corporis humani temperatione: Verùm hi ex hoc argumento non rectè ſeſe expediunt, quoniam in homine anima rationalis non eſt re ipſa ab anima ſenſuali diuerſa, quod ne

cuiquam

cuiquam veſtrum ſit dubium, cùm id eſſe improbabile, & ab Ariſtotelis doctrina alienum exiſtimauerint Nobilius, Zabarella, Piccolomineus, & alij non ignobiles Peripatetici, vitio dandum non erit, ſi hæc quæſtio non fuerit hoc in loco prætererita.

Opinio illorum, qui putant in homine animum ſenſualem re diuerſam eſſe ab anima intellectuali.

Cap. XXXV.

IN homine nunquid anima ſentiens re ipſa atque ſubſtãtia ſit ab anima intelligente diſiuncta, quæſtio eſt, in cuius explicatione præclariſſimi Peripatetici in contrarias ſententias diſtrahuntur. Themiſtius, Philoponus, & Auerroes ſentientes mentem, quæ in nobis eſt principium intelligendi, nulla mortis fata excipere, & animam ſentientem naſci ac interire, alteram ab altera re ac ſubſtantia ſeiunxerũt, eo tamen pacto vt ex vtriſque vna iunctis vna forma, vnaque anima componatur hominis propria; cuius compoſitionis & mixtionis Philoponus in com. lib. 1. de anima argumento eſſe putauit, quòd humanum corpus ita eſt figuratum, vt habile ſit & aptum, quod formetur ab anima, quæ partim eſt æterna, & partim caduca: Etenim cùm huius duæ ſint partes, vna ſuperior, & altera inferior, illa, quæ princeps eſt, & caput appellatur, in figuram globoſam fuit formata, quæ, quòd fine ac principio careat, eſt naturæ immortalis propria; hæc, quæ reliquas corporis partem cõtinet, rectam figuram obtinuit, quæ, quòd initium & finem ſit conſequuta, iis, quæ oriuntur & occidunt, eſt peculiariter tributa. Eandem animæ noſtræ compoſitionẽ, animamque ſentientem in nobis reapſe diſtingui ab anima intelligente alii, quibus hoc decretum fuit probatum, his argumentis confirmant. Si homo eidem animæ acceptum fer-

ret,quòd eſſet homo & animal,quod eueniat oportet,ſi anima ſenſualis non fuerit in homine re & ſubſtantia ab anima rationali diuerſa, quicquid homini in eo, quòd eſt homo, tribueretur, eidem in eo, quòd eſt animal, impertiretur; quare cùm homini,qua ex parte homo eſt, fuerint à natura datæ facultates ridendi,diſcendi,& intelligendi, homo ſanè, qua ex parte animal eſt,capax eſſet diſciplinæ,riſus, ac intelligentiæ: atqui quod eſt in homine,vt animal eſt,id cunctis animalibus eſt cõceſſum. omnia igitur animalia fuiſſent à natura donata facultatibus ridendi, diſcendi, & intelligendi, quo nihil eſt magis abhorrens à veritate. Præterea functionum diuerſarum principia ſunt diuerſa:functiones animæ ſenſualis, & animæ intellectualis maximè inter ſe differunt,& quodam modo ſunt oppoſitæ, quandoquidem animæ ſenſualis functio in rebus ſingularibus vertitur, & fnnctio animæ intellectualis in rebus vniuerſis; ergo hæ animæ in nobis ſunt magnopere diuerſæ. Rurſus forma ſimplex non tribuit niſi vnicum eſſe: ergo quoniam homo,quòd ſit homo,per animam intelligentem conſequitur, fieri nullo poteſt modo, vt per eandem, quòd ſit animal, conſequatur: ergo anima ſentiens, cui quicquid eſt animal, quòd ſit animal, acceptum fert, re ipſa eſt diuerſa ab anima intelligente. Adhæc cùm brutæ animantes,quòd ſint animalia, per animam ſenſualem obtineant, profectò ſi homo, quòd ſit animal, ab anima intelligente acciperet, conficitur, vt animal non dicatur vniuocè de homine & brutis animantibus;quod pugnat cum communi omnium perſuaſione. Poſtremò appetitus ſenſualis reapſe diſtinguitur ab intellectuali appetitu, cui nomen eſt voluntas: ergo anima ſentiens re ipſa diſtinguitur ab anima intelligente. Conſequutio probatur, quia vis appetendi nihil aliud eſt, quàm vis cognoſcens in id propendens, quod illi, cuius eſt,bonum eſſe iudicauit. Aſſumptum confirmat pugna,quæ in hominibus continentibus, & incontinentibus inter hos appetitus cernitur; atque hanc quidem pugnam Plutarchus in lib. de morum virtute,& Galenus in lib. 5. de Platonis & Hippocratis decretis magnum momẽtum habere arbitrantur ad perſuadẽdum eam animi partem, quæ eſt rationis expers, re ipſa differre ab illa, cui ratio eſt à

natu-

natura impertita. His argumentis quatuor loci Ariſtotelici poſſunt adiungi, quorum primus eſt ſub exitum lib. 2. de anima, vbi ſcriptum eſt homines nonnunquam agere per imaginationem, quòd mens morbo facta ſit inualida: Et verò nemo non dabit ea inter ſe natura & ſubſtantia differre, quorum vnum manet incolume altero offenſionem accipiente. Alter poſitus eſt in lib. 2. de gen. animal. cap. 3. in quo fœtus in vtero primùm formatur anima ſenſuali, tum verò ac tempore procedente anima rationali; non enim ſimul fit animal & homo. Atque cum hoc loco tertius conſentit, qui in lib. 7. polit. cap. 15. continetur, vbi ſcriptum eſt, cùm duæ ſint animæ partes, altera, quæ rationis eſt expers, & altera, quæ huius particeps eſt, vt corporis ortus prior eſt, quàm animæ, ita eam partem, quæ non vtitur ratione, antiquiorem eſſe ea, quæ vtitur: Verùm quæ temporibus diuerſis oriuntur, quorumve vnum naſcitur, cùm alterum iam ſit ortũ, & vnum altero eſt antiquius, nemo non fatebitur naturas habere diuerſas; ergo anima rationalis in nobis re ipſa diſtinguitur ab anima ſenſuali. Quartus & poſtremus occupat calcem lib. 1. Ethic. ad Nicom. in quo Ariſtoteles animam rationis participem diſtribuit in eã, quæ eſt huiuſmodi, quoniam habet inſitam rationem, & in eam, quæ, quòd ſit apta & nata rationem audire, & huic obtemperare, dicitur rationis particeps: atqui fieri nullo modo poteſt, vt vna eademque anima habeat rationem inſitam, & non inſitam: ergo exiſtimandum eſt animam, cui ratio inſita eſt, re ipſa differre ab anima, cui eatenus tribuitur ratio, quatenus huic obtemperat: hanc verò eſſe animam ſenſualem, & illam animam intellectualem tam certum eſt, quàm quod maximè. Hæc pleroſque in Ariſtotelia doctrina verſatos induxerunt, vt tribuerent Ariſtoteli, quòd voluerit animam intellectualem in homine differre ab anima ſenſuali, atque in hoc conuenerit aliquo pacto cum Platone, qui in lib. 4. de Rep. cùm cerneret animi partes inter ſe pugnare, aliamque aſpernari id, quod alia conſectatur, his naturas ſubſtantiaſque diuerſas attribuit: eaſdemque in Timæo ſedibus diſcluſit, & à cauſſis diuerſis procreari voluit: nam cùm harum partium altera ſit immortalis, & altera caduca, ne illius diuinitas & immor-

mor-

mortalitas huius impuritate ac mortalitate coinquinaretur; partem immortali initio præditam in capite poſuit, & caducum animæ genus in pectore collocauit, illiuſque procreationi Deum ſummum rerum opificem præfecit, & huius authores conſtituit Deos inferiores, globoſque cœleſtes, quibus à Deo opifice hæc cura fuit mandata, quia indignum eſt, vt inquit Plutarchus in lib. de animæ procreatione, ipſum verſari in productione illius animæ partis, quæ inſitam habet malè portionem, quæque perturbationum contra rationem exultantium continet fontem & originem. Atque hanc rationem Chalcidius quoque fuit amplexatus in com. in Tim. & in eandem ſententiam Philo in lib. de mundi opificio fuit illud in-
„ terpretatus; Faciamus hominem ad imaginem noſtram, cu-
„ ius verba ſunt hæc: Dicat aliquis, nunquid opus eſt quopiam
„ ei, cui obediunt omnia? an cùm cœlum faceret, terram, &
„ maria, nullo agebat cooperatore, hominem verò tam par-
„ uum animal, ac fragile facturus non poterat abſque alieno
„ adiutorio ſuiſmet ipſe viribus effingere? Huius rei cauſſam
„ veriſſimam neceſſe eſt Deum ſolum ſcire, cætero quæ per
„ coniecturas credibiles videtur rationi conſentanea, non eſt
„ cælanda; eſt autem hæc: Rerum, quæ ſunt in natura, aliæ nec
„ virtutis, nec vitij participes cenſentur, vt ſtirpes & bruta, il-
„ læ, quia inanimæ, & ſuapte natura imaginationis expertes;
„ hæc quia carent mente, ac ratione; Vitij verò ac virtutis tã-
„ quam domicilium videtur mens, & ratio, in quibus com-
„ modè inhabitent: Aliæ item ſola virtute præditæ nihil om-
„ nino habent vitij, vt ſtellæ, nam hæ animalia eſſe dicuntur,
„ & quidem intelligentia, vel potius mentes ſingulares, totæ
„ probæ, nec vllius capaces vitij: Rurſum aliæ miſtæ ex vtra-
„ que natura, vt homo, qui contrariorum eſt capax, prudentiæ
„ & imprudentiæ, temperantiæ & intemperantiæ, fortitudi-
„ nis & timiditatis, iuſtitiæ & iniuſtitiæ, & vt compendio di-
„ cam, boni & mali, turpis & honeſti, virtutis & vitij: Ergo
„ conueniebat, vt vniuerſalis ille pater Deus bona quidem per
„ ſe ipſum ſolum faceret, quippe ſibi cognata, ſicut nec indif-
„ ferentium creatio fuit aliena ab eo, quandoquidem hęc quo-
„ que expertia ſunt vitij Deo inimici: Cæterùm miſtorum

crea-

„ creatio partim erat ei propria, partim impropria, propria
„ propter admiſtam eis meliorem ideam, impropria verò pro-
„ pter contrariam & deteriorem: Quamobrem de ſola homi-
„ nis generatione ſcriptum eſt: Dixit Deus, faciamus homi-
„ nem; quod indicat aſſumptos alios tanquam cooperatores,
„ vt irreprehenſibiles tam voluntates, quàm actiones hominis
„ rectè ſe gerentis acceptum ferantur Deo rectori omnium,
„ contrariæ verò aliis ipſi ſubditis. Oportebat enim patrem
„ non eſſe cauſſam malorum ſuis filiis, malum autem eſt vitiū,
vitioſæque actiones: Atque hæc ſunt Philonis, qui præterea in lib. Quòd deterius potiori inſidietur, intelligens ex Leuitico cap. 17. omnis carnis animam in ſanguine eſſe; atque ex Deuteronomio cap. 12. cauendum eſſe, ne ſanguis comedatur, quoniam ſanguis pro anima eſt, & anima non eſt cum carnibus comedenda, putauit animam eſſe ſanguinem, quod quoque ex philoſophis credidit Critias; quoniam verò in cap. 2. Gen. dictum eſt Deum inſpiraſſe in hominis faciem ſpiraculum vitæ, quod eſt anima, qua homo viuit, à Deo inſpirata, vt hos locos inter ſe componeret, ſtatuit in homine duas animas reperiri, alteram carnis, per quam homo animal eſt, ac ſentit; & alteram hominis, qua homo eſt homo ac intelligit, atque hanc eſſe illud ſpiraculum incorporeum, ſeparabile, & æternum, ob idque Moyſem dicere inſpiratum eſſe in faciem, quòd id non ſit per totum corpus diſperſum, vt ſanguis, ſed ſublimem corporis partem teneat, quo ſuperna cœleſtiaque contempletur. Sed Philonem valere iubeamus, quem in his a vero multùm aberrare ſacrarum literarum interpretes præclarè demonſtrant, noſque ad noſtrum munus, penoſumque reuocemus.

In

In homine ſeparare animam ſenſualem ab anima intellectuali eſt improbabile.

Cap. XXXVI.

HAec opinio, quæ in homine ſeparat animam ſenſualem ab anima intellectuali, in Ariſtotelis ſchola eſt improbabilis, atque huius id primùm fidem facit, quòd Ariſtoteles in lib. 1. de anima oſtendit mentem nõ ſeneſcere, quoniam ſi ſenex acciperet, iuuenis oculum, non ſecus ac iuuenis videret: at verò id non habebit pondus, niſi anima intelligens ſit idem, quod ſentiens. Rurſus in lib. 2. de anima poſtquam monſtrauit ſenſum, & vim loco mouendi in nobis ſedibus non diſiungi, in tex. 22. ſtatuit vim ſentiendi, vimque opinandi non eſſe ſeparabiles, quamquam ratione ſint diuerſæ, quòd aliud eſt ſenſu percipere, & aliud opinari: Ergo ſi Ariſtoteles putat facultates ſentiendi & opinandi non ſubſtantia, ſed ratione ſolùm eſſe diuerſas, putet quoque eſt neceſſe eam animæ partem, quæ innatam habet rationem, ab altera, quæ ratione caret, non re, ſed ratione duntaxat diuerſam eſſe; nam opinio eſt illi animæ parti coniuncta, quæ ratione vtitur, quod & omnes Græci interpretes ſentiunt, & non obſcurè ſignificat Ariſtoteles, dum in tex. 157. eiuſdem lib. e beſtiis tollit opinionem, propterea quòd fides ſemper hanc ſequitur, & fidem perſuaſio, quam ratio parit: & in lib. 6. Ethic. cap 5. aſſeuerat prudentiam eſſe virtutem illius animæ partis, quæ ad opinandum valet, atque hanc eſſe rationis participem. Cæterùm hoc loco tametſi viri præſtantiſſimi vtantur ad id, de quo agitur, perſuadendum, in eo tamen parum eſt præſidii, quòd hinc tantùm intelligitur in noſtro corpore ſenſum & mentem locis & ſubiecto non diſtingui: Atque hoc ſi aduerſariorum nõnulli animaduertiſſent, eis opus nequaquam fuiſſet opinionem diſtinguere in eam, quæ eſt ſenſus, & in eam, quæ eſt mentis, (quam diſtributionem inquiunt ſe intellexiſſe ex Ariſtotele in lib. 3. de anima 57.) atque aſſeuerare opinionem,

nem, quæ ſenſum comitatur, Ariſtoteli hoc in loco lib. 2. de anima propoſitam eſſe; qua in re his non eſt credendum, quoniam Ariſtoteles dum in hoc loco ſcribit præter mentem & contemplandi facultatem cæteras animi partes, ratione duntaxat inter ſe differre, nam ſenſitiui rationem eſſe diuerſam à ratione opinatiui, eas animæ partes habet propoſitas, quas paulò ſupra memorauit inquiens animam definiri vegetatiuo, ſenſitiuo, intellectiuo, & motiuo: atqui hoc in loco ſenſitiui vocabulo complexus eſt omnes facultates ſentientes; ergo & cùm affirmat ſenſitiuum & opinatiuum ratione inter ſe differre, ſenſitiui vocabulo eaſdem omnes amplectitur facultates: quod ſi ita eſt, ſanè opinio, cuius hoc in loco fit mentio, ſenſum minimè comitabitur. Adiungendum eſt, cùm Ariſtoteles ad calcem lib. 2. de anima ſic loquatur de opinione, vt ſtatuat hanc nũquam eſſe diuulſam à fide, & hanc comitari rationem, conſentaneum eſſe ipſum ſentire quamcunque opinionem ad animam rationis compotem pertinere. Neque huius diuerſitas intelligitur ex loco recitato lib. 3. de anima 57. cuius ſententia ſi probe teneatur, perſpicuum erit vnicam eſſe opinionem, quæ ſemper inſequitur rationem. Hoc in loco cùm Ariſtoteles imaginationem diſtribuiſſet in ſenſualem, & conſultatricem, (nam vt mentis nomen tam latè patet, vt nonnunquã ad imaginationem dilatetur, quod liquet ex tex. 48. eiuſdem libri ita par eſt vocabulum imaginationis mentem quandoque ſignificare,) ſtatuit imaginationem ſenſualem communem eſſe omnibus animantibus, conſultatricem verò iis duntaxat, quæ ratione vtuntur; atque huius hanc rationem affert, quia conſultare, vtrum hoc, an illud agendum ſit, munus eſt facultatis ratiocinatricis. His expoſitis hæc ſubiungit: Et hæc „ cauſſa eſt, quòd opinionem non videtur habere, quia eam, „ quæ eſt ex ratiocinatione, non habet, ipſa autem illam: quorum verborum ſententia eſt hinc intelligi cauſſam, cur opinio non ſit copulata imaginationi ſenſuali, & coniuncta ſit imaginationi conſultatrici, nam opinio ſocia ſeſe adiungit ratiocinationi, cuius expers eſt imaginatio, quæ ad ſenſum pertinet, & compos eſt altera imaginatio vi conſultandi prædita. Deinde in lib. 3. de anima 38. anima quodam modo eſt omnia,

Digitized by Google

nam cùm ea, quæ ſunt, bipartitò diuidantur, aliaque vocentur ſenſibilia, & alia intelligibilia, anima noſtra ſenſu ſit ſenſibilia, & mente intelligibilia: Verumenimuero quoniam inter hæc diſcrimen conſtituitur à nobis, neceſſe eſt hæc omnia vna eademque anima percipi; nam ſi plures eſſent animæ, quarum vna apprehenderentur ſenſibilia, & altera intelligibilia, inter hæc nullum poſſet diſcrimen conſtitui; alioquin, vt dicebat Ariſtoteles in lib. 2. de anima 146. ſi ego hoc, & tu illud clam me perceperis, poſſet contingere, vt hæc ab vtroque noſtrum inter ſe differre cognoſcantur. Non me fugit omnes ferè Peripateticos menti tribuere, quòd ſenſibilia, & intelligibilia comprehendat, horumque diſcrimina conſtituat, verùm non poſſum non audire Alexandrum ſentientem noſtra mente non apprehendi ſingularia & ſenſibilia, de qua re aliàs copiosè diſputaui. Adhæc nemo non experitur mente non attendente nô percipi ea, quæ ſenſum feriunt; atqui ſi animæ noſtræ pars, cui nomen eſt mens, reapſe & ſubſtantia eſſet diuerſa ab ea, quæ ſenſus appellatur, ipſa in alijs occupata nihil eſſet, cur quę ſenſus mouent, non percipiantur. Demum in ſchola Ariſtotelica nemo eſt, qui non putet fruſtra adhiberi multa, ſi vnum fuerit ſatis; nam in ijs, quæ natura conſtant, cùm eadem conſequuntur, vnum potiùs, quàm multa putandum eſt eſſe, & finita, quàm infinita, quia vnitas anteſtat multitudini, & finitas infinitati, atque in ijs, quæ natura efficiuntur, quod melius eſt, ſi fieri poteſt, id ſemper ineſſe, reperirique debet lib. 8. phyſ. 48. Ergo non eſt, vt in homine anima ſenſualis re ipſa diſtinguatur ab anima intellectuali, quoniam vna eademque anima poteſt hominem animare, omniaque illa opera exercere, quæ ab anima ſenſuali, & ab anima intellectuali dicuntur in homine fieri. Hoc autem erit perſpicuum ijs diſſolutis, quibus anima humana ex anima ſenſuali & anima intellectuali tanquam ex partibus ſe & ſubſtantia diuerſis fuit compoſita.

Con-

Confutatio eorum, quibus perſuaſa fuit, animæ humanæ compoſitio ex anima ſenſuali, & anima intellectuali.

Cap. XXXVII.

ANimæ compoſitionem ex partibus duabus, quarum altera ſit caduca, & altera æterna, nequaquam indicat varia corporis humani figura, tum quia cernere eſt in multis animantibus ratione carentibus caput in formam rotundam figuratum, quorum tota anima eſt mortalis; tum etiam quia hinc conficeretur has animæ partes in noſtro corpore loco & ſede diſcluſas eſſe, quod licèt Platoni fuerit probatum, in falſis tamen poſitum eſt ab Ariſtotele. Nec præterea eſt, vt anima ſenſualis diſtinguatur ab anima intellectuali, quòd hæc immortalis, & illa caduca ſit, quoniam quæ in nobis appellatur anima ſenſualis non verè ac propriè eſt anima ſenſualis, ſed anima intelligens, quæ eatenus ſentientis appellationem tenet, quatenus virtute continet animam ſentientem. Dicimus autem animam intellectualem virtute continere animam ſenſualem, non quia illi vis fuerit conceſſa hâc producendi, qua ratione dicere ſolemus cauſſam effectricem in ſe virtute cohibere, quęcunque poſſunt ab ipſa fieri; ſed quoniam poteſt talia munera & officia exequi, qualia ſunt ea, quæ ab anima ſenſuali effunduntur. De primo argumento dicendum eſt animam intellectualem habere & magis communem, & minus communem exiſtendi modum, ſiue aliquid proprij, & aliquid communis, atque in eo, quòd habet aliquid commune, & communiorem exiſtendi rationem, facere, vt homo ſit animal, & in eo, quod habet aliquid proprium, minuſque communem exiſtendi rationem, facere, vt homo ſit homo: Quapropter non ſequitur, ſi homo per eandem animam conſequitur, quòd ſit homo, & animal, vt quicquid homini tribuitur, qua ex parte eſt homo, eidem tribuatur, qua ex parte eſt animal, quoniam hæc anima non vna eademque ratione con-

Digitized by Google

ſtituit hominem & animal. At vrgent nos aduerſarii rogantes, quid ſint hi modi, & hæ rationes, nunquid ſubſtantiæ, an accidentia. Si ſubſtantiæ, nihil veriſimilius, quàm formas eſſe; ergo per aliam formam & animam homo erit animal, & per aliã homo: Sin accidentia, homo, quòd homo, & animal ſit, acceptum feret accidentibus. Reſpondendum eſt hos modos nihil aliud eſſe, quàm ipſammet animam intelligentem, quæ quatenus cum pluribus aut paucioribus habet naturæ communitatem, induit varios exiſtendi modos, variaſque rationes; quapropter homo non eſt homo & animal per varia accidentia; neque in homine animæ duæ reperiuntur, quarum altera faciat, quòd ſit animal, & altera, quòd ſit homo. Secundum confutatur, quia abſurdum non eſt, idem vario ſe habẽs modo eſſe principium multarum ac diuerſarum functionum, quod non obſcurè fuit ſignificatum in lib. 8. phyſ. 53. & in lib. 2. de gen. & int. 56. Itaque vna eademque anima in eo, quòd vtitur varijs corporis partibus ad cognitionem obeundam, rerum naturas ſingulariter apprehendit; & in eo, quòd per ſe ipſam, & nulla corporis parte tanquam inſtrumento miniſtrante, verſatur in rebus percipiendis, naturas rerum vniuersè contemplatur. Et ſanè ſi hoc genus argumenti perſuaderet, haud diſſimiliter concluderetur multas in nobis eſſe animas vegetales, quòd nutriri, augeri, & generare officia ſunt inter ſe diſſimilia; atque non vnicam eſſe animam ſenſualem, cuius munera cernimus varia & multiplicia. Tertium refellitur, quoniam forma, quæ ſic eſt ſimplex, vt ſimplicem habeat exiſtendi modum, non niſi vnicum eſſe tribuit. Quartum non habet momentum, quoniam animal vniuocè dicitur de brutis animantibus, quæ per proprias ſenſuales animas, quarum varia eſt natura, quòd ſint animalia, conſequuntur. Non enim exiſtimandum eſt in his præter propriam animam ſenſualem, qua ſunt illa ipſa, quæ ſunt, reperiri aliam communem animam, ſenſualem, cui acceptum ferant, quòd ſint animalia, vt Zabarella, aliique nonnulli crediderunt; nam cùm omnis anima ſentiens conſtituat animal, vnumquodque animal brutum bis animal eſſet, ſemel per propriam animam ſenſualem, & iterum per communem, quod eſt improbabile. Planè quod concluditur,

ſeque-

ſequeretur, ſi hominum & beſtiarum animæ non haberent aliquod commune, in quo conuenirent, hoc autem cùm habeāt, atque per hoc faciant, vt ea quorum ſunt animæ, ſint animalia, ſequitur, vt de his omnibus animal vniuocè dicatur. Argumentum extremo loco expoſitum ita diſſoluitur: Appetitus nomine tria intelligi poſſunt, anima appetens, facultas appetendi, & huius facultatis actus: Si anima appetens intelligatur, appetitus ſenſualis reapſe non diſtinguitur ab appetitu intellectuali: ſi facultas, inter hos appetitus conſtituitur rationis diſcrimen: ſin verò actus appetendi, hic & ille appetitus re ipſa inter ſe diſtinguuntur. Cæterùm ex poteſtatum & actuum diuerſitate non intelligitur, neceſſariè animarū diuerſitas, quòd vna eademque anima multis facultatibus prædicta eſt, actuſque multos & inter ſe diſcrepantes ex ſe fundit, atque huius argumento eſt anima ſentiens, cuius duæ ſunt appetendi facultates iraſcibilis, & concupiſcibilis, quæ ſæpenumero inter ſe pugnant. Adiungendum eſt nihil prohibere vnam & eandem animam temporibus diuerſis, atque non eodem modo ſe habētem eſſe principium appetituum inter ſe pugnantium, nam homo quod appetit anima ſenſu vtente, nihil vetat, quin poſt paulò idem reſpuat eadem anima, cui mens miniſtret illius naturam diligenter contemplanti. Nec præterea deſunt, quibus videtur appetitum, quo homo continens, vel incontinens appetit id, quod ſenſu ſibi iucundum iudicat, nō pugnare cum appetitu, quo idem aſpernatur intelligentia apprehendens id à pernicie nō eſſe diſiunctum, quoniam hi appetitus ſunt actus diuerſarum facultatum, & diuerſa ratione efficiuntur, nam mens vt pernicioſum vitat id, quod vt iucundum amplexatur cupiditas; & appetitus non poſſunt eſſe contrarij, niſi ab eadem facultate proficiſcantur, eademque ratione efficiantur. Sed poſita & conceſſa horum appetituum contrarietate tantùm abeſt, vt propoſitum conficiatur, vt oppoſitum colligatur, nam cùm contraria in ſubiectis diuerſis hærentia haudquaquam ſe impediant, quòd ipſorum pugna eſt de vnius & eiuſdem ſubiecti poſſeſſione; atque hi appetitus inter ſe pugnent, alterque alteri ſit impedimento, exiſtimandum eſt ipſos in eadem animi parte hærere. Nec mirum alicui videatur,

in hominibus excitari appetitus inter ſe diſcrepantes,nam appetitus ſequitur cognitionem; qua e re quoniam ſæpè euenit, quod ſenſu bonum exiſtimatur, id mente perniciosum iudicari, efficitur, vt homo in quod ſenſu propendet, ab hoc mente abhorreat : Quoniam verò in hac mentis ac ſenſus diſcordia homo conſultat, ipſique integrum eſt huic & illi ſe adſtringere, hinc quiſpiam non immeritò concludet in homine vnam eſſe animam, quæ ſimul eſt ſentiens & intelligens: qui enim fieri poteſt,vt quæ in ſenſum, & quæ in mentem cadunt, inter ſe comparentur, niſi vna eademque ſit anima, qua de his omnibus fertur iudicium? Primus Ariſtotelis locus à nobis recitatus opitulatur Poſſidonio, qui apud Aetium in lib. 2. ſerm. 2. cap.2. diuerſis cerebri partibus tribuit principes animæ facultates, illiſque ſtatuit obiri harum functiones, quem poſtea ſequuti ſunt Auicennas, Auerroes,cæterique Arabes,& cum his veteres Latini tam medici, quàm philoſophi. In hanc verò opinionem nullo alio argumento hi videntur adducti, quàm quòd cernerent in ſuo opere vnam facultatem lædi alijs nullã offenſionem accipientibus,cuius rei Ariſtoteles hoc in loco fidem facit, eandemque Galenus confirmat in lib.4 de locis affectis cap. 2. & in lib. de differentijs ſymptomatum cap.3. quibus in locis ſcribit in phrænitide interdum lædi imaginationem ratiocinandi facultate illæſa manente, & interdum contra hanc vitiari illa non deprauata. Sed hoc non habet pondus, nam cùm animæ ad ſua munia obeunda ſeruiat corporis temperatio, par eſt vel diuerſas temperationes; vel eiuſdem temperationis gradus diuerſos conducere ad functiones animæ diuerſas exercendas: Itaque cùm fieri poſſit, vt temperatio ſic lædatur, vt vni,& non alteri facultati ſit inutilis, nõ eſt, vt ex facultatum offenſione ac integritate colligatur eas ſedibus eſſe ſeparatas;quemadmodum quoque non eſt colligendũ diuerſam eſſe ſubſtantiam animæ, quòd vna facultas probè fungatur ſuo munere, & altera in ſuo opere non ſine offenſione verſetur. Et quòd quidem corporis temperatio ſeruiat animæ ad ſua officia obeunda, ex eo patet, quòd Galenus in lib. artis medicinalis ex his iudicium fecit,cuiuſmodi ſit cerebri tẽperatio: & Ariſtoteles in lib. 2. de anima ſcripſit quibus dura

eſt

eſt caro, hos mente eſſe tardiores, quibus verò mollis, hos ingenio pollere. Alter locus multum habet difficultatis, illiuſque varię ſunt explicationes. Plerique Peripatetici hunc locum ita accipiunt, vt intelligatur in homine multas animas reperiri, ex quibus tanquam ex ſuis partibus coaleſcat vna & integra hominis anima; nam quemadmodum ex materia & forma fit vnum quoddam lib. 7. poſt nat. 56. quia illa eſt poteſtas, & hæc actus, eodem modo cùm anima prior ſit poteſtas, & inſtar materiæ reſpectu poſterioris, & hæc reſpectu illius ſit actus, optimè ex his vna eſſentia poteſt conflari. His non eſt accedẽdum, & cur non ſit accedendum, iam declaratum eſt. D. Thomas in 1. p. quæſt. 118. art. 2. à quo non diſſentiunt Conimbricenſes in lib. 1. de gen. & int. cap 4. quæſt. 21. & Fonſeca in lib. 7. poſt-nat. cap. 12. quæſt. 1. ſtatuit in hominis generatione tres animas diuerſis temporibus oriri, quæ ſunt vegetalis, ſenſualis, & rationalis, atque poſteriore ſuperueniente priorem aboleri, ac proinde in homine eſſe non tres animas, ſed vnicam, quæ eſt anima intellectualis. Verùm cùm miſerabile ſit embrionem, antequam factus ſit homo, ſemel atque iterum mortem obire, terque in vitam reſtitui, nam ſi ſubeuntis animæ acceſſu prior deletur, hac extincta embrio moritur, rurſuſque naſcitur altera accedente, qua deperdita cogitur miſer iterum e vita migrare, ad quam redit continuò tertiæ aduenientis beneficio; non eſt, vt hæc explicatio magni æſtimetur. Amplius fieri non poteſt, vt anima ſenſuali ſuperueniente intereat embrio, quoniam huius calor illæſus, integerque ſeruatur, & viuentibus mors obuenit naturali calore extincto, aut marceſcente lib. de reſpirat. cap. 7. Adhæc ſi abſurdum eſt, quippiam ſimul atque ortum eſt, interire lib. 8. phyſ. 63. qui poterit embrio anima vegetali formatus, ſimul atque plenè eſt abſolutus, animę ſenſualis acceſſu interire? Et ſi quod corruptum eſt id antea corrumpebatur lib. 6. phyſ. 19. atque embrio in vtero ampliorem continenter acquirit perfectionem? quis non videat, ſi is animæ nouæ aduentu intereat, fore, vt idem vno eodemq; tempore ſimul ad perfectionem, & ad interitum vrgeat. Poſtremò forma, quæ deletur nouæ ſubeuntis formæ acceſſu, illius efficientis effectione interit, a quo e materia educitur noua for-

ma, quoniam eiuſdem efficientis eſt materiam parare, formamque educere, & materia veteris formæ depulſione ad nouam excipiendam paratur. Atqui cùm ſeminis virtus, quæ nouam ſenſualemque animam procreat, veteris ac vegetalis animæ fuerit procreatrix, qua ratione hæc anima poterit illius efficientis opera deleri, cui acceptam fert ſuam productionē, ſuamque incolumitatem? Placuit alijs cum Philopono ſeu Michaele Ephæſio hunc locum ita exponere. In homine vnica eſt anima, quæ à præſtantiſſima facultate, muneriſque functione intelligens nominatur. Hæc exequitur omnia reliquarum animarum munera, ac prætereà habet præcipua quędam vitæ officia cæteris minimè conceſſa; non enim ſolùm cum anima vegetali eſt principium alendi, gignendique ſibi ſimile, & cum anima ſenſuali exercendi omnes ſentiendi actus, verùm etiam principium eſt conſultandi & intelligendi. Cæterùm cùm hæc anima initio ſit imperfecta, & indies ſuam perfectionem adipiſcatur, ſenſimque ab imperfectionis ſtatu ad perfectiorem ſtatum progrediatur, donec ſummam teneat abſolutionem, hinc efficitur, vt hæc anima non ſimul ac orta eſt, ſuas omnes exerceat muneris functiones, ſed primùm minus nobiles, tùm magis præſtabiles, poſtremò præſtantiſſimas. Accedit hanc animam non anteà poſſe ſuis muneribus fungi, quàm inſtrumenta his ſeruientia fuerint probè inſtructa, ritèque comparata, & hæc eſſe diuerſas corporis partes; quæ vt vitæ animæque functionibus queant ſeruire, poſtulant certam ac definitam primarum qualitatum temperationem. Itaque cùm inſtrumenta, quæ ad nutritionem pertinent, primùm ſint apta & accommodata ad ſuum munus obeundum; deinde inſtrumenta, quæ propria ſunt ſenſuum; & poſtremo tempore procedente ea, ſine quibus non fit actus intelligendi, relinquitur hāc animam primùm fungi muneribus facultatis altricis; deinde progrediente tempore obire ſenſuum munera, & poſtremò in actu intelligendi verſari. Porrò quoniam vnumquodque ex ſuo munere dignoſcitur, & ex eo nomen reportat, efficitur, vt hæc anima primùm appelletur vegetalis, mox ſenſualis, & vltimò intellectualis, & hac de cauſſa Ariſtoteles ſcripſerat in conceptu primùm oriri animam vegetalem, tum ſen-

ſenſualem,& poſtremò intellectualem; atque embrionem initio viuere vitam ſtirpis, quia hoc tempore ſolùm nutritur, tẽpore procedente vitam animalis, cùm ſentire incipit, & denique vitam hominis, quando ſcilicet intelligit, neque ſimul animal & hominem fieri. Hæc interpretatio ſi fuerit approbata, non ſecus accipiendus erit locus libri 7. polit. cap. 15. nam hoc in loco Ariſtoteles intuens in animæ partium opera aſſeuerauit eam animæ partem, quæ rationis eſt expers, eſſe antiquiorem altera, cui data eſt ratio, quòd illius opera cerneret in nobis prius adminiſtrari, quàm huius functionibus nauetur opera. Hæc explanatio non caret difficultate, nam cùm ſcribat Ariſtoteles animam ſenſualem procedente tempore oriri, qua animal; & rationalem, qua homo conſtituitur; non enim ſimul & animal fieri & hominem: atque homo, quòd animal, & homo ſit, conſequatur non ex opere, ſed ex anima, operiſque principio, putandum eſt Ariſtotelem hoc in loco animæ ſubſtantiam, & non opus intuitum fuiſſe. Quocirca præſtat hunc locum ita exponere, vt ſententia ſit poſt vegetalem tempore procedentem innaſci in conceptu bruti animalis animam ſenſualem, qua ſit animal, & in hominis conceptu animam rationalem, qua ſit homo: Quapropter hinc ſolùm colligitur animã vegetalem de ſententia Ariſtotelis re ipſa atque ſubſtantia differre in brutis animantibus ab anima ſenſuali, & in hominibus ab anima rationali. Quòd ſi quiſpiam obijciat hic aſſeuerari fætum non ſimul animal fieri, & hominem, ac propterea ſtatui ante rationalem animam, qua homo conſtituitur, oriri animam ſenſualem, qua ſit animal: reſpondebo animalis vocabulo hic ſignificari viuens, quod per animam vegetalem conſtituitur: enimuero cùm in hoc quoque loco ſcriptum ſit non ſimul animal fieri & equum, profectò ſi animalis vocabulum propriè acciperetur, duæ ſenſuales animæ equo tribuerentur, quarum altera fieret animal, & altera equus, quod reuerſi, probatum fuerit Zabarellæ & alijs nonnullis, id tamen non eſt aſſeuerandum, quoniam vti in rerum natura nullum eſt animal commune, ſed animal omne aut eſt bos, aut equus, aut aliquid huiuſmodi, eodem modo in rerum natura non eſt, vt vlla ſenſualis anima ponatur, quæ non ſit aut bouis, aut leo-

nis,aut alterius animalis conſtitutrix. Adiungendum eſt,quòd ſi in ſingulis animantibus brutis duæ reperirentur animæ ſenſuales,cùm nulla ſit anima,cuius nō ſit aliqua facultas, harum animarum facultates vel eædem erunt,vel diuerſæ: Si eædem, alterius animæ facultates erunt ſuperuacaneæ; ſin diuerſæ,vitio dandum erit Ariſtoteli,quòd in lib.2.de anima has non diuiſerit,& quæ ſint huius animæ, & quæ illius, non expoſuerit. Nec alicui nouum videatur viuens ab Ariſtotele ſignificari vocabulo animalis,quoniam in hac notione idem vocabulum fuit vſurpatum tum in lib. 12. poſtnat. 39. vbi Deus appellatur ſempiternum, optimumque animal; tum etiam in lib. 2. de anima 27. quo in loco ſcriptum eſt quibuſdam animaliū ineſſe omnes animę partes,nonnullis quaſdam, & alijs vnam duntaxat,atque hoc facere animalium differentiam: Et ſi in lib. 3. de anima 60. legatur, ſenſum non neceſſe eſt ineſſe, omnibus animalibus; quod legi in quibuſdam libris Philoponus adnotauit,quis non videat hoc in loco viuentia appellari animalia? nam cùm animal ſenſu conſtituatur lib. 2. eiuſdem operis 16. neceſſe eſt animal omne ſenſum habere. Tertius locus non eſt multi faciendus,quoniam Ariſtoteles in hoc vtitur ijs, quæ de anima diſputantur in extrarijs & popularibus ſermonibus; atque his quoque vſus eſt in quarto, poſtremoque loco ſub exitum lib. 1. Ethic. ad Nicom. vt ipſemet hoc in loco atteſtatur. Et planè cùm ſenſus ſiue appetitus non accipiat mentis iuſſa; neque hæc, quò ille feratur, comprehenſum habeat, arduum eſt intellectu, quo pacto ſenſus ſiue appetitus poſſit menti obtemperare, & hæc illi imperare. Porro etſi appetitus ſenſualis non propriè pareat rationi,attamen ſi homo ita fuerit conformatus, vt neglectis quibuſlibet appetitus ſenſualis commotionibus vnam mentem,rationemque ſequatur,atque appetitum ſenſualem ſic domitum habuerit, vt ad ea duntaxat feratur, quæ menti ac rationi fuerint probata, in hoc homine, in quo mens & ratio obtinet principatum, exiſtimamus appetitum ſenſualem rationi obtemperare, huncque hominem eam vitam viuere, quæ menti eſt conſentanea; quòd ſi fuerit e contrario affectus, mentiſque ac rationis admonitionibus poſthabitis ea ſolùm conſectetur & fugiat, quæ ſequenda & vitanda

eſſe

eſſe ſenſus dijudicat, in hoc homine ſenſus & appetitus videntur menti ac rationi repugnare, hicque homo in fungendis vitæ muneribus poteſt videri bellua, quippe qui non ſecus ac bellua ſenſu appetituque regitur, ac ducitur, tanquam mente rationeque vacuus. Sed hactenus de hac quæſtione, ad Alexandrique argumenta redeamus.

Ad primum Alexandri argumentum reſponſiones variæ, & harum reſponſionum caſtigationes.

Cap. XXXVIII.

ALexander non contentus docuiſſe eam eſſe vim perfectiſſimæ temperationis, vt eam inſequi poſſit anima noſtra, naturam ipſius animæ fuit contemplatus, quam cùm ex eius definitione intelligeret in hoc ſitam eſſe, vt ſit in corpore humano veluti forma & actus, concluſit ipſam eſſe à corpore inſeparabilem, & propterea hoc deſtructo, ipſam neceſſariò extingui. Plotinus negat animam rectè finiri actum & ἐντελέχειαν, atque hanc ob cauſſam vituperat Ariſtotelem, ſentitque in cap. 20. lib. 3. enn. 4. ipſam nullo modo eſſe in corpore: cauſſam verò, cur exiſtimemus animam eſſe in corpore, in eo poſitam eſſe, quia cùm anima ſit inaſpectabilis, & corpus in aſpectum cadat, videaturque animatum, quippe quod moueatur, & ſentiat, dicimus animam haberi à corpore, illamque in hoc eſſe putamus: Verùm ſi animam cerneremus, atque ſenſu comprehenderemus, nunquam ipſam in corpore eſſe fateremur, ſed contra corpus in anima, quòd conſentaneum eſt in eo, quod tenet principatum, eſſe id, quod non eſt princeps, & in continente contentum, ac fluens in eo, quod non fluit. Et ſi quiſpiam roget, quo modo anima corpori adſit, reſpondet in cap. 22. non aliter animam adeſſe corpori, ac lumen aeri; nam hoc etſi dum adeſt, non ineſt, ac

Digitized by Google

per totum præſens nulli admiſcetur, & ipſum quidem manet, aer verò transfluit: quapropter rectè hic licet dicere aerem eſſe in lumine, ſed non lumen in aere. Hinc Plato in ipſa mundi generatione noluit dicere animam in corpore poſitam eſſe, ſed dixit corpus in anima eſſe collocatum, voluitque aliquid eſſe ipſius animæ, in quo ſit corpus, aliquid rurſus, in quo corpus nullum, nam mens & ratio, quibus corpus non indiget, nō adſunt corpori; ſenſus verò ac reliquæ animæ vires, quibus eget corpus, huic adſunt, & ſic adſunt, vt neque in partibus, neque in toto ſitæ ſint. Hæc Plotinus, quæ inania eſſe rectè affirmant Alexandrei, nam cùm nemo non experiatur ſe intelligere, ratiocinari, de rebus agendis conſilium capere, & modò hoc, modò illud deligere; atque horum omnium principiū ſit anima intellectualis, hæc planè eſt vera ac propria hominis forma; quo enim quippiam primùm ſua munera exequitur, ſuaſque functiones ex ſe fundit, id huius eſt actus & forma. Quòd ſi anima noſtra eſt verè proprièque forma, ea ſanè erit in corpore, abſurdumque erit affirmare corpus eſſe in anima: atque huius id quoque poteſt eſſe argumento, quia ſi omnes modos, quibus quippiam dicitur eſſe in aliquo, ab Ariſtotele in lib. 4. phyſ. 23. memoratos nobis ob oculos voluerimus proponere, intelligemus corpus nullo pacto in anima eſſe. Nec momentum habet, quòd corpus ſit anima minus nobile, ab hac contineatur, & aſſiduè fluat, quoniam quod eſt in aliquo non ſecus ac forma in materia, id ſemper eſt amplioris dignitatis, atque ſit illud, in quo ineſt. Qua e re tametſi anima ſit corpore præſtabilior, hocque contineat, ac definiat, eademque ſemper maneat, non eſt tamen, vt alicui videatur diſſentaneum hanc eſſe in corpore eo pacto, quo forma in materia. Nec præterea aer eſt in lumine, ſed cōtra lumen in aere, quòd accidens eſt in eo, cui accidit, & non hoc in illo: Quòd ſi Plotinus ſecus ſentit de natura luminis, perperam ſentit, nec huius eſt loci naturam luminis indagare. Idem argumentum nōnulli Ariſtotelici vt conuellerent, dixerunt hominis animam in eo, quòd eſt actus & forma, non poſſe à corpore ſeparari, cæterùm nihil prohibere, quominus in eo, quòd eſt forma hominis, & huiuſmodi forma, à corpore diſiungatur, & maneat

cor-

corpore diſſoluto. Hos reprehendunt Alexandri aſſeclæ, quia non intelligunt, quod eſt generis proprium, id e ſpecie, quæ ſub genere continetur, tolli non poſſe, & neceſſariò in iis omnibus ſpeciebus ineſſe, quibus genus eſt commune: qua e re ſi actus, formæve proprium eſt non poſſe ab illo ſeparari, cuius eſt actus, & forma, nullus erit actus, nullaque forma, quæ non ſit inſeparabilis. Auerroes, & qui Auerrois doctrinæ ſunt addicti reſpondent ad hoc Alexandri argumentum, ſtatuentes animæ definitionem vel non cadere in hominis mentem, quæ non eſt actus, & forma corporis, vel omnibus animæ partibus non æquè conuenire, nam cùm actus non ſit vnius modi, ſed varius, aliuſque ſeparabilis, qui per ſe conſtat, nec hæret in eo, cuius dicitur actus, & alius inſeparabilis, qui cum re, cuius eſt actus, ita connexus eſt, vt abſque illa manere non poſſit, actus, qui de mente dicitur, eſt generis prioris, nam mens non ſecus eſt in nobis, ac nauta in nauigio; & qui tribuitur reliquis animæ partibus, generis poſterioris. Hos quoque in multis caſtigant Alexandrei: Et primùm animæ definitio tam latè patet, vt mentem noſtram complectatur, quod alio loco fuit explicatum: Deinde cùm in lib. 2. de anima 24. vno eodemq; principio, quod eſt, anima eſt principium, quo animata corpora viuunt, ſentiunt, loco mouentur, & intelligunt, animæ definitio de omni anima concludatur, non obſcurè ſignificatur hâc peræquè tribui omnibus animæ partibus, quòd quicquid vna eademque ratione quibuſdam conceditur, id intelligitur his omnibus æquè impartitum fuiſſe. His autem actus fuit tributus non tanquam varius, ſed veluti vnius modi, & inſeparabilis, nam cùm in tex. 15. huiuſce libri Ariſtoteles ſcribat ex ijs, quæ in contexenda animæ definitione expoſita ſunt patere animam vel quaſdam animæ partes non eſſe à corpore ſeparabiles, quia ſunt corporis, vel partium corporis actus, inſitè hæc ſcripſiſſet, ſi actus in animæ definitione aſſumptus non eſſet vnius modi, atque inſeparabilis, & nullo modo ſeparabilis. Poſtremò decretum, quòd mens ſit in nobis, veluti nauta in nauigio, multis fuit euerſum ab Alexandro in lib. 1. de anima cap. 3. quæ ſunt: Si anima menſque noſtra ſit in corpore veluti nauta in nauigio, ea ſanè in aliqua corporis parte erit

poſi-

poſita tanquam in loco; ex quo fiet, vt corpus vniuerſum non ſit animatum: Quinetiam habebit magnitudinem, quòd nihil magnitudinis expers poſſit loco moueri. Atque iſtud cùm Platonis amaſij non ignorarent, animas noſtras cum æterno quodam corpore copularunt, quod æthereum animi vehiculum nuncuparunt, quos Alexander confutauit referente Simplicio in lib. 6. phyſ. com. 23. quòd hinc ſequatur corpus per corpus procedere; quandoquidem anima in toto corpore inſeritur, & cum hoc commiſcetur. Rurſus ſi quippiam huiuſmodi eſt noſtra anima, cur non deſerit corpus, in quo varijs angoribus conficitur, acerbiſque doloribus cruciatur? Quæ vis cogit animam vitam degere cum corpore connexam? Cur in corpus, vt primùm in vtero fuerit abſolutum, protinus immigrat? Et denique quiſnam ingreſſus aut immigrationis modus ſtatui poteſt? Ergo cùm hæc non poſſint explicari, anima, menſque noſtra non ſic in corpore eſt ponenda, vt ſimilis ſit nauigij gubernatoris, ſed eſt vera, propriaque forma, quâ homo eſt illud ipſum, quod eſt, atque humana ſpecie continetur.

Primum Alexandri argumentum repellitur. Cap. XXXIX.

HOc Alexandri argumentum tametſi in Ariſtotelis doctrina poſſit videri momentum habere, non tamen tanti eſt faciendum, vt cenſeatur inexpugnabile, nam actus ab Ariſtotele non ſemper fuit tributus formę à materia inſeparabili, quippe qui (vt interim omittam in lib. 2. de anima 11. nautam nauis actum nuncupari) in lib. 12. poſtnat. 49. dicitur de primò motore, quo nihil eſt à materia ſeparatius, neque omnis forma eſt huiuſmodi, vt non poſſit ab eo, cuius eſt forma diuelli, atque hoc diſſoluto manere, cæteroquia in lib. proximè citato 17. non fuiſſet conſideratum, an quædam formæ reperiantur, quæ maneant poſt interitum illius, cuius ſunt formæ. Quæ verò Alexandrum & ſectatores induxerunt, vt de forma & actu ita ſentirent, haud difficulter poſſunt explicari. Et primùm cùm in lib. 2. phyſ. 12.

Ari-

Ariſtoteles aſſeuerat formas naturales non eſſe niſi ratione ſeparabiles, formas naturales habet propoſitas in eo, quòd ſunt formæ corporum naturalium, nam hæ hoc modo inſpectæ nequeunt re ipſa à corpore ſeparari, quod Plato ſibi perſuaſit ideas inducendo veluti formas corporum naturalium per ſe abſque materia conſiſtentes, ſed animo ac mente ſunt ſolùm ſeparabiles. Planè anima noſtra à corpore ſeparata conſiſtit, verùm a corpore diſiuncta non eſt corporis forma, quia vt huiuſmodi nunquam non eſt cum corpore, nec niſi cogitatione poteſt ab ipſo ſeparari, quippe quæ qua forma eſt id, ſecundum quod nos ſumus hoc aliquid, & ea ipſa, quæ ſumus. Initio autem lib. 6 poſtnat. tantum abeſt, vt Ariſtoteles ſtatuat formas omnes naturales eſſe inſeparabiles, vt ſignificet aliquas eſſe ſeparabiles, nam ſcribit ſcientiam naturalem eas formas vt plurimum contemplari, quæ ſunt inſeparabiles, in cuius loci explanatione ſentit Auerroes Ariſtotelem cautè adieciſſe, vt plurimum, quia volebat mentem noſtram excipere, quæ ſeparabilis eſt, & cadit in ſcientiæ naturalis conſiderationem. In lib. 4. phyſ. 17. planè locus diſtinguitur à forma, quia is eſt ſeparabilis; verùm ſi vis huius vocis, ſeparabilis, diligenter examinetur, conſtabit hanc vocem ſignificare Ariſtoteli non eſſe partem corporis, cuius eſt locus; & poſſe diſiungi, cùm hoc integrum, incolumeque maneat: nam quod non ſignificet ſimpliciter poſſe diuelli, ac ſeparari, argumēto eſt, quòd hæc quoque ſeparat locum à materia, quam nemo non fatetur non interire, atque ſupereſſe poſt corporis occaſum. Alexander, Plotinus, & Auerroes nullas curas exhibent nobis, qui in hac quæſtione quid Ariſtoteles, & non quid ipſi ſenſerint, exquirimus. Argumentum, quo declaratur inſeparabilitatem cum natura formæ conſentire, leue eſt, quia tametſi omnis forma ſit natura dimidiata, nihil tamen prohibet aliquam formam reperiri, cuius ſit ea vis, vt per ſe conſtet: alioquin ſi hoc eſſet in iis, quæ fieri non poſſunt, temerè conſideratum fuiſſe ab Ariſtotele, an aliqua forma poſteriùs maneat lib. 12. poſtnat. 17. Quamuis verò materia non poſſit ad Ariſtotelis ſententiam ſine forma conſiſtere, quia non eſt hoc aliquid, non tamen cuiuis formæ tribuendum eſt ſine materia non conſtare, quoniam ex

for-

formis nonnullæ habentur, quæ ſimul ſunt hoc aliquid, & id, quo eſt hoc aliquid: atque in hoc omnes illi Auerroes aſſeclæ nobis aſſentiantur, oportet, qui ſtatuunt noſtram mentem eſſe veram hominis formam. De eo, quod eſt formam magis pendere ex materia, quàm ex forma materiam, dicendum eſt hoc in ijs formis audiendum eſſe, quibus materia ſubijcitur, vt ſint, quæque vt ſint, per materiam conſequuntur, cuius modi non eſt anima, menſque noſtra. Sed & actus ſiue ἐντελέχεια nō ſemper eſt huiuſmodi, vt nunquam diſiungatur ab eo, cuius eſt actus, quicquid ſenſerint Iuſtinus, Plotinus, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus Aeneas Gazęus, & Auerroes, neque huius teſtis eſt Ariſtoteles in lib. 2. de anima 11. nam hoc in loco magna eſt obſcuritas, & puto ſatis probabiliter hunc locum ſic poſſe explicari, vt vox, ſeparabilis, ſignificet non ſeparationem, qua ſeiungatur à corpore anima ſic, vt maneat poſt eius obitum, vt omnes interpretantur, ſed ſeparationem, qua in corpore anima eo pacto ſit, vt ab ipſo ſit ſeparata per ſe cohærens, neque ſit aliquid ipſius, quo modo nauta eſt à nauigio ſeparatus, & noſtra anima poſita eſt à Platone; ac propterea ſententia ſit: Cùm anima fuerit definita actus corporis, qui eſt forma & quiditas, conſtat animam, aut ſi in partes ſit diuidua, partes ipſius aliquas non eſſe à corpore ſeparabiles, hoc eſt non ſic eſſe in corpore, vt ſint ab ipſo ſeparatæ, neque ſint aliquid ipſius, nam vel tota anima, vel aliquæ ipſius partes, ſi ſit partibilis, perſpicuè ſunt corporis actus. Atque in hanc quoque ſententiam accipio id, quod eſt in tex. 26. animam ſcilicet neque ſine corpore eſſe, neque aliquod corpus, nam cùm ſit corporis actus, non eſt corpus, quòd corpus nullum ſcribit rationem eorum, quæ ſunt in ſubiecto, e quorum numero eſt corporis actus: neque eſt ſine corpore, hoc eſt, nō eſt quippiam à corpore ſeparatum, & ad corpus non pertinens, ſed eſt aliquid corporis, quia actus corporis eſt forma corporis. Nec verò aduerſarij nos accuſent de huius vocis, ſeparabilis, notione, nam Ariſtoteli hanc vocem non ſemper ſignificare illud, quod alicui copulatum eſt aptè natura ſeparari, ſed quandoq; etiam id, quod eſt ſeparatum, nec aliquid eſt alicuius, conſtat ex eo, quòd Platonis ideæ, quas putat Ariſtoteles eſſe formas ſeorſum

ſum

ſum ab ijs,quorum ſunt formæ,conſiſtentes,in lib.poſtnat.& natural. vocantur ſeparabiles; & initio lib.7.poſtnat. cùm tribuitur ſubſtantiæ,quòd ſit ſeparabilis, hoc ſenſu hæc vox accipitur, ſignificaturque ſubſtantiam per ſe, ſuiſque viribus conſiſtere, neque in rerum natura conſtare, quia ſit aliquid alicuius. Atque hoc intereſt inter ſubſtantiam & accidentia ,quæ dicuntur inſeparabilia,quoniam per ſe, ſuaque vi non poſſunt cohærere, ideoque ſunt entia, quia ſunt aliquid & affectiones illius, quod per ſe proprieque exiſtit lib. 4. eiuſdem operis 2. Senſum autem hoc fuiſſe Ariſtoteli hoc in loco propoſitum illud perſuadet, quoniam ſi ſtatuamus hanc vocem ſignificare id, quod cùm ſit in corpore, poteſt ab hoc re ipſa ſeparari, non ſequitur neceſſariò animam vel aliquas animæ partes non eſſe à corpore ſeparabiles, quia ſunt actus & formæ corporis, vel partium corporis, quandoquidem in lib. 12. poſtnat. 17. ſcriptum eſt nihil prohibere aliquas formas ſupereſſe corporibus, quorum ſunt formę, diſſolutis, atque huiuſmodi eſſe animam, non quidem omnem, ſed mentem. Quapropter quoniam Ariſtoteles colligit tanquam manifeſtam animam vel quaſdam animæ partes non eſſe à corpore ſeparabiles, quia ſunt actus, omnino exiſtimandum eſt hanc vocem accipi non in hac ſignificatione omnibus explanatoribus probata, ſed in altera à nobis explicata, qua poſita manifeſtum eſt animam vel quaſdam animæ partes non eſſe ſeparabiles, hoc eſt non ſic eſſe in corpore, vt per ſe exiſtant à corpore ſeparatæ, neque ſint aliquid corporis, quia ſunt actus & formæ corporis, vel partium corporis: nam actus & forma cùm ſit id, quo id, cuius eſt, hoc aliquid exiſtit, in hoc ſic eſt, vt ſit aliquid ipſius, neque in hoc cohæret ab ipſo ſeparata. Adiungendum eſt Ariſtotelem in lib.de anima intueri animam in eo, quòd eſt animalium principium, & huius quæſtionis, nunquid anima poſſit à corpore ſeparari, tractationem nullum momentum habere ad percipiendam vim & naturam animæ in eo, quòd eſt animalium principium. Itaque cùm nemo non det Ariſtotelem nunquam temerè & abſque neceſſitate in alicuius quæſtionis explicatione fuiſſe verſatum, concludendum eſt hoc in loco ei nequaquã propoſitam eſſe quæſtionem, nunquid anima poſſit à corpore,

quod animat, ſeparari; ſed eum in hoc verſari, vt oſtendat animam non ſic eſſe in corpore, vt ſit ab ipſo ſeparata, & non ſit aliquid ipſius, quod quia ad percipiendam animæ naturam in eo, quòd eſt principium animalium, magni eſt momenti, non erat prætermittendum, & præſertim cùm Plato ſit aduerſæ opinionis author ac propugnator. Ex his liquet hoc Alexandri argumentum falſo niti fundamento; quare re hoc ſubducto ipſum neceſſariò concidit: dicimus enim, cùm formarum magna ſit varietas, & aliæ ex materia pendeant, & aliæ non, in quibus animæ noſtræ numerantur, illas ſic eſſe actus, & formas, vt nullo pacto poſſint naturæ viribus per ſe conſtare à materiæ ſegregatæ: quapropter diſruptis compoſitis, quorum ſunt formæ, neceſſariò extingui; has verò, cùm ipſę ſuſtentent ſe, ſic eſſe actus & formas, ſiue rationes, quibus quædam ſunt hoc aliquid, vt ab illis, quorum ſunt formæ, diſſociatæ maneant, exiſtantque, non quia ſint alicuius, ſed quia ipſæ verè ac propriè exiſtunt, ex quo ſit, vt non indignæ poſſint videri, quę aliquo pacto appellentur hoc aliquid. Neque abſurdum eſt idem ſimul eſſe hoc aliquid, & id, quo quippiam eſt hoc aliquid, quanquam minimè ſit admittendum formam ſic eſſe hoc aliquid, cuius modi eſt id, cui ratio eſt, cur ſit hoc aliquid, quoniam cùm forma ſit cauſæ ſubſtantiæ compoſitæ, vt ſit hoc aliquid, nequit fieri, vt forma, quæ eſt natura ſimplex ac dimidiata, perinde ſit hoc aliquid, vti eſt ſubſtantia compoſita & natura integra.

Duæ Alexandreorum dubitationes aduerſus ea, quæ ſunt conſtituta, profligantur.

Cap. XL.

ALexandrei, vt Alexandri argumentum tueantur, vrgebunt fortaſſe nos: cùm definitio perpetuò dicatur de eo, cuius eſt diffinitio, atque anima noſtra finiatur corporis actus, hæc perpetuò erit corporis actus, & quod ſequitur, nunquam erit à corpore ſeparata, & perpetuò erit corporis aliquid. Deinde ſi anima noſtra per ſe cohæreat, neque à materia ſuſtentetur, proprium eſſe ſibi vendicabit: in quæſtionem igitur cadit, nunquid hoc eſſe animæ ſit idem, quod hominis eſſe, an diuerſum: Si diuerſum eſſe affirmetur, in homine duo eſſe erunt ponenda, vnum animæ, & alterum hominis, quod non abſque flagitio illud mõſtrat, quòd vnius rei vnum tantùm eſt eſſe: Sin verò idem eſſe ponatur, poſitio ijs argumentis exagitabitur, quibus vtitur Scotus in lib. 4. ſent. diſt. 43. quæſt. 2. quorumve vnum eſt: Cuiuſuis rei proprium eſt eſſe; ſed homo eſt res ab anima diſſimilis; huic igitur tribuendum eſt eſſe, quod ipſius ſic proprium ſit, vt animæ non conueniat. Alterum, Quibus idem eſſe datum eſt, eorum par eſt dignitatis gradus: atqui homo dignitate anteſtat animæ, quoniam hæc eſt pars, & natura dimidiata; ille verò eſt natura integra, & totum quiddam: non igitur vnum & idem eſſe eſt hominis & animæ. Poſtremum: Hominis eſſe caducum eſt, in interituque deſtruitur; ſed eſſe animæ homine intereunte illæſum & immortale manet: aliud igitur eſt hominis eſſe, & aliud animæ. De priore dubitatione dicendum eſt, cùm anima noſtra tandiu verè dicatur anima, quandiu corpus animat, atque vt primùm finem facit animandi à corpore diſcedens, huius nomenclationis iacturam faciat, non eſt, vt Alexandreis mirum videatur, ſi definitio animæ non conueniat animæ, mentique noſtræ à corpore ſeparatæ: quod & illud perſuadet, quia anima à corpore ſeparata naturalis ſcientiæ limites ex-

Digitized by Google

cedit: Et verò cùm naturalis philoſophiæ interſit de iis omnibus formis docere, in quarum definitionibus aſſumitur materia naturalis; profectò ſi hæc definitio aperiret naturam animę à corpore ſeparatæ, hæc naturalis ſcientiæ finibus contineretur. Nec quicquam facit, quæ diffinitionem conſtituunt, hæc ſita eſſe in rei natura: nàm hæc non ſimpliciter tribuuntur naturæ rei, ſed ea ex parte, qua res eſt id, quod definitur: Quapropter cùm primùm res deſinit eſſe id, quod definitur, continuò amittit definitionem, & ex eius natura tolluntur, quæcunque erant in definitione. Poſterior difficultas vt tollatur ignorandum non eſt, cuiuis formæ, quæ propriè tenent formæ appellationem, tametſi datum ſit ſubſtantiam compoſitam conſtituere, attamen multum intereſſe inter animam noſtram & reliquas formas, nam cùm hæ ex materiæ viſceribus ſint erutæ, & ex materia omnino pendeant, non habent proprium eſſe, quo ipſæ ſe ſuſtentent, ſed eatenus exiſtunt, quatenus compoſita, quorum ſunt formæ, exiſtunt, omninoque exiſtunt non vt quædam naturæ per ſe exiſtentes, & tanquam hoc aliquid exiſtentes, ſed veluti partes aliquorum, rectiuſque coexiſtere, quàm exiſtere poſſunt exiſtimari; quocirca vna cum ijs, quorum ſunt partes, quorum vt opera exiſtunt, & cum quibus coexiſtunt, extinguuntur; hiſque corruptis nullo pacto poſſunt manere: at anima noſtra cùm ex materia non pendeat, habet proprium eſſe; quo ſe ſuſtentat, neque quòd exiſtat, homini fert acceptum, cuius eſt forma. Itaque tametſi homo intereat, ipſa tamen manet perpetua, neque ſentit interitum. Hoc autem animæ eſſe poteſt induci & vt idem, quòd eſſe hominis, & vt diuerſum: & ſi vt diuerſum inducatur, ad argumentum reſpondebitur homini vnum ſolum eſſe à natura impertitum fuiſſe, cæterùm non eſſe flagitium in ipſo alterum eſſe reperiri, quod non illius, ſed animæ proprium ſit. Sin verò vt idem, notandum erit iſtud eſſe non peræquè homini & animæ tribui, ſed primùm animæ, tum verò homini, cui ab anima impertitur: Enimuerò cùm anima naturæ origine antegrediatur hominem, cuius eſt anima, profectò ſi vtriuſque vnum & idem eſt eſſe, oportet hoc priùs animæ, & poſteriùs homini attribui, & præſertim quoniam anima eſt ratio, qua homo exiſtit,

non

non autem contra hic eſt cauſſa, cur illa exiſtat: Hoc præterea eſſe eſt hominis, vti illius, quod propriè exiſtit, animæ verò & vti illius, quod propriè exiſtit, & vti illius, quod eſt ratio, qua aliud quippiam exiſtit: Etenim cùm anima noſtra ſit forma, & ex materia non pendeat ex nihilo producta, in eo, quòd eſt forma, exſtit, quia eſt ratio, qua homo exiſtit, atque hoc illi commune eſt cum reliquis formis, quę omnes eatenus exiſtunt, aut verius coexiſtunt, quatenus ſunt rationes, quibus ſubſtantiæ compoſitæ exiſtunt, in eo autem, quòd ex materia non pēdet; & eſt creationis terminus, exiſtit, quia eſt id, quod propriè & per ſe exiſtit. Non ſum neſcius Dominicum Bannem in com. 1. p. D. Thomæ ad quæſt. 76. art. 1. & alios nonnullos ſentire animam noſtram, donec corpori eſt copulata, exiſtere tanquā rationem, qua homo exiſtit, & non veluti id, quod propriè verèque exiſtit: ſed his non accedo, nam cùm anima noſtra in corpore, & non extra corpus procreetur, atque terminus creationis ſit quippiam propriè ac per ſe exiſtens, par eſt animam noſtram ſic quoque exiſtere in corpore, vt ſit id, quod propriè ac per ſe exiſtit. Adiungendum eſt, ſi anima, cùm à corpore ſeparatur, tum primùm propriè ac per ſe exiſteret, animam à corpore diſiunctam, atque in ſtatu ſuæ naturæ alieno habituram eſſe perfectiorem exiſtendi modum, quam cùm corpori eſt coniuncta, & in ſtatu ſuæ naturæ cognato; quod ferendum non eſſe illud oſtendit, quoniam anima eſt hominis pars, vtque hominem conſtituat, à Deo condita; parti autem potius eſt in toto exiſtere, totumque conſtituere, quàm à toto diſiunctam manere, quandoquidem toti coniuncta finem adipiſcitur, cuius gratia eſt comparata: His ita expoſitis primum argumentum quo perſuaſum fuit aliud eſſe tribui animæ, & aliud homini, diſſoluitur, quoniam quæcunque ſunt entia integra, & non aliorum partes, ea ſic propria habent eſſe, vt eſſe vnius nō ſit eſſe alterius; at quæcunque ſic inter ſe ſunt affecta, vt vnum ſit natura integra, & alterum ſit natura dimidiata, parſque alterius, quod in hominem & animam cadit, horum vnum & idem eſt eſſe, quandoquidem non aliud eſt eſſe totius, & aliud partis, quandiu hæc fuerit toti copulata. Ad alterum reſpondetur, licèt natura & eſſentia hominis ſit præſtabilior natura &

eſſen-

Digitized by Google

eſſentia animæ, nam totum eſt præſtabilius parte, & quod ſubit rationem finis, id dignitate ſuperat, quæcunque ſunt gratia ipſius, attamen ſi hominis & animę habeatur ratio in eo, quòd ad eſſe & exiſtere pertinet, inter hanc & illum parem eſſe dignitatem. De poſtremo dicendum eſt in hominis interitu non ſimpliciter & abſolutè corrumpi eſſe ipſius, ſed illud eſſe, quod eſt eſſe ipſius, deſinere eſſe ipſius eſſe, atque interire in eo, quòd eſt eſſe ipſius: etenim animę eſſe non ſimpliciter & abſolutè eſt hominis eſſe, ſed ea ex parte, qua anima in corpore hærens hominem conſtituit: & anima ſic ſuum eſſe cum homine communicat, vt idem quoque ſit eſſe ipſius, & hoc non amittat à corpore diſcedens, & cùm homo e vita excedit, qua e re illud eſſe, quod homine vitam agente ſimul erat hominis & animæ, propter hominis interitum deſinit quidem eſſe hominis, quoniam anima non vlterius cum homine id communicat, ſed integrum, incolumeque manet, reſtatque ſolius animæ eſſe.

Ad alterum Alexandri argumentum, quàm variè à varijs fuerit reſponſum, & horum reprehenſiones.

Cap. XLI.

AD alterum Alexandri argumentum varij vario modo reſponderunt. Philoponus, Simplicius, & alij, vt ab hoc argumento ſeſe vendicarent, negauerunt intelligentiam omnem totius compoſiti propriam eſſe, & cum corpore perfici; nam cùm rerum, quæ mente percipiuntur, duo ſint genera, vnum earum, quę in materia hęrent, & vt intelligantur, poſtulant noſtræ mentis functionem, qua diſiungantur à materia & ab omnibus materiæ inuolucris: alterum earum, quæ à materia ſunt abiunctæ, quęque ſuaptè natura cadunt in intelligentiam, ſeu ſunt aptæ & natæ intelligi, rerum prioris generis intelligentiam mentis & corporis communem eſſe conceſſerunt, vt quæ à ſola mente abſque corpo-

ris

ris adminiculo non poſſint intelligi,rerum autem generis poſterioris intelligentiam mentis propriam eſſe; nam cùm hę res non cadant ſub ſenſus, nec phantaſma aliquod gignant, à ſola mente apprehenduntur corpore nullam operam conferente. Quòd ſi quiſpiam obijciat Ariſtotelem in lib. 3. de anima 30. aſſeuerante ſine phantaſmate nihil intelligi; & in tex. 39. ſtatuentem intellectiones non eſſe phantaſmata, ſed non ſine phantaſmatis,reſpondet Philoponus hoc,non ſine, ſignificare non id,quod neceſſarium eſt,ſed id,quod eſt impedimento,veluti cùm dicimus Cæſarem hyeme non ſine aduerſa tempeſtate nauigaſſe;nam mentem noſtram abſque phantaſmatis poſſe ſuum munus obire, verùm hæc ſemper ſeſe immiſcere, atque intercurrere,vt ſine ipſis interpellantibus nequeat mens quidpiam intelligere. Hos affirmant Alexandri ſectatores ab Ariſtotele multùm diſcordare, nam, vt prætermittatur hos illud pro confeſſo accipere, quod valdè dubium, controuerſumque eſt apud Ariſtotelem, nimirum noſtram mentem intelligere ea,quę ſua natura ſunt à materia ſegregata,ſiquidem cùm Ariſtoteles in huius quæſtionis mentionem incidiſſet in lib. 3. de anima 36. illius explicationem in alium locum, in aliudque tempus diſtulit, & nunquid eam explicauerit, ignotum eſt, quòd ex ijs, quæ in naturalis ac primæ philoſophiæ libris tradita ſunt, nihil poteſt intelligi, quod firmam huius rei fidem faciat, vt hoc, inquam, fiat miſſum, profectò Ariſtoteles vbique & ſemper affirmauit actum intelligendi ab imaginatione diuulſum conſtare non poſſe, & ne longiùs abeamus in lib. 2. de anima 153. nos admonuit imaginationem à mente & à ſenſu differre, neque hanc ſine ſenſu exiſtere, nec ſine ipſa intelligentiam: Cuius rei in lib. 3. de anima 30. eam rationem attulit, quia intelligenti phantaſmata ſunt veluti ſenſibilia, quandoquidem in his (vt paucis interiectis adiunxit) formæ & naturæ rerum vniuerſæ intelliguntur. Itaque in tex. 39. concluſit hominem, dum contemplatur, neceſſariò propoſitum habere aliquod phantaſma: Quapropter illud,non ſine,ſignificat Ariſtoteli non quod eſt impedimento,& mentem interpellat, ſed quod eſt neceſſarium: atque iſtud adeo eſt perſpicuum ex verbis Ariſtotelis, vt mirandum ſit Philoponum & alios putaſſe

no-

noſtram mentem corpus hoc animantem, ſuo fungi munere nullas ſuppetias ferentibus phantaſmatis, & ab his potiùs impediri, quam adiuuari noſtram intelligentiam. Sed & iſtud, ſi quis in hanc rem diligenter animum intendat, planum erit ac perſpicuum: Et primùm fieri non poteſt, vt res naturales aut mathematicæ ſine phantaſmatis intelligantur, quod & vſus ipſe confirmat, & non obſcurè voluit Ariſtoteles in lib. 3. de anima 39. ex quo concluſit eum, qui nullius rei ſenſum habet, nihil poſſe addiſcere, nihilque mente percipere. Nec præterea res diuinæ, & ſubſtantiæ immateriatæ ſine phantaſmatis intelliguntur, nam hæ tametſi careant proprijs phantaſmatis, attamen non ſine phantaſmatis rerum in ſenſus cadentium apprehenduntur, quæ nobis aditum aperiunt ad illas cognoſcendas: hoc autem planè conſtabit, ſi in hanc rem animus defigatur; nam perſpicuum erit noſtram de his notitiam ſiue ſit per eminentiam, ſiue per negationem, ſiue denique per rationem cauſſæ, quibus modis ſentiunt noſtri Theologi illas à nobis cognitione accipi, nulla re alia niti, niſi rerum, quæ in ſenſus incidunt, phantaſmatis, & notionibus ex his phantaſmatis pendentibus, atque vt inquit Gregorius Nazianzenus in orat. 2. de Theologia fieri non poſſe, vt ij, qui corporibus incluſi ſunt, ſine corporearum ac ſenſibilium rerum adminiculo ijs, quæ animo ac ratione percipiuntur, coniungantur. Et ſi impeditur in aliquo, vel non adiuuatur à phantaſmatis noſtra intelligentia, ecquid eſt, vt quarum rerum deleta iam ſunt phãtaſmata, eas res non amplius intelligamus, quæ tamen antè à nobis intelligebantur, cùm phantaſmata tenebamus in animo impreſſa? Ergo quia intelligere poſſumus, ſi phantaſmata adſint, ſi abſint, non poſſumus, ſine vlla dubitatione veriſſimum eſt ſine phantaſmatis nihil vnquam intelligi à nobis, & phantaſmatum opera intelligi, quæcunque à nobis mente accipiũtur. Demum & id poteſt eſſe argumento huiuſce dogmatis, quòd res phantaſmatis carentes veluti ſubſtantiæ, & quæcunque latent noſtros ſenſus, non poſſunt à nobis percipi, niſi noſtræ mentis obijciantur phantaſmata illarum rerum, per quas intelliguntur, & tandiu nos progredi poſſe in his intelligẽdis, quandiu nobis fuerint præſtò aliqua phantaſmata, in quibus

hæc

hæc apprehendamus, & cum fine phantaſmatum finem quoque adeſſe hæc & alia intelligendi: Sunt enim phantaſmata veluti ea, quę ſenſum mouent, qua e re vt his abſentibus ceſſat ſenſus ab officio, eodem modo niſi aliquod phantaſma menti ſit præſtò, hæc in ſuo munere ſubſiſtit, nec longiùs progredi poteſt. Dixerunt alij intelligentiam eſſe proprium animæ opus, quod Ariſtotelis teſtimonio, & ratione confirmarunt: Ariſtotelis teſtimonium ex lib. 3. de anima 1. & 5. excerptum eſt, vbi cùm noſtra mens vocetur ea pars animæ, qua intelligit anima, actus intelligendi perſpicuè tribuitur animæ, cui ſanè iniuſtè tribueretur, niſi eſſet opus proprium illius, quòd opera corporis & animæ communia turpe ſit ſoli animæ concedere: Hinc in lib. 1. eiuſdem operis 64. dicere animam iraſci aut timere ſimile eſt, ac ſi aliquis dixerit animam texere, aut ædificare. Ratio in hoc poſita eſt, quòd intelligendi actus, vt administretur, nullam requirit corporis partem, quæ ſeruiat tanquam inſtrumentum: & illud eſt opus animæ proprium, quod exercetur ab anima corpore, tanquam inſtrumento haudquaquam miniſtrante. Hæc inquiunt Alexandrei abhorrere ab Ariſtotele, nam cùm hic in lib. 1. de anima 12. ſtatuat, ſi intelligere ſit imaginatio, aut non ſine imaginatione, hoc non eſſe opus animæ proprium, non obſcurè ſentit, vt intelligere ſit opus animæ proprium, duo neceſſariè poſtulari, vnum, vt nō ſit imaginatio, neque exerceatur aliqua corporis parte, alterum vt ſine imaginatione adminiſtretur, neque vllo pacto ex corpore pendeat: Porrò etſi intelligere primum reſpuat, alteri tamen ſic coniungitur de ſententia Ariſtotelis, vt nequeat ab ipſo diuelli; nam cum phantaſmatis corporeis ſic eſt connexum, vt ſine his conſtare non poſſit. Et cùm initio lib. de ſenſu & ſenſili omnes illæ actiones corpori & animæ ſint communes, quæ cum ſenſu aut per ſenſu exercentur; atque lib. 3. de anima 39. intelligere nunquam ſit abſque ſenſus miniſterio, quis non videat de ſententia Ariſtotelis intelligere non eſſe opus animæ proprium, ſed ad corpus & animam communiter attinere? Neque moleſtiam exhibeat, quòd Ariſtoteles tribuat animæ actum intelligendi, quoniam non ſic tribuit, vt putet hunc eſſe ipſius propriam muneris functionem, & ſine corpo-

Digitized by Google

comparatum eſt, vt in rebus percipiendis ſemper progrediamur ex ijs, quæ nobis ſunt nota ac manifeſta, ad ea, quæ nobis ſunt obſcura & immanifeſta, & muneris functio eſt multò notior ſubſtantia, ex qua fluit & manet. Hinc Ariſtoteles in lib. 1. de anima 12. ſtatuit non ex animæ ſubſtantia eſſe inquirenda ipſius accidentia, ſed ex his comparandam eſſe animæ ſubſtantiæ cognitionem. Itaque voluit iudicium ferendum eſſe, nunquid anima ſit ſeparabilis, vel inſeparabilis à corpore, ex eo, quòd habeat, vel non habeat opus proprium, & nunquã aſſeuerauit ex eo, quòd anima poſſit ſeparari, vel non ſeparari à corpore, colligendum eſſe, necne illi tribuendum ſit aliquod opus proprium. Poſtremò cùm muneris functio nihil aliud ſit, quàm forma ſeſe patefaciens, par eſt, vt vbi eſt functionum diuerſitas, ibi quoque ſit formarum varietas, quapropter quoniã intelligentia per eſſentiam abſque phantaſmatis longè diuerſa eſt ab ea, quæ non fit ſine phantaſmatis, efficitur, vt natura noſtræ mentis cum corpore copulatæ longè alia ſit, atque ea, quæ eſt eiuſdem, cùm in ſe manet, & eſt in numero mentium ſeparatarum; quod an ſit ferendum, conſiderent hi Auerrois amatores. Altera reſponſio eſt, quòd cùm ponitur mentem eſſe ſeparabilem, hoc non ita eſt accipiendum, vt mens aliquando per ſe abſque vllo corpore poſſit conſtare, ſed nihil aliud ſignificatur, quàm mentem non eſſe ex corpore pendentem, tametſi huic ſemper ſit coniuncta, neque cum corpore intereuntem, ſed æternam, ſemperque manentem, quamuis hic vel ille homo intereat. Hanc reſponſionem accuſant Alexandrei, quia illius fundamentum, quod eſt mentem noſtram eſſe vnicam in cunctis hominibus infirmiſſimum eſt, & non facit cum Ariſtotele. Deinde inſeparabile, quod tribuitur animæ nullum opus proprium habenti, eſt aduerſum ſeparabili, quod eidem tribuitur in nullo proprio opere verſanti: atqui nemo non fatetur hoc ſeparabile ſignificare animam poſſe ab eo corpore ſeparari, in quo fungitur proprij muneris functione: ergo & inſeparabile ſignificabit animam non poſſe ab eo corpore diuelli, in quo nullam exercet proprij muneris functionem: & quod ſequens eſt hoc intereunte ipſam non poſſe incolumem manere. Et ſanè ſi vera eſſet horum reſponſio & explicatio,

animam nullam habens proprij muneris functionem ſimul eſſet ſeparabilis & inſeparabilis, quod non cohæret cum verbis Ariſtotelis. Inſuper vult Ariſtoteles animam noſtram & mentem humanam non poſſe à corpore ſeparari noſtra intelligentia exiſtente vel functione facultatis imaginatricis, vel non abſque huiuſmodi functione: verùm ſi intelligentia ſit functio imaginatricis, mens non poterit à corpore ſeparari, quia in hoc penitus erit infixa, nec habebit naturam & eſſentiam per ſe conſtantem, quandoquidem inter ipſam & vim imaginandi nihil prorſus intererit: ergo eadem ratione, eodemque modo anima noſtra & mens non poterit à corpore ſeparari, ſi intelligentia non ſit abſque functione imaginatricis. Et ſanè cùm actio, muneriſque functio ſit initium, ex quo ducimur in cognitionem formæ, à qua proximè fluit, non ſecus de ſtatu & natura formæ iudicandum eſt, ac ipſius actio declaret: alioquin ſi aliter ſentiatur, nulla erit via perueniendi in latentium formarum cognitionem: ergo quia noſtræ mētis functio de ſententia Ariſtotelis ex corpore pendet, eiuſdem quoque modi inducenda eſt illius natura.

Propoſitum Alexandri argumentum diluitur, & nunquid anima à corpore ſeparata poſſit intelligere.

Cap. XLII.

HOc Alexandri argumentum, quo concluditur animam à corpore non poſſe ſeparari, quia illius nullū eſt opus in quo obeundo corporis ſocietas repudietur, ſolutu quidem eſt difficile, cæterùm ſolutio nō eſt deſperanda. Huius firmitas in duabus conſiſtit enunciationibus ſcriptis in prooemio lib. 1. de anima, quarum altera eſt: Si animæ operum aliquod eſt ipſius proprium, fieri poteſt, vt ipſa anima ſeparetur: altera, Si animæ operum nullum eſt ipſius proprium, anima non eſt ſeparabilis. Omnes explicatores in ha-

in harum enunciationum explicatione ſentiunt in his animæ à corpore ſeparationem Ariſtoteli propoſitam eſſe, velleque Ariſtotelem, vt hinc intelligatur illud, quod ab omnibus ſummopere eſt expetitum, nunquid ſcilicet anima noſtra ſit mortalis, an immortalis. Hanc communem explicatorum opinionem exiſtimo ab Ariſtotelis ſentẽtia abeſſe, & cur exiſtimem, illud facit, quia Ariſtoteles vult conſiderationem, vtrum omnia animæ opera ſint communia cum eo, quod habet animã, an aliquod ſit ipſius animæ proprium, conferre ad percipiendam naturam & ſubſtantiam animæ: quapropter cùm Ariſtoteles his in libris animam contempletur in eo, quòd eſt principium & forma animalium, & quæſtio de animæ immortalitate nullum habent momentum ad naturam & eſſentiam animæ hoc modo conſideratæ percipiendam, & propterea fuerit ab Ariſtotele neglecta, exiſtimandum eſt Ariſtotelem in his enunciationibus non habere propoſitam animæ à corpore ſeparationem. Ego arbitror Ariſtotelem ſibi eam ſeparationem propoſuiſſe, quæ fuit à Platone tributa animæ in corpore exiſtenti: Etenim hic ſenſit animam noſtram ſic eſſe in corpore, vt non ſit forma & aliquid ipſius, ſed per ſe cohæreat ab ipſo ſeparata, ipſoque ſolùm vtatur, non ſecus ac nauta nauigio. Hæc autem conſideratio de animæ operibus multùm facit ad cognoſcendam ſubſtantiam & naturam animæ noſtræ in eo, quòd in nobis ponitur, nam ſi anima habuerit opus proprium, quod ipſi ſoli tribuatur, erit ſeparata, perindeque in nobis erit, ac nauta in nauigio; ſin verò non habuerit vllum opus proprium, ſed omnia eius opera ſint communia cum eo, quod habet animam, huicque tribuantur, non erit ſeparata, ſed erit aliquid & forma corporis; quippe cùm per ipſam hæc opera exerceantur, ipſa ſic horum erit principium, vt non ſit illud, quod verè ac propriè hæc obit, quod eſt aliquod integrum per ſe conſtans, & non aliquid alterius, ſed id, quo primùm hæc effunduntur, quo nihil aliud eſt, quàm forma illius, cui hæc opera tribuuntur. Itaque dum concluditur animam non eſſe ſeparabilem, quia nullum opus cernitur animæ proprium, nihil aliud concluditur, quàm animam non ſic eſſe in nobis, vt ſit ſeparata, & eo pacto, quo nauta eſt in nauigio, quod animo libe-

ben-

Digitized by Google

bentiſſimo concedimus: Et verò ſi anima intelligens eſt aliquid noſtri,& forma noſtra,hinc minimè conficitur eam non poſſe manere corpore diſſoluto, quandoquidem ſupra declaratum eſt haudquaquam eſſe naturæ formæ aduerſum poſt id, cuius eſt forma manere. Verùm aduerſarij nos vrgebunt,quia tametſi fuerit conceſſum hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam in his enunciationibus, argumentum tamen Alexandri adhuc viget. Reſpondeo ex noſtra interpretatione apertum eſſe has Ariſtotelicas enunciationes perperam ſumi,vt animis noſtris eripiatur immortalitas, & argumentum Alexandri ruere, quoniam anima noſtra à corpore ſeparata non eſt expers intelligentiæ,nam cùm vis intelligendi ſic propria ſit animę, vt corporis nullo pacto ſit communis, & corpore diſſoluto animę natura & eſſentia maneat integra, non eſt, vt ſeparatio à corpore efficiat in anima huius poteſtatis iacturam; quamobrem non eſt verendum,ne illa ſit otioſa, ſi poſt corporis obitum maneat.

Alexandreorum inſtantia repellitur,animaque à corpore ſoluta intelligit non pendens ex phantaſmatis.

Cap. XLIII.

AT inſtant Alexandrei: Si anima à corpore ſeparata fungatur munere intelligendi,aut ſine phantaſmatis,aut his miniſtrantibus in hoc verſabitur;ſed nequit fieri,vt phantaſmatis vtatur, quia hęc nõ ſunt ſine corpore, in quo hęrent, & anima ab omni corpore ſoluta ponitur; nec pręterea ſine phantaſmatis poteſt hoc munus obire, tum quia Ariſtoteles in lib.3.de anima 30. induxit animam nunquam ſine phantaſmatis intelligentem; tum etiam quoniam cùm varius modus, quo muneris functio perficitur, ſignificet eſſentię & naturę varietatem,anima aliam naturam haberet corpori copulata, & aliam à corpore ſeparata; non igi-

igitur anima à corpore diſiuncta poteſt quippiam intelligere. Atque iſtud quoque Ariſtoteles ſignificauit in lib. 3. de anima 20. cùm ſcripſit nos poſt mortem non reminiſci, quoniam mens patibilis corrumpitur, & ſine hac nihil intelligitur ab anima. His ita occurrimus: Anima ſeparata à corpore ſine phantaſmatis intelligit, quo autem modo mens phantaſmatis non vtens intelligat, ex his, quæ ab Ariſtotele fuerunt in ſcriptis relicta, intelligi non poteſt. Cùm enim Ariſtoteles nunquam fuerit animam contemplatus à corpore ſeparatam, nec etiam neceſſe habuit quicquam dicere de modo, quo anima à corpore ſoluta actum intelligendi exercet: Quòd autem Ariſtoteli non diſplicuerit animam noſtram à corpore ſeparatam ſine phantaſmatis intelligere conijci poteſt ex conſideratione, quæ in lib. 3. de anima 36. proponitur, quæque eſt, nunquid anima non ſeparata à magnitudine queat quippiam eorum intelligere, quæ ſunt ſeparata; his enim videtur ſignificare animam à corpore ſeparatam intelligere ea, quæ ſunt ſeparata: cùm autem in his intelligendis nequeat vti phantaſmatis, quia eſt à corpore ſoluta, hæc ita intelliget, vt nulla phantaſmata intueatur. Quinetiam Auerroi (vt interim Auicennas omittatur ſentiens mentem noſtram, cum primùm facta eſt vnumquodque, nec ſecus ſe habet, atque is, qui dicitur habitu ſciens per ſe ipſam abſque phantaſmatis contemplari) non eſt abſurdum noſtram mentem, vbi fuerit vniuerſam ſuam perfectionem conſequuta, ipſique mens efficiens pleniſſimè fuerit copulata, ſic intelligere, vt nullis vtatur phantaſmatis, & hunc noſtræ mentis ſtatum is putat Ariſtotelem habuiſſe in animo propoſitum, cùm in lib. 12. poſtnut. 39. ſtatuit nos in degenda illa optima & præſtantiſſima vita, qua motor primus perpetuò fruitur, tempus ſatis breue ponere. Quòd ſi Alexander referente & approbante Auerroe ſub exitum tract. 4. epit. philoſophiæ poſt naturalis ſenſit cœleſtia corpora cognoſcere ſenſibilia alia ratione, quàm ſenſu, quod quoque voluit Themiſtius in lib. 3. de anima cap. 73. non intelligo, cur mens, animaque noſtra à corpore ſeparata non poſſit alia ratione, quàm per phantaſmata in intelligendi munere verſari. Nec verendum eſt, ne varia ſit animæ natura, ſi varius ſit intelligendi modus,

quo-

quoniam intelligendi opus ſimpliciter ſequitur naturam intelligentem;quòd autem hoc non eadem ratione perficiatur, ex modi varietate proficiſcitur, quo natura intelligens actu exiſtit,non enim eſt improbabile, quod vnam, ſimplicemque naturam habet, id vario modo ſe habens varia ratione ſuum munus peragere: quocirca cùm anima, menſque noſtra vario modo exiſtat corpori coniuncta, & à corpore ſegregata, non eſt,vt cuique mirum videatur ſi eandem naturam retinens accipit in modo intelligendi varietatem. Et quamuis Ariſtoteles in lib. 3. de anima 30. ſtatuerit animam non intelligere ſine phantaſmatis, hoc tamen ſtatuit, quia animam corpori coniunctam contemplabatur,& hæc quandiu corpus animat,tandiu phantaſmata poſtulat ad ſuum munus obeundum. Neque cùm ſcripſit nos non reminiſci,vſurpauit illud, poſt mortem, ſed hoc abſtinuit, & quid animo ſentiebat, idoneo loco expoſuimus. Meritò autem anima ſoluta à corpore non vtitur intelligendi ratione, quæ ipſi erat vſui, cùm corpus hoc animabat, quoniam cùm nulla res fungatur ſuo mùnere, niſi qua ex parte actu exiſtit,par eſt, vt ratio & modus, quo quippiam ſuo in munere verſatur, modum ſequatur & rationem, qua eſt in rerum natura;ergo quia modus ille,quo anima in corpore exiſtit, diuerſus eſt ab eo, quo eadem manet à corpore diſiuncta, conſentaneum eſt animam à corpore diſſociatam non eodem vei intelligendi modo, quo iuncta corpori vtebatur: Intelligit verò anima quandiu corpus informat per conuerſionem ad phãtaſmata, neque fieri poteſt, vt ſine his rerum quippiam intelligat, non quidem propter originis peccatum, vt cenſet Scotus in lib. 1. ſent. diſt. 3 quęſt. 3. nam Ariſtoteles, qui nullam huius peccati notitiam habuit, perſpicuè voluit nos abſque phantaſmatis nihil poſſe intelligere, ſed quoniam hæc eſt natura noſtræ mentis,vt dum anima eſt in corpore,non poſſit in ſuo munere verſans non aliquo pacto ex corpore, & ex phantaſmatis pendere. Etenim cùm anima noſtra in eo, quòd eſt principium intelligendi & ratiocinandi ſit hominis forma,neceſſe eſt,vt intelligendi actus tribuatur homini,qui eſt id,quod propriè, verèque exiſtit, atqui ſi actus hic nullo pacto ex corpore penderet,is eſſet ſolius animæ,nec cum homine communica-

nica-

nicaretur. At vbi anima noſtra eſt à corpore ſeparata, alium ſibi aſciſcit intelligendi modum, & ſine phantaſmatis, quorum ſedes in corpore eſt, ſuam ex ſe fundit intelligentiam. Cum ratione autem conſentit animam noſtram non corpori coniunctam ſine phantaſmatis intelligere, quoniam cùm corpori copulata partim ſit materiata, quippe quæ corpus animat, & in materia eſt, & partim immateriata, quandoquidem, vt ſit, non pendet ex corpore & materia, atque ſeparata à corpore nullam habeat cum corpore & materia communionem, conſentaneum eſt, vt corpori coniuncta ſic fungatur ſuo munere, vt ex corpore pendeat, & non pendeat aliquo pacto, & a corpore ſeparata ſic ſuum munus exequatur, vt nullum omnino deſideret corporis auxilium: etenim functio muneris, quę fluit ex ſubſtantia, perpetuò illius eſt modi, cuius eſt ſubſtantia, & natura, hancq; perpetuò imitatur. Quapropter quoniam anima noſtra corpori copulata in actu intelligendi eatenus ex corpore pẽdet, quatenus vtitur phantaſmatis, & eatenus non pendet, quatenus nulla vtitur corporis parte tanquam inſtrumento, profectò ſeparata à corpore, quia prorſus eſt immateriata, ſine phantaſmatis intelligendi munus obibit. Quoniam verò in eius natura, quatenus eſt anima, ſitum eſt corpus animare, & ipſius naturæ alienum eſt ſine corpore manere, conficitur, vt ratio intelligendi cum phantaſmatis ſit animæ, vt anima eſt, naturalis, & ratio intelligendi abſque phantaſmatis ſit eius naturæ aliena. Cæterùm intelligendi modus abſque phantaſmatis quanquam ab animæ natura abhorreat, huic tamen non eſt perniciosus, ſed ſalutaris, & afferens perfectionem, nec ſecus ſentiendum eſt de eo, ac nonnulli ſentiant de motu, quo ignis in orbem conuertitur: Enimuero quemadmodum huic corpori ſimplici duo motus fuerunt ab his tributi, quorum altero, qui propriam ipſius naturam ſequitur, euolat in ſublime; altero, qui naturam ipſius excedit, ipſique fuit conceſſus, qua ex parte cum cœlo habet cognationem, agitur in orbem, haud diſſimiliter anima noſtra duos obtinuit modos intelligendi, alterum ſuæ naturæ familiarem non ſine phantaſmatis, alterum abſque phantaſmatis ſupra ſuam naturam, & in eo, quòd eſt particeps naturæ ſubſtantiarum à

materia ſegregatarum. Quòd ſi quiſpiam dubitet, quoniam cùm modus intelligendi ſine phantaſmatis ſit altero ex phantaſmatis pendente multò præſtantior, conficitur, & quod eſt animæ non ſecundum naturam, id eſſe præſtabilius eo, quod eidem ſecundum naturam tribuitur; & animam in ſtatu ſuæ naturæ alieno multò perfectiorem obtinere intelligendi modum, quàm in ſtatu ſuæ naturæ familiari; reſpondendum erit non ſemper quod alicui non ſecundum naturam eſt impertitum, id eſſe deterius eo, quod eidem fuit ſecundum naturam conceſſum; neque abſurdum eſſe quodpiam tenens ſtatum ſuæ naturæ alienum verſari in opere, quod ſit præſtabilius eo, quod exercet poſitum in ſtatu ſuæ naturæ cognato: atque horum fidem ſumi poſſe & ex igne, qui non ſecundum naturam cietur motu circulari, qui nobilitate anteſtat motum, quo in ſublime fertur ſecundum naturam; & ex aqua, quæ vbi præter naturam incaluit, munus obit calefaciendi, quod eſt prçclarius refrigerandi munere, quod ipſi fuit à natura datum. Neque cenſeatur improbabile animam in ſtatu ſuæ naturæ alieno præſtantiorem ſibi vendicare intelligendi modum, quoniam anima ſi ea ratione inſpiciatur, qua eſt intelligendi & contemplandi principium, eſt multò perfectior, cùm eſt à corpore ſeparata, quàm cùm corpori eſt copulata: huius ea eſt ratio, quia anima vt huiuſmodi excedit materiam, & ſupra hanc ſeſe attollit, quocirca quò magis eſt à corpore ſeparata, ipſa in eo, quòd eſt principium intelligēdi & contemplandi ampliorem habet perfectionem, poteſtque vti modo intelligendi perfectiore. Illud autem eſt attendendum, quòd ſi anima nulla huius, quod eſt eſſe principium intelligendi & contemplandi, habita ratione ſimpliciter & abſolutè ſpectetur, vt eſt anima, hçc multò perfectior eſt corpori coniuncta, quàm à corpore ſoluta, atque huius id eſt argumento, quòd anima vt anima eſt pars hominis, & pars toti coniuncta eſt perfectior, quàm à toto ſeparata, quandoquidem toti copulata ſit particeps eius, & reliquarum partium perfectionis, quam deperdit, vt primùm à toto diſiungitur. Accedit animam, vt animam eſſe hominis formam, & id, quo homo eſt illud ipſum, quod eſt: atqui vnumquodque multò perfectiùs ſe habet, cùm fungitur munere ſibi iniun-

Digitized by Google

iniuncto, vt huiuſmodi eſt, quàm cùm eſt in otio, & à ſuo munere feriatum; ergo quia anima niſi corpori copulata fungitur officio formæ, relinquitur hanc eſſe præſtantiorem, cùm eſt in corpore, quàm cùm ab hoc eſt ſeparata. Poſtremò anima noſtra non ſolùm eſt intelligendi principium, ſed præterea munera alia poteſt exercere: ergo quia in corpore anima exiſtens in ſuis omnibus verſatur operibus, & ſine corpore conſtans a multis ſuis officijs eſt feriata, exiſtimandum eſt animam noſtram ex corporis ſocietate ampliorem ſibi vendicare perfectionem, quàm ſibi afferat à corpore ſegregata. Ex his intelligitur animam noſtram, vt anima eſt, natura comparatam eſſe corpus animare, & in hoc eſſe, præter autem naturam ipſi datum eſſe à corpore diſiungi, & ſine corpore manere: corpus enim animas, & in corpore exiſtens totam & integram tenet ſuam perfectionem in eo, quòd eſt anima, & re ipſa eſt anima fungens animæ, formæque muneribus; à corpore autem ſoluta ſuæ perfectionis iacturam facit, nec niſi nomine forma & anima exiſtimatur. Cæterùm licèt ſtatus ſine corpore ſit animæ alienus in eo, quòd eſt anima, attamen ſi animæ natura, non vt anima, ſed ſimpliciter & abſolutè ſpectetur, putandum eſt hanc vt huiuſmodi aptè natam eſſe nunc corpori coniunctam, & nunc à corpore ſeparatam æuum traducere; & hoc quidem ratione optima, nam cùm natura animæ duo ſibi vendicet, alterum, vt ſit id, quo homo eſt hoc aliquid, hoc eſt, vt ſit anima formaque hominis; alterum, vt per ſe, ſuiſque viribus ſubſiſtat, neque ex corpore pendeat, propter primum ita eſt facta, vt ſit apta cum corpore inire ſocietatem, & in hoc vitam ducere; propter alterum conſequuta eſt, vt corpore diſſoluto poſſit manere, naturamque habeat accommodatam ad excipiendum ſtatum à corpore ſeparatum. Itaque ſi natura animæ ſimpliciter, & abſolutè inſpiciatur, hæc non magis in hunc, quàm in illum ſtatum inclinatione propendet parata vtrumque ſtatum non quidem ſimul, ſed ſucceſſione admittere. Sed de his hactenus, quæ multò doctiùs, multòque vberius à noſtris Theologis tractantur.

Quinque priora Alexandreorum argumenta mentis noſtræ immortalitatem oppugnantia diluuntur.
Cap. XLIV.

ALexandri argumenta confutauimus, deinceps momenta eorum, quæ ab Alexandreis addita ſunt, diligenter examinabimus. Primum argumentum vim non habet, tum quia actus intelligendi non animę, ſed homini tribuitur, nam hic verè propriéque intelligit, & anima eſt principium, quo intelligit homo lib. 1. de anima 64. qua e re hinc duntaxat colligitur hominem ſeculis immortalibus non manere, quoniam actus intelligendi, qui huius eſt propria muneris functio, non eſt ſempiternus; tum etiam, quia in lib. 2. de cœlo conſentaneum non eſt illud corpus æternitate contineri, cuius ſecundum naturam motus non poteſt eſſe perpetuus: & actus intelligendi tametſi perpetuus non ſit in anima corpus animante, non eſt tamen huiuſmodi, vt ſua natura reſpuat perpetuitatem, quam planè tenet in anima à corpore ſeparata. Quod aſſumitur in ſecundo argumento videlicet nullum æternum eſſe caduci corporis formam, id in loco recitato haudquaquam legitur, & ſi legeretur, illud eſſet ita accipiendum, vt ſententia eſſet. quod eſt ſempiternum eo pacto vt per ſe, ſuiſque viribus conſtet ab omni magnitudine diſiunctum, ſitque integra, & non dimidiata natura, veluti eſt Platonis idea, id non eſt forma corporis caduci: at anima noſtra eſt quidem perpetua, verùm non eſt forma, niſi corpori copulata, neque eſt natura ſimpliciter integra, ſed aliquo pacto dimidiata. De tertio dicendum eſt generationem & interitum non eſſe congregationem, & ſecretionem corporum indiuiduorum, quod Democritus, & Democritei aſſeuerabant, nam ſegregatione & concretione in his corporibus indiuiduis nulla efficitur mutatio, quæ ſubſtantiam attingat: at cùm anima noſtra a corpore diſcedit, in ſubſtantia ſit mutatio, & corpus deſinit eſſe illud ipſum, quod erat antè, ac vetere nomine, vetereque diffi-

diffinitione deperditis nouo nomine appellatur, nouaque diffinitione explicatur. Quartum argumẽtum diluitur, quoniam cùm formarum, quæ poſſunt ſtatui principia generationis corporum naturalium, aliæ ſint per ſe conſtantes ab omni materia ſecretæ, nimirum ideæ, & aliæ in ijs, quæ generantur inſint, priorum conſideratio reijcitur, & de poſterioribus dicendum eſſe proponitur ſub exitum lib. 1. phyſ. has autem Ariſtoteles vocat corruptibiles, non quia corrumpantur, nam generatio & corruptio propriè ſunt ſubſtantiæ compoſitę, ſed quoniam formam corpora corruptibilia, nec perpetuò ſunt horum formæ. In lib. autem 2. eiuſdem operis 26. philoſophus naturalis non contemplatur formas ſeparabiles, hoc eſt formas, quæ per ſe conſtant a materia ſecretæ, ſuntque integræ ſubſtantiæ, veluti ſunt ideæ, nã de his docere munus eſt primi philoſophi; itaque cùm anima menſq; noſtra non ſit huiuſmodi, hanc contemplabitur philoſophus naturalis. Nec moleſtiã exhibeat, quòd huic in loco recitato illæ formæ fuerint ab Ariſtotele tributæ, quæ hærent in materia, & ratione tantùm ſunt ſeparabiles, quoniam anima humana in eo, quòd eſt hominis forma, quo pacto cadit in naturalis philoſophi conſiderationem, materiæ & corpori re ipſa eſt coniuncta, nec niſi ratione & mente a corpore diſiungitur. Equidem anima noſtra apta eſt, vt re ipſa a corpore ſeparetur, verùm vt primùm fuerit ab hoc diſiuncta, hominis forma & anima eſſe deſinit. Nec præterea negotium faciat, quòd in eodem lib. 71. quæcunque mouent, & non mouentur, ea non cadant in naturalem conſiderationem, quia hoc in loco mouentia illa aſſumuntur, quæ ſunt motus cauſſæ principes, & non ea, quæ ſunt principia, quibus propriè mouentia, cauſſæque principes mouent, cuiuſmodi ſunt animæ noſtræ. Hæc ſola aſſumi illud perſuadet, quoniam eadem ratione philoſophus naturalis non contemplaretur formas & animas brutarum animantium. Quòd ſi aduerſarij dixerint has per accidens moueri, ego quoque aſſeuerabo noſtram animam per accidens moueri, quia eſt humani corporis forma, quæ non poteſt non moueri, cùm homo mouetur. Quòd ſcribat Pomponatius philoſophum naturalem poſſe quidem verſari in contemplandis formis ex mate-

ria

ria non pendentibus, verùm has intueri in eo, quòd ſunt principia, atque iſtud intereſſe inter ipſum & primum philoſophũ, qui has contemplatur tanquam id, quod primùm ſubijcitur ſuæ conſiderationi, & ſubiectũ ipſius appellatur; qua e re cùm philoſophus naturalis animam mentemque noſtram contempletur tanquam partem ſui ſubiecti, hanc eſſe eijciendam ex numero formarum e materia non pendentium: hoc mihi à vero videtur abeſſe, nam cùm ſit primi philoſophi contemplari primas cauſſas, primaque principia eorum, quæ ſunt, atque formæ à materia ſeparatæ ſint huiuſmodi cauſſæ & principia, ille ſic in his perſpiciendis erit poſitus, vt has comprehendat qua ex parte ſunt primæ cauſſæ, primaque principia. Nec philoſophus naturalis animam mentemque noſtram intuetur veluti partem ſui ſubiecti, ſed hanc inſpicit tanquam principium & formam hominis, qui eſt ſpecies corporis naturalis, quod conſtituit naturalis philoſophiæ ſubiectum; Sed hæc notiora ſunt, quàm vt egeant prolixa declaratione. Vt quintum argumentum tollatur, notandum eſt Ariſtotelem in illa poſtrema diſputatione lib. 1. de cœlo corpora naturalia habere propoſita, quorum propriè eſt generatio & corruptio, atque docere fieri non poſſe, vt corpus, quod ſuæ generationis habuerit principium, non aliqñ intereat: Huius autẽ duę vel maximè ſunt rationes; altera, quæ initio diſputationis ab Ariſtotele explicatur, quia cum ex ijs conſtet, quæ aliter poſſunt ſeſe habere (non enim ſi hæc aliter ſe habere non potuiſſent, id factum fuiſſet) neceſſe eſt ex his conſtitutum aliquando diſſolui: Altera, quæ propria & naturalis eſt, vt idem ſcribit ad calcem diſputationis, quoniam quæcunque corpora generantur, ea omnia ſunt alterabilia, alterationeque generantur, & omnis alteratio ex contrario in contrarium progreditur; quapropter quoniam hæc habent contraria, quorum effectione orta ſunt, horum contrariorum opera neceſſe eſt, vt aliquando labantur in interitum. Hoc itaque cùm ita ſit, non eſt, vt hæc diſputatio tribuat mortem & interitum animæ noſtræ, quæ nõ eſt corpus, quæque oritur, cùm antè non ſit, non ex quopiam, quod poteſt aliter ſe habere, ſed ex nihilo abſque generatione, & rei contrarium habentis effectione. Cùm Alexandrei nos

exagi-

exagitant, quòd ea ſola ſunt à philoſophis ponenda, quæ in omnibus, aut pleriſque cernuntur, & vniuerſa, quæ fiunt, videntur ſtatutis temporibus interitum excipere, reſpondemus ſola corpora à nobis conſpici, atque horum quæcunque ſunt generata, ea omnia interire. Cùm rurſus ſubiungunt Ariſtotelem hac de re vniuersè diſputare, eaſque afferre argumentationes, quæ ad mentem, & ad animam noſtram poſſunt accommodari, his occurrendum eſt Ariſtotelem vniuersè quidem inſtituiſſe diſputationem, verùm in ſolis corporibus verſari, neque vlla vti argumentatione, quæ animam, mentemque noſtram ſollicitet, nam quæ in tex. 130 explicatur, hæc nulla moleſtia afficit mentem noſtram, cuius tempus eſt finitum, quippe quæ in tempore eſt corpori coniuncta, & à corpore ſeparata nullam vim temporis ſentit: non enim tempus eius eſt authoritatis, vt ſubijciat ſibi ſeparata à magnitudine, & motus mutationiſque expertia: Atque in hanc ſententiam Simplicius in lib. 8. phyſ. com. 101. ſtatuit primum motorem mouere in non tempore, quoniam cùm ſit immobilis & ſubſtantia, & operatione, eius operationes poſſunt videri temporis expertes, & ſupra tempus poſitæ. Quod de Xenophane ac Panætio dicitur, id nos minimè angit, qui Ariſtotelis, & non eorum dogmata inueſtigamus. At verò modus procreationis abſque motu & mutatione conſentiat eam Ariſtotelis doctrina, non eſt ſine conſideratione relinquendum.

Ari-

Ariſtoteles non ignorauit quædam fieri poſſe abſque motu & mutatione, quo pacto ſit anima humana, cum antè non eſſet.
Cap. XLV.

ARiſtotelem non ignoraſſe quædam poſſe fieri abſque motu & mutatione ipſemet teſtis eſt locupletiſſimus in lib. 8. phyſ. 46. vbi ſi quippiam impartibile aliquando eſt, & aliquando non eſt, hoc neceſſe eſt eſſe, & non eſſe ſine generatione & corruptione, atque omnino ſine motu & mutatione. Noſtra igitur anima, & mẽs cùm ſit, quæ antè non erat, atque ſit impartibilis, profectò erit abſque generatione, quod præterea hoc modo declaratur. Generatio & creatio ſunt rei per ſe ſubſiſtẽtis, quod enim in alio cohæret, illius nec eſt generatio, nec creatio: itaque formarum materiatarum, quæ non per ſe cohærent, & in materia ſunt infixæ, non eſt generatio aut creatio, ſed hæ in actum erumpunt, & abeunt ſine generatione & corruptione, vt teſtatur Ariſtoteles in lib. 8. poſtnat. 14. Cùm igitur anima mẽſque noſtra ſit natura per ſe ſubſiſtens, neque materiæ adminiculo egeat ad ſe ſuſtentandam, quemadmodum reliquæ animæ, quæ ratione carentibus fuerunt tributæ: quippe quæ maneat corpore diſſoluto lib. 12. poſtnat. 17. hæc fiat, cùm antè non ſit, aut generatione, aut creatione eſt neceſſe; ſed cùm nequeat fieri, vt huius ſit generatio, concludendum eſt hãc creatione oriri. Noſtram animam non excipere generationem ſic confirmatur. Si quid generatione in lucem eſt edendum, tria debent ſemper intereſſe lib. 12. poſtnat. 12. vnum eſt cauſſa, cuius eſt vis efficiendi, alterum eſt materia, quæ patitur, & ex qua, cùm inſit, id, quod cuius eſt generatio, conſtituitur; tertium eſt forma, quæ eſt finis & extremum generationis: Ex his conficitur, quicquid generatur, id ex materia & forma compoſitum eſſe, quod quoque ſcriptum eſt in lib. 1. phyſ. 64. Cùm igitur anima noſtra ſit penitus ſimplex, neque ex vlla forma, materiaque compoſita, conſtat hanc non poſſe generatio-

ratione in lucem erumpere, & quod relinquitur, ſolùm procreari. Nec quiſpiam commoueatur, quòd anima noſtra oriatur in materia, & propterea non eſſe ex nihilo, & ſine materia videatur, nam quamuis niſi in materia probè affecta, aptaque & accommodata ad ipſam excipiendam non procreetur, quãdoquidem eſt forma, parſque hominis, attamen non fluit ex materia, veluti formæ materiatæ, neque materiam, vt producatur, ſic requirit, vt ſine hac non poſſit oriri, ſed eadem vi & facultate, qua fit in materia, poſſet quoque ſine materia & extra materiam fieri, cùm per ſe ſubſiſtat, neque à materia fulciatur naturam habens immortalem, & aliunde non pendentem. At obijciunt Alexandrei motum tanti factum eſſe ab Ariſtotele, vt ſine ipſo neque cauſſam effectricem, neque poteſtatem agendi vnquam definiuerit, & niſi materia in rei cuiuſque productione poſtuletur, argumenta ruere, quibus oſtẽditur ſub exitum lib. 1. phyſ. materiam non eſſe generatam, & ſub initium lib. 8. eiuſdem operis motum non eſſe factum, cùm antè non eſſet: Huius obiectionis partem priorem repellimus, quia motus authoritas cernitur in efficientibus cauſſis naturalibus, & in illis poteſtatibus, quæ his fuerunt à natura impertitæ: atque iſtud ſunt, qui arbitrentur fuiſſe ſignificatum initio lib. 9. vbi poteſtas & actus latiùs patent, quàm ea, in quibus eſt motus: nam ſi poteſtas & actus in quibuſdam reperiuntur, in quibus non eſt motus, conſtat cauſſas aliquas effectrices præter naturales ponendas eſſe, quarum ſit abſque motu verſari in officio. Poſteriorem verò partem declinamus, quia materia ad Ariſtotelis ſententiam in cuiuſlibet corporis generatione poſtulatur; quapropter cùm materia naturam habeat corporeã, ſi producatur, ex materia generabitur; & cùm illud omne, quod eſt aptè natum moueri, ſit corpus, hoc ſine motu & materia non producitur. Quòd ſi inſtent Alexandrei initio lib. 8. phyſ. non ſolùm id, quod mouetur, ſed etiam id, quod mouet, ſi ſit, cùm antè non eſſet, motu & mutatione fieri; atque cùm primum mouens ſit impartibile, Ariſtotelem propterea exiſtimare, quicquid ſit, ſiue ſit corpus, ſiue corporis expers, motu fieri neceſſariò, reſpondebo cum Alexandro ipſorum magiſtro primum mouens, quod ab Ariſtotele poſi-

tum eſt impartibile, mouere per modum finis, & non per modum efficientis, quo pacto mouet illud mouens; cuius habetur ratio in Ariſtotelica argumentatione: hoc autem mouens per modum efficientis ſi oritur, cùm antè non eſſet, non poteſt ſine motu oriri, quippe quod eſt corpus; & nullum corpus fit abſque motu & materia ad ſententiam Ariſtotelis. Quod mouet per modum efficientis, id eſſe corpus illud oſtendit, quia hoc non mouet, niſi tangat id, quod mouetur lib. 7. phyſ. 9. & tactus eſt corporum proprius lib. 1. de gen. & int. 44. Corpus nullum fieri poſſe niſi motus auxilio ſit, & niſi aliqua materia ſubijciatur, ſenſus ipſe Ariſtotelem, ac priſcæ ætatis philoſophos pręcipuè docuit, nam nulla corporis generatio cernitur, in qua non ſubijciatur quippiam, quod motu & alteratione formatur in illud corpus, quod generatur. Et ſi adhuc Alexandrei pergant nos vrgere, quia Ariſtoteles Deum induxit tanquam cauſſam communem & longinquam, nec vnquam tradidit ipſum proximè verſari in rebus gignendis, eaſque vires ei conceſſit, quæ finitæ ſunt, quarum non eſt quippiam ſine motu & materia facere; his repugnabimus, quoniam Ariſtoteles in ſcientia naturali ſolas corporum, & eorum, quæ ex his pendent, productiones fuit contemplatus, in quibus Deus tãquam cauſſa communis, & non proximè verſatur. Nunquid verò hic finita, an infinita vi fuerit ab Ariſtotele donatus, magna eſt quæſtio inter Peripateticos, in qua illis penitus accedo, qui ſtatuunt vim Dei eſſe ſimpliciter infinitam, ac totam ſimul in ſeſe collectam, atque in his non dubito Alexandrum extitiſſe. Cæterùm Ariſtoteles tametſi in ſcientia naturali quicquam non tradiderit de authore & origine animæ, mentiſque noſtræ, in ſect tamen 30. probl. dum quærit, cur ſeniores amplius mente valeamus, iuniores ocyus diſcamus, perſpicuè agnoſcit Deum tanquam animæ, mentiſque noſtræ genitorem: nec iniuria ſanè, quoniam anima ſit creatione; & agendi modus, in quo nulla materia ſubijcitur, Dei maximè eſt; & id Philoponus in lib. de mundi æternitate aduerſus Proclum in ſol. 1 x. argumenti inde intellexit, quoniam effector quò eſt maioris authoritatis, eò præclarior eſt ipſius effectio, paucioraque deſiderat, quibus ſuum opus abſoluat: quapropter quoniam

niam cauſſæ effectrices naturales in rebus gignẽdis materiam ex ijs, quæ iam ſunt, ſemper neceſſarioque ſumunt, quippe quę cum materia copulatæ nequeunt abſque materia ſuam efficiendi vim explicare, Deus, qui has infinitè excedit, ſuum opus conficiet ex eo, quod nihil eſt prorſus, nullamque rem ſubiectam poſtulabit in qua antecedente ſua exprimat efficientia. Cæterùm quicquid ſit de hoc Philoponi argumento, incredibilis planè eſt eorum ſtupiditas, qui cernẽtes nullam eſſe apud hominis artem, quæ non indigeat ſubiecta materia, exiſtimarunt Deum non poſſe quippiam ſine materia fabricari mente non aſſequentes quanta ſit Dei & hominum differentia; & quòd fieri non poteſt, vt cauſſis ſecundis, quarum vis eſt finita, is agendi modus fuerit tributus, qui proprius eſt cauſſę principis, cuius virtus nullis finibus continetur; & quòd homo, vt cauſſa ſecũda ex ijs, quæ ſunt, Deus autẽ vt cauſſa princeps ex ijs, quæ nõ ſunt, fabricatur. Hic ſummus rerum opifex nec inſtrumentis, nec materia vlla indiget, ſed quod alijs artificibus eſt & materia, & inſtrumenta, tempuſque præterea, ars, & induſtria, hoc ipſi eſt ſola, vnicaque voluntas, omniaq; procreat, quæcunque vult, ea autem vult, non quæ poteſt, ſed quæ ſatis, idoneaque eſſe ſua ſapientia comprobat. Sed hæc altiora ſunt, quàm vt nos grauis huius corporis vinculis conſtricti attingere poſſimus.

Reſponſio ad ſextum argumentum, & nunquid animæ à corpore ſolutæ ſpecie differant. *Cap. XLVI.*

SExtum argumentum ſequitur, in quo rogantibus Alexandreis an animæ à corpore diſiunctæ ſint eiuſdem ſpeciei, reſpondemus has omnes vni & eidem ſpeciei ſubijci: Cùm hoc oppugnatur, & quia hæ animæ non erunt ortus & interitus expertes, quòd cauſſa, cur in eadem ſpecie multæ res ſingulares poſitæ ſint, in hoc conſiſtit, quoniam hæ ſunt caducæ, ac nequeunt ad numerum perpetuò manere: &

Digitized by Google

quia eædem non erunt liberæ à materia, quæ eſt radix multitudinis ſecundum numerum; priori oppugnationi reſiſtimus, quoniam cùm animæ menteſque noſtræ non propter ſe, ſed propter homines, & vt homines conſtituantur, ſint paratæ, hinc factum eſt, vt hæ quanquam non intereant, in multas numero fuerint diſtributæ, nam homines, quorum ſunt formæ, naſcuntur, & pereunt. Neque mirum videatur æternum propter caducum ſua natura eſſe comparatum, quandoquidem materia, cuius nec ortus, nec interitus eſt, perſpicuè eſt propter ea, in quæ cadunt ortus & interitus: Equidem quod eſt æternum, cùm ſit natura integra, & totam quoddam, hoc nefas eſt gratia illius quod occidit, poſitum eſſe, ſed quod eſt æternum, cùm ſit pars rei caducæ, & natura dimidiata, hoc, quod eſt ignobilius eo, cuius eſt pars, naturam habet, quæ alterius rei gratia eſt conſtituta. Atque hæc quidem arbitror cum Ariſtotelis doctrina conſentire, verùm ſi quis habeat hāc pro nihilo, cum noſtrorum Theologorum pleriſque non dubitabit aſſeuerare non ſemper fragilitatem & caducitatem eſſe cauſſam, cur multa ſub eadē ſpecie indiuidua poſita ſint, nam Angeli, quorum natura eſt immortalis, in eadem ſpecie numerantur plurimi, quod ne alicui dubium ſit, quia D. Thomas ſummus philoſophus ſummuſque Theologus ſecùs videtur ſentire, audiendus eſt Scotus in lib. 2. ſent. diſt. 13. quæſt. 2. hanc aſſeuerationem cùm aliis, tum hoc argumento confirmant. Nullus Angelus ita eſt immutabilis, vt vi diuina non poſſit in nihilum occidere: Fingamus itaque animo vnum Angelum interire, & mox percunctemur, nunquid Deus habeat vim procreādi alterum eiuſdem ſpeciei Angelum: Equidem non eſt, vt negetur, quia cùm vis Dei ſit immenſa, & nihil vnquam damni accipiat, profectò ſi hunc Angelum aliquando procreauit, ſimilem quoque actione repetita poterit procreare. Et verò ſic affirmetur, ecquid eſt, cur altero Angelo ſuperſtite Deus non potuerit hunc Angelum producere? Etenim cùm virtus Dei ſemper & vbiq; ſibi cōſtans ſit, fateri oīno eſt neceſſe, ſi in hac poſitū eſt hoc tempore hunc Angelū facere, in eadē quoq; poſitū fuiſſe tempore ſuperiore eundem procreare. Quòd ſi Angelo ſuperſtite alter eiuſdē ſpeciei pōt

à Deo fieri, exiſtimãdum eſt multos Angelos poſſe ſub eadem
ſpecie cõtineri. Nunquid verò re ipſa Angeli ſint numero mul
ti ſub eadem ſpecie arduum eſt iudicare, ꝙ nulla eſt ratio, quę,
quid ſentiendum ſit, demonſtret; attñ ne fides abrogetur viris
in noſtra religione & doctrina, & ſanctitate clariſſimis, nõ im-
probabile eſt Angelos oẽs vnius eſſe naturæ, vniuſque ſpeciei.
Cauſſæ autem, cur Angelorum & noſtrarũ animarũ ſit innu-
merabilis multitudo, referẽda eſt vel in diuinam bonitatẽ, cu-
ius eſt longè latèq; ſe diffundere, vel in amplificationẽ diuinæ
gloriæ, nõ quidẽ in ipſo Deo, cui nulla poteſt fieri acceſſio, ſed
in nobis & Angelis; id quod D. Aug. videtur ſentire in lib. de
,, Deo diligendo, vbi hæc habet: Ad quid autẽ creata eſt ratio-
,, nalis creatura? Ad laudandum Deum, ad ſeruiendum ei, ad
,, fruendum eo, in quibus ipſa proficit, non Deus. Deus. n. per-
,, fectus, & ſumma bonitate plenus nec augeri poteſt, nec mi-
,, nui. Quòd autem rationalis creatura facta eſt à Deo, referẽ-
,, dum eſt ad Creatoris bonitatem, & ad creaturæ vtilitatem:
,, Cùm igitur quęritur, ad quid facta ſit rationalis creatura, re-
,, ſpondendum eſt propter Dei bonitatem, & creaturę vtilita-
,, tẽ: Vtile nempe eſt ei ſeruire Deo, & frui eo. Factus ergo An-
,, gelus, ſiue homo propter Deum dicitur eſſe, non quia Deus
,, creator & ſummè beatus alterutrius indigeret officio, quia
,, bonorum noſtrorum non eget, ſed vt ſeruiret ei, & fruere-
,, tur eo. In his cùm ſentiat D. Auguſtinus cauſſam, propter
quam facta eſt creatura rationis particeps, eſſe Dei bonitatem,
& huius creaturæ vtilitatem, veri quoque ſimile eſt illum à
quopiam interrogatum, cur hæc creatura fuerit in multas
naturas numero differentes diſtributa reſponſurum fuiſſe, vt
cum pluribus Dei bonitas communicaretur, & plura Dei li-
beralitate fruerentur. Et hactenus de priore oppugnatione;
poſteriori autem repugnamus non admittentes multitudi-
nem ſecundum numerum ſemper ex materia pendere. Sanè
materia eſt cauſſa, cur quæ conſtant ex materia, poſſint eſſe
multa numero, neque fieri poteſt, vt ſine huius diuiſione,
& in multas partes diſtributione multa ſint, ac generentur;
ex quo in libro primo, de cœlo 94. fieri non poteſt, vt ſint,
aut eſſe poſſint multi mundi, quoniam vniuerſam materiam

vnus

vnus ſic complexus eſt, vt nihil materiæ fuerit relictum, ex qua alter fieri, exiſtereve poſſit; cæterùm in ijs, quorum nulla eſt materia, hæc non eſt, nec poteſt eſſe cauſſa, cur multa ſint, neque hoc intelligitur ex argumento, quo concluditur primum motorem, quia eſt ab omni materia vacuus, non eſſe in multos numero diſtributum, nam in hoc argumento materiæ nomine oportet accipere, non materiam, quæ verè propriéque vocatur materia, ſed id, quod multis eſt commune, & alicuius acceſſione arctatur ad ſpecialem, certamque naturam, veluti eſt natura generis, quæ cum ſpeciebus ſit communis, ad has arctatur additis differentijs. Hæc materia nullo pacto eſt ponenda in primo motore, qui eſt actus ſimpliciſſimus, nullamque admittit compoſitionem: at verò ſi primi motores fuerint multi, neceſſe eſt hos habere aliquod commune, in quo conueniant, & aliquid proprij, in quo differant, quòd hoc ijs omnibus datum eſt, quæ ſunt numero multa: Hoc autem cùm ſit abſurdum, neceſſariè concluditur multos non eſſe primos motores. Porrò de radice, ex qua ſpecies in multas naturas ſingulares propagatur, non eadem eſt opinio Scoti & D. Thomæ, variis in locis, quos recitat Capreolus in lib. 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. nam hic putat materiam ſemper eſſe cauſſam, cur multa ſingularia ſub vna ſpecie reperiantur, verùm non vno eodemque modo, nam quandoque cauſſam eſſe tanquam ex qua, veluti in ſubſtantiis compoſitis, quæ in ſuis ſpeciebus multæ numerantur, quia ex materia exiſtunt, & quandoque cauſſam eſſe tanquam in qua, vti in noſtris animis, quæ multæ ſunt numero diuerſæ, non quia ex materia conſtent, ſed quia ſunt in materia. At verò Scotus in lib 2. ſent. diſt. 3. quæſt. 6. ſentit hanc cauſſam eſſe referendam non in materiam, non in formam, neque in accidentia, ſed in quandam proprietatem indiuidualem, à qua natura per ſe definitur, & coarctatur ad ſingularitatem; putatque animas noſtras à corporibus ſeparatas eſſe multas numero ſub eadem ſpecie, quamuis ſint materiæ expertes, quoniam ſingulæ ſingulas habent proprietates indiuiduales, per quas conſequuntur, quòd ſint ſingulares, ac inter ſe numero differentes. Sed quicquid ſit de hac diſcordia, certum eſt inane eſſe hoc Alexandreorum argumen-

tum,

tum, neque hinc confici Ariſtotelem non approbaſſe ſtatum noſtrarum animarum à corpore ſeparatum.

Argumentis Septimo & Octauo quo pacto ſit occurrendum. *Cap. XLVII.*

DE ſeptimo argumento non eſt, vt multa dicantur, quoniam cùm Ariſtoteles nunquam fuerit contemplatus animam noſtram à corpore ſeparatam, ex iis, quæ ſunt ab ipſo tradita, non poſſumus intelligere modum & rationem, qua hæc à corpore diſiuncta fungatur intelligendi munere: Quocirca vt hæc non ignoretur, adeundi ſunt noſtri Theologi, à quibus hic locus de intelligẽtia animæ noſtræ à corpore ſolutæ cumulatiſſimi tractatur. Nec verò aſſeuerare, vt horum plerique affirmant, ſpecies in anima imprimi à ſummo rerum authore, quibus hæc vtatur ad intelligenda ea, quorum ſunt ſpecies, huiuſmodi eſt, vt non cohæreat cum Peripateticorum doctrina, nam in hac quod receptum eſt videlicet à mente ſeparata nihil noui fieri, id ad ea, quæ corporum & materiæ ſunt, duntaxat pertinet, ſententiaque eſt nullum corpus, nihilque quod pendeat ex corpore vel ex materia, à Deo, menteque ſeparata recens fieri; nam hæc omnia motu ac mutatione fiunt, & Deus, menſque beata nullius motus, nulliuſque mutationis eſt principium proximum de ſententia Ariſtotelis. Neque in his Alexandrei nos accuſent, nam ſi conſtans eſt ipſorum opinio Deum eſſe mentem effectricem, cuius eſt, vt iidem ſentiunt, phantaſmata illuſtrare, & quæ in his ſunt poteſtate intelligibilia, facere actu intelligibilia, non eſt, vt nos exagitent aſſeuerantes Deum illuſtrare mentes noſtras à corpore ſeparatas, hiſque tribuere ſpecies, quibus poſſint in intelligendi munere verſari Nec ſecus dicendum eſt de octauo argumento, nam ex traditis ab Ariſtotele non poteſt certò ſciri, qua ratione anima ſeparata à corpore moueatur. Planè hic arbitratur animam non cieri

Digitized by Google

iis motibus, qui ſunt corporum naturalium proprii, nam veteres, qui ſenſerunt animam ſe ipſam mouere, in hanc ſententiam fuerunt adducti, quia animam eſſe corpus, atque principium motus, quo cietur animal, exiſtimabant; qua e re cùm hi ſolos corporum naturalium motus haberent propoſitos, hoſque inſpicerent, ipſos Ariſtoteles caſtigat, monſtratque animam nullo cieri motu: hanc verò intuetur non à corpore ſeparatam, ſed corpus animantem, & in corpore reſidentem. Sed cùm de motione animæ à corpore ſeparatæ nihil fuerit ab Ariſtotele literis conſignatum, pauca nos de hac in medium afferemus, atque paulò altiùs exordium capiemus, vt id, de quo tractatur, facilius apprehendatur.

Anima à corpore ſeparata vim habet ſui ipſius motricem. *Cap. XLVIII.*

PRiſcæ ætatis philoſophi ſic habuerũt perſuaſum, quicquid mouetur, id non eſſe partium & magnitudinis expers, vt ijs omnibus, quæ moueri arbitrabãtur, partes dederint, & magnitudinem adiunxerint: Quauropter quicunque Dæmones adamarunt, ab his Dæmonum natura non ſine corpore fuit introducta, quo Dæmones in Deorum mandatis exequẽdis, & ſuis muneribus obeundis poſſent moueri, gradum ſiſtere, & diuerſa loca peragrare. Hos Origines ſequutus voluit in lib. 2. de principiis cap. 8. Angelos non ſecus, atque homines, ex anima & corpore conſtare, & cum hoc Tertullianus, Lactantius, Baſilius, Athanaſius, Methodius, Auguſtinus, & Bernardus conſenſerunt, qui Angelos cum corporibus coniunxerunt, quæ dixerunt adeo tenuia eſſe, vt fugiant oculorum obtutum, quanquam illius ſint naturę, vt Angelis cùm fuerit collibitum, poſſint craſſeſcere, & in aſpectum cadere. Cæterùm Dionyſius, Ignatius, Gregorius Nyſſenus, Cyrillus Alexandrinus, Chryſoſtomus, Epiphanius, Theodoretus, Hieronymus, Fulgentius, Gregorius Magnus, & omnes ſcho-

ſcholaſtici doctores iſtud dogma, in quo id ſolum ponitur moueri, quod habet magnitudinem, animaduertentes nō ita certum eſſe, vt illius contrarium careat defenſione, Angelos corporis expertes introduxerunt, atque ſine corpore loca mutare, & in varias mundi partes excurrere voluerunt. Ab Angelis verò locum occupari hinc vel maximè intellexerunt: Locus (nunc loci vocabulum accipitur ampliſſimè, neque in eo ſignificatū, in quo nimis preſſè ſumitur ab Ariſtotele in lib. 4. phyſ.) eſt affectio, quæ res omnes ita comitatur, vt nihil poſſit in mundo extare, quod alicubi ſitum non ſit, nam eſt in rebus omnibus quædam ad locum habilitas, quam qui e rebus tollit, ipſas deſtruat, e mundoque eijciat, oportet, quippe quæ ita connexa, copulataque eſt cum harum natura, vt ab hac nullo queat modo diuelli. Verumenimuero quoniam rerum naturę in magna varietate ſunt conſtitutæ, efficitur, vt hæc affectio in cunctis rebus non ſit vnius modi. Et primùm Deus ita locum occupat, vt extra ſe alteri rei nullus locus ſit relictus, atque ſic omnia continet, vt ipſe à re nulla contineatur, nam cùm infinitus ſit, non aliquo definito loco poteſt concludi, ſed latiſſimè patens immenſum ſpacium infinita ſua eſſentia implet, ſicque vno in loco eſt, vt ſimul ſit in omnibus. Quamobrem Ægyptiorum ſapientiſſimi non inſcitè Deum finiuerunt circulum, cuius centrum vbique eſt, circumferentia nuſquam. Deus eſt circulus, quoniam vt in circulo idem ſunt principiū & finis, ſitque ab eodem in idem progreſſus, ita in Deo principium eſt idem, quod finis, ipſeque ſibi ipſi eſt principium & finis, & ſe cùm intelligat, videtur intelligendo ab eodem in idē progredi. Dei centrum eſt vbique, quia Dei omnia ſunt plena, Deuſque omnia permeat, & per cuiuſque rei naturam pertinet. Nuſquam verò eſt Dei circunferentia, quoniam vt ait Athanaſius in lib. 1. contra Sabellicum cap. 2. & nulla eſt loci magnitudo tam ſpacioſa, quæ poſſit Dei magnitudinem excipere, quæque poſſit totam & integram Dei virtutem continere, nam cùm hæc ſit immenſa nullis finibus aut ſpacijs, vt ſcribit Hilarius in pſal. 108. coarctatur. At verò corporibus is locus debitus eſt, qui horum magnitudini eſt æqualis, commodèque poteſt ſuo illa amplexu cohibere. Sed & Angeli, quia

Ii ſunt

ſunt in rerum natura, vimque habent definitam, certis locis continentur, non quidem propriè, & quemadmodum corpora, quòd communis eſt ſapientum conceptio authore Boethio in lib. de hebdom. cap. 1. res corporis & magnitudinis expertes illius modi locum nequaquam ſibi aſſerere, cuius modi eſt is, qui in lib. 4. phyſ. fuit ab Ariſtotele definitus, quippe quę a nullo corpore complectuntur, ſed ex ſimilitudine & proportione quadam. Id vt doctores ſcholaſtici ſignificarent, dixerunt corpora eſſe in loco per circunſcriptionem, dimēſionemve, quòd locus ipſa continet, & quaſi metitur: Angelos verò per definitionem, ſeu deſignationem, quia definitur, deſignaturque hos eſſe hic, vt ibi non ſint. Hic verò locus Angelo tributus non ita anguſtus eſt, vt ſit indiuiduus, nam cùm Angelus in hoc poſſit multa efficere, & moueat corpora, hæc quo pacto moueret? Nec præterea tam amplus eſt, vt totum mundum amplectatur, id quod ſentit Durandus in lib. 1. ſent. diſt. 37. parte 2. quæſt. 1. quoniam ſi Angelus poſſet totum mundum peruadere, & vbique eſſe, nihil inter ipſum & Deum intereſſet, cui ſoli eſſe vbique tribuitur à ſacris literis; Sed tantus eſt, quantus ipſius naturæ congruit, quæ cùm in Angelis diuerſis varia ſit ratione maioris & minoris dignitatis, efficitur, vt variis Angelis varia loci magnitudo ſit attributa, & his quidem magis, illis autem minus ampla, ſingulis verò, vt cuiuſque natura patitur. Nec verò quia natura Angeli eſt indiuidua, in protenſo, amploque ſpacio eſſe non poteſt, nam licèt magnitudinis indiuiduum, vt punctum non poſſit eſſe in ſpacio diuiduo, ſubſtantia tamen indiuidua & expers magnitudinis vim habet ſeſe diffundendi per ſpacium diuiduum, quod ita implet, vt tota & integra in ſingulis partibus contineatur. In hoc autem loco, qui ad Angeli naturam eſt accommodatus, poteſt Angelus, vt ſibi collibuerit, vario modo ſeſe diffundere, & nunc maius, nunc minus ſpacium occupare, ſed nunquam illius limites tranſilire; nam quemadmodum ſubſtantia corporea propter quantitatem, quæ ipſius partes longè, latèque, & altè diffundit, atque ob id cauſſa eſt, vt vna illius pars ſita ſit in vna ſpacii parte, & alia in alia, maius & minus ſpacium occupat, ita ſubſtantia cuiuſque Angeli indiuidua per illam facultatem, qua

libe-

liberè ſolutéque mouetur intra fines illius loci, qui ſuæ naturę eſt aptus, interdum ad maius, & ad minus interdum ſeſe ſpacium admouet, atque ſeſe nunc amplè dilatat, nunc in anguſtum contrahit, & vt libet, huc illucque progreditur, atque ita celeriter, vt Gregorius Ariminenſis in lib. 2. ſent. diſt. 6. quęſt. 3. & quidam alii affirmauerint eum temporis momento poſſe quoque vniuerſum mundum peragrare: Cæterùm etſi minimè ſit diffitendum celerrimam eſſe Angeli progreſſionē, attamen dandum non eſt hanc puncto temporis fieri, ne ſequatur, ſi Angelus temporis momento e cœlis in terram deſcendat medium interuallum tranſeundo, vt is eodem momēto ſit in cęlo, in igne, in aere, & in terra, quod noſtrā excedit cogitationem. Cùm igitur Angeli ſint in loco, motuq; ad locum cieantur, nō eſt, vt noſtris animis à corpore ſeparatis, quarū eadē eſt ratio, quæq; Angelis ſunt & minus præſtabiles & minus à materia ſecretæ, motus in loco adimatur, & præſertím cùm in Ariſtotelis ſchola viri præclari non defuerint, vt Pomponatius & Zabarella, qui cenſuerunt animam per ſe ſolam, & à materia liberam in accretione ad partem additam ſeſe extendere, & in decretione à parte detracta ſeſe retrahere, quod nequit fieri abſque ſui ipſius promotione. Non me fugit ab his exiſtimari hanc animæ extenſionem & contractionem non eſſe verè motum, quia hic eſt corporum temporeque adminiſtratur, & anima eſt corporis expers, huiuſque extenſio & contractio fit temporis puncto; ſed mihi, cui ingenium eſt ſatis tardum, vellem planè declararetur, quo pacto quippiam poſſit ſeſe extendere, ſeſeque contrahere abſque motu, & progreſſione? Nec quicquam facit, quòd motus nō fiat temporis momento, quoniam animæ dilatatio & retractio vtrum poſtulent tempus, an temporis momento abſoluātur, incertum eſt: & cùm accretio ac decretio tempore exerceantur, non videtur improbabile has tempore obiri. Cùm adiungitur motum eſſe propriam corporis affectionem, id aſſumitur, quod in quęſtione poſitum eſt, quodque à multis non abſque ratione reſpuitur. Sed præter hoc animam à corpore ſeparatam loco moueri ex eo nonnulli intellexerunt, quòd quemadmodum immēſitas eſt cauſſa, cur Deus ſit omnino immobilis, nec vllo

 mo-

Digitized by Google

modo loci motione cieatur, ita par eſt naturæ finitatem noſtris animis tributam eſſe in cauſſa, cur hæ poſſint loco moueri, nam, vt ſcribitur in lib. 1. analyt. poſt. cap. 10. ſi negatio cauſſa eſt negationis, affirmatio quoque erit cauſſa affirmationis. His iſtud adijciatur: Quicquid eſt aptè accommodatum multas, variaſque vnius generis formas excipere, id ex harum vna ad aliam poteſt mutari; ſed animæ à ſuis corporibus ſolutæ ſunt illius naturæ, vt in multis varijſque locis poſſint conſiſtere, quandoquidem earum vires ſunt finitæ, nec vbiq; poſſunt eſſe; ergo animæ à corporibus ſegregatæ ex vno in alium locum poſſunt commigrare. Quòd ſi quiſpiam obijciat eſſe in loco non facere cum natura rei à materia & à corpore ſolutæ: & cùm huius virtutis, qua ponitur anima ex ſe moueri, nullum ſignum in nobis appareat, dum anima in corpore exiſtit, non eſſe, vt ipſa temere hac virtutem donetur; obiectiones hæ repellentur, prior quidem, quoniam ſi de multorum & grauiſſimorum Peripateticorum ſententia non pugnat cum natura mentium à materia ſeparatarum loco mouere cœlos per modum cauſſæ effectricis, nec quoque cum natura rei à materia & à magnitudine diſiunctæ pugnabit eſſe in loco: Ratio huius conſequutionis in eo poſita eſt, quòd cùm oporteat id, quod mouet, & id, quod mouetur ſimul eſſe, ac ſeſe tangere, eſt ſupra noſtræ intelligentiæ limites quippiam loco mouere, & ipſum, vt in loco contineatur, non aptum eſſe, & accommodatum. Ad poſteriorem dicendum eſt animam hac virtute ſeipſam mouendi præditam eſſe, pleroſque intelligere ex eo, quòd ipſa per ſui ipſius motionem corpore creſcente dilatatur, & decreſcente contrahitur; atque corporis parte abſciſſa retrahitur; atque id tanti eſt, vt hinc Scaliger in exercit. 107. num. 13. non infirmum capi poſſe argumentum fuerit arbitratus, quo de Platonis ſententia conficiatur animam mouere ſeipſam; & alij alteram Platonis ſententiam confirmauerint, quæ ſtatuit animam in nobis eſſe non ſecus, ac nauta ſit in nauigio: Cæterùm hoc quamuis habeat vim perſuadendi animæ à natura impertitam fuiſſe virtutem ſui ipſius motricem; attamen non eo pacto in nobis animam conſtituit, quo nauta eſt in nauigio, quoniam

cùm

cùm anima noſtra per ſe conſtet, neque ex materia pendeat, ſic eſt corporis forma, vt non incommodè poſſit in nouas partes accretione additas ſeſe inſinuare, & ab ijs, quæ decretione aut abſciſſione decedunt, ſeſe retrahere. Et ſi quiſpiam hanc animæ porrectionem, & contractionem grauiter tulerit, non propterea debet ex anima tollere vim, qua hæc à corpore ſeparata ex ſe mouetur, quoniam cauſſa, cur anima in corpore exiſtens non moueat ſe, in id poteſt conijci, quoniam anima dum corpus animat, ſic huic eſt alligata, vt ſuum ius amiſerit, & iuris ſit facta totius hominis; ex quo fit, vt homo quidem per animam, ipſa verò per ſe minimè moueatur. Rogabit fortaſſe aliquis, quænam ſit hæc virtus motrix, qua animæ a corpore ſecretæ ex ſe mouentur: Reſpondeo de hac duas apud noſtros Theologiæ magiſtros opiniones extare; vna, cuius defenſores ſunt Henricus Gandauenſis in quolib decimotertio, quæſt. ſexta, & Aureolus apud Capreolum in lib. ſecundo, ſentent. diſtinct. ſeptima, quæſt. ſecunda, aſſeuerat hanc eſſe quandam ſui generis facultatem à mente & voluntate diuerſam: altera, quam tuentur Durandus in libro ſecundo, ſentent. diſtinct. ſeptima, quæſt. quinta. Capreolus in loco recitato, Heruæus in lib. ſecundo, ſentent. diſtinct. 14. quæſt. prima, & Thomas ab Argentina in lib. ſecundo, ſentent. diſtinct. octaua, quæſtio prima, ſtatuit hanc virtutem non diſtingui à mente ac voluntate; atque huius quoque opinionis videtur quoque D. Thomas in prima parte, quæſt. 54. artic. quinto, & ego eidem libenter accedo, quòd non ignorem Ariſtotelem in lib. 3. de anima 49. ſcribere principia mouentia in hominibus eſſe mentem & appetitum; atque paucis interiectis in text. 56. concludere animal ſeipſum mouendi habere facultatem in eo, quòd eſt particeps appetitus & imaginationis: quocirca ſi in animalibus facultas motrix non eſt diuerſa à facultate cognoſcente ac appetente, non eſt, vt in anima à corpore ſeparata præter mentem & voluntatem alia virtus motrix perquiratur; & præſertim cùm id multis fruſtra conficiatur, quod paucis poteſt abſolui. Mens autem & voluntas ſubeunt rationem facultatis motricis, non ſimpliciter & abſolutè, ſed quatenus ſunt principia agendi, ac præſcribendi, dirigendique motum,

quem

quem efficiunt nõ proximè,ſed impulſu interiecto, cuius proximum principium eſt actus voluntatis, non qualiſcunque, ſed is, quo anima ſeparata reipſa vult ſuam ſubſtantiam impellere, ſeque mouere. Quòd ſi hæc ita ſe habent, profectò cùm mens & voluntas noſtram animam comitentur ex corpore demigrantem,aſſeuerandum eſt animam à corpore ſeparatam tenere vim ſui ipſius motricem.

Excutiuntur Ariſtotelicæ argumentationes, quibus conficitur, quod mouetur, id eſſe diuiduum, & nullum indiuiduum poſſe moueri. Cap. XLIX.

Motione animæ noſtræ à corpore ſeparatæ reſiſtunt Alexandrei ea afferentes argumenta, quibus in lib 6. phyſ.conficitur, quicquid mouetur, id omne eſſe diuiduum,& fieri non poſſe, vt quod partibus vacat,id vllum excipiat motum,niſi per accidens, veluti ſi corpus,aut magnitudo, in qua eſt, moueatur: horum vnum eſt in tex.32. huius modi: Quoniam e quòdam in quiddam eſt mutatio omnis,quod mutatur,vel id ſimpliciter & ſecundum totum eſt aut in termino, ad quem mutatur, aut in termino, ex quo mutatur, vel illius aliquid in hoc eſt, & aliquid in altero:Sed nequit fieri,vt ſimpliciter & ſecundum ſe totum ſit aut in eo termino,ad quem mutatur,quoniam vbi quod mutatur, ſimpliciter & ſecundum totum eſt in eo, ad quod mutatur, ceſſat a motu,nec vlterius mutatur, aut in eo termino, ex quo mutatur, quia in hoc poſitum ſecundum ſe totum nondum incepit mutari: ergo reliquum eſt, vt huius aliquid in vno habeatur, & aliquid in altero. Non enim fieri poteſt, vt quod mutatur,id ſimpliciter ſit aut in vtroque,tum quia inter vtrũque eſt contrarietas, & abſurdum eſt idem ſimpliciter, & ſecundum ſe totum ſimul eſſe in contrarijs; tum etiam quia ſi-

mul

mul eſſet mutatum,& nondum mutari incepiſſet, aut in neutro,quoniam id,in quod mutatur,ſic finitimum eſt illi, ex quo mutatur, vt nihil medij interijciatur: At verò ſi quod mutatur,id partim in hoc, & partim in altero eſt, ſequitur neceſſariò ipſum eſſe diuiduum. Alterum in tex.86.eſt: Si moueatur indiuiduum & id,quod partibus caret, quoniam quodcunque mouetur,in tempore mouetur,& tempore,quo mouetur,aut totum erit in eo, vnde diſcedit, aut totum in eo, ad quod tendit,aut aliquid ipſius eſt in hoc,& aliquid in illo: primum non eſt ponendum, quoniam quieſceret, & nondum iniuiſſet motum;neque etiam ſecundum,quia motu eſſet perfunctum;nec denique tertium, quia quod eſt ſine partibus, id ex partibus conſtitueretur, & quod eſt indiuiduum, id eſſet diuiduum: Nullo igitur pacto quod eſt indiuiduum,& partibus vacat,id poteſt moueri. Haud ratione diſſimili Plato in Parmenide oſtendit vnum, quod partibus caret,non poſſe locum alium ex alio mutare: Quicquid, inquit, locum tranſiens aliàs alibi fit, oportet nedum in illo penitus eſſe, in quo fit, ſiquidem adhuc in illo continuò fiat; neque etiam extra prorſus extare, quandoquidem in eo iam fiat, ſed partim in illo iàm eſſe, & partim interim extra: atqui quod nullis partibus conſtat, nequit partim eſſe in aliquo, & partim extra, alioquin non eſſet ſine partibus; nec præterea poteſt in aliquo totum eſſe, ac totum ſimul abeſſe:ergo ipſum vnum,quod nullas habet partes, nequit fieri,vt locum tranſiens aliàs alibi fiat. Has argumentationes Ariſtotelicas Proclus non indignas eſſe putauit,quibus in lib. 1.de motu vteretur ad idem perſuadendum,eædemque magnas turbas in Peripateticorum animis excitarunt,ſiquidē cùm cernamus quaſdam mutationes ſimul fieri totas, quibus Ariſtoteles eſt vſus in lib. 1.phyſ.23.contra Meliſſum,non videtur neceſſarium,quod his afficitur,id,dum mutatur,partim eſſe in eo,vnde recedit,& partim in eo,ad quod accedit. Quapropter Alexander,Themiſtius,Simplicius, Auēpaces, Auerroes,& alii plurimum dubitarunt de his argumētis. Sed quicquid ſit de hoc negotio,planè non eſt,vt hæc Ariſtotelis argumenta fiant tanti,quanti Durandus videtur illa feciſſe, qui in lib.3.ſent.diſt.22.quæſt.3. ſenſit animam à corpore ſeparatā,

quia

Digitized by Google

quia non eſt corpus, nec virtus in corpore, non poſſe moueri motu ad locum accommodato; ex quo factum eſt, vt voluerit animam Chriſti non verè, ac ſuæ ſubſtantiæ præſentia ad inferos deſcendiſſe, ſed per effectum Sanctorum Patrum animas viſione diuina & ſcientia eorum, quæ cadunt ſub reuelationē, complendo, qua quidem in re & doctrina ſectatorem habuit Ioannem Picum in ſuis concluſionibus, & in diſput. 1. apologiæ aduerſus quem acriter inuehitur Petrus Garſias Epiſcopus Vxellenſis in diſputationibus aduerſus Pici concluſiones apologeticas, nec iniuria, quòd hæc interpretatio nimis abhorret à vero ac legitimo articuli ſenſu. Equidem Ariſtotelica argumenta non ſunt contemnenda, verùm non ſunt huiuſmodi, vt expugnent animæ noſtræ à corpore diſiunctæ motionē; idque Scotus vt aperiat in lib. 2. ſent. diſt. 2. quæſt. 9. diſtinguit motum in eum, qui eſt continuus propter ſpacium, & in eum, qui eſt continuus, quia id, quod mouetur, eſt continuum, ſtatuitque id, quod eſt indiuiduum, moueri poſſe motu continuo, non quidem eo, cuius continuitas ex corpore exiſtit, ſed eo, cuius continuitas fluit ex ſpacio; quod ita declarat: Fingamus animo corpus exquiſitè globoſum moueri ſuper aliquod corpus penitus lene & æquabile, cùm hoc ab illo tangatur in puncto, hoc punctum non ſecus motu ciebitur, ac corpus globoſum, in quo hęret, ſed eadem eſt ratio, ſi animo cogitemus hoc punctum eſſe ab omni magnitudine ſeparatum, & per ſe conſiſtere; ergo quod eſt indiuiduum & partium expers, id per ſe poteſt motu cieri continuo, atque eo quidem, qui eſt huiuſmodi, quia ſpacium eſt continuum: Neque contrarium putat ab Ariſtotele perſuaderi, cui ſcribit propoſitum eſſe monſtrare nullum indiuiduum cieri eo motu, qui ſit continuus, quoniam quod mouetur, eſt continuum. Hic non rectè putat, quoniam credibile non eſt Ariſtotelem ſummum breuitatis amatorem id voluiſſe multis argumentis perſuadere, quod nullam requirit perſuaſionem: quis enim fuerit tam plumbeus, qui abſque vi vllius argumenti non intelligat indiuiduum nequaquam poſſe eo motu cieri, qui ſit continuus, quoniam id, quod mouetur, eſt diuiduum, atque continuum? Et cùm Ariſtoteles in lib. 6. phyſ. voluerit in eo, quòd pertinet ad continuitatem &

diui-

diuiduitatem, eàndem rationem eſſe motus & illius, quod mouetur, qui fieri poteſt, vt iuxta eius opinionem motus ſit continuus & diuiduus, & id, quod mouetur indiuiduum? Poſtremò ſi Ariſtotelicæ argumentationes diligenter expendantur, perſpicuum erit his motum omnem continuum, qualis qualis ſit huius continuitas, tolli e re indiuidua. Neque hanc cieri poſſe continuo motu intelligitur ex globoſi corporis puncto, quoniam dicere corpus globoſum in puncto tangere, alterius corporis ſuperficiem eſt hominis mathematici, cui abſurdum non eſt punctum & indiuiduum à magnitudine ſeparatum moueri, & non philoſophi naturalis, qui conſtanter affirmat corporũ tactus ſemper fieri in parte diuidua, & nunquã in indiuidua. Ego arbitror cum D. Thoma & aliis plerique Theologiæ magiſtris motum eſſe diſtinguendum in continuum & diſcretum: Motus continuus eſt affectio corporum natura cõſtantium, huiuſque natura & proprietates aperiuntur ab Ariſtotele de motu diſputante: Motus autem diſcretus eſt affectio ſubſtantiarum indiuiduarum per ſe ſubſiſtentium, qui eam ob cauſſam appellatur diſcretus, quoniam coaleſcit, & compoſitus eſt ex multis mutatis eſſe inter ſe diſiunctis, & conſequenter poſitis, atque ideo ex partibus nullo communi termino coniunctis: Hoc autem motu cieri poſſe id, quod eſt indiuiduum, ſignificauit Ariſtoteles, qui in lib. 6. phyſ. 88. ſcripſit vnum tantùm eſſe modum, quo id, quod eſt indiuiduum, poteſt moueri, atque hunc eſſe, ſi ex momentis tempus exiſtat, & motus ex mutatis eſſe: Enimuero cùm indiuiduum non poſſit continuo motu cieri, quòd nequeat fieri, vt eius aliquid ſit in vno termino, & aliquid in altero, oportet aſſiduè mutatum eſſe, & quod ſequitur, illius motum conſtare ex mutatis eſſe: & quia omne mutatum eſſe fit in temporis momento, neceſſariè quoque ſit tempus, quod rei indiuiduæ motum metitur, ex momentis conſtare, eſſeque tempus diſcretum, & minimè continuum. Cæterùm Ariſtoteles cùm huiuſce diſcreti motus nullam vnquam habuerit rationem, quippe qui non eſt affectio corporum naturalium, in quibus perſpiciendis poſita eſt vniuerſa ſcientia naturalis, ſemper & vbique ſtatuit omnem motum eſſe continuum: & dum oſtendit id ſolum moueri, quod eſt diuiduum, & nullo pacto indiuiduum poſſe motu

cieri, motum continuum habet in animo propoſitum, in cuius locum ſi motus diſcretus ſubſtituatur, argumenta, quæ ad tollendum motum continuum magni ſunt momenti, claudicēt, ac vacillent, eſt neceſſe. Sanè quod mouetur id dum mouetur, partim eſt in termino, à quo digreditur, & partim in termino, ad quem progreditur, verùm non propterea ſequitur, quod motu diſcreto cietur, id duabus ex partibus conſtare, quarum vna in vno, & altera in altero termino habeatur, quoniam quod hoc motu agitur, id cùm ſit à magnitudine & à materia ſeparatum, non eo pacto eſt in terminis motus, vt eius altera pars ſit in hoc, & altera in illo, ſed in his ſic eſt, vt ſimpliciter & ſecundum totum ſit in parte huius, & in parte illius. Atque in hanc ſententiam Auempaces audiuit Ariſtotelicas argumētationes, qui, vt refert Auerroes in lib. 6. phyſ. com 32. quod in Ariſtotelica argumētatione concluditur, videlicet eius, quod mouetur, aliquid in termino à quo, & aliquid in termino ad quem haberi, id fuit interpretatus, non quòd huius pars altera ſit in vno termino, & altera in altero, ſed quòd hoc ſit vtriuſque termini particeps, habeatque partem vnius, partemque alterius non ſecus, atq; id, quod contrarijs accidentibus ſubijcitur: atque hanc interpretationem Auerroes diu adamauit, ſenior autem doctiorque factus non abſque ratione contempſit. Neq; nos accuſent Alexandrei, quòd motum diſcretum ipſis inauditum induxerimus, nam & Simplicius præclariſſimus Peripateticus non erit ab accuſatione vacuus, qui in com. lib. 2. de anima ad tex. 146. induxit tempus diſcretum ex momentis tanquam ex vnitatibus conflatum, quod ſtatuit puras ac ſimplices animæ actiones metiri. Et ſi licuit Pomponatio & Zabarellæ viris inter ipſos non contemnendis ſtatuere animā ſine motu in accretione ſeſe producere, & in materiam additam tranſire, atque in decretione in anguſtum ſeſe redigere, & à materia decedente ſeſe retrahere, & quod ſequens eſt animā moueri, cùm nullum motum excipiat, quod eſt nouum & admirabile, non intelligo, cur nō liceat nobis motum diſcretum inuehere, atque hoc cieri animas à corporibus ſeparatas affirmare? Longius enim à deformitate, admirationeque abeſt animam a corpore ſeparatam moueri motu diſcreto, quàm animam in corpore poſitam per ſe abſque motu moueri. Nec

præ-

pręterea motum diſcretum aſpernentur, quòd huius naturam non habeant comprehenſam; nam, vt inquit Seneca in lib. 7. nat. quæſt. 24. multa ſunt, quæ aliquid eſſe cognoſcimus, quid autem & qualia ſint, ignoramus. Sed hos valere iubeamus, qui ne aliquid neſcire videantur, in maximarum rerum ignoratione verſantur, & ad poſtremum ipſorum argumentum aggrediamur.

Ad poſtremum Alexandreorum argumentum quo modo ſit reſpondendum.

Cap. L.

POſtremum Alexandreorum argumentum eſt omnium firmiſſimum, plurimoſque induxit & ſuperioris & noſtræ ætatis Peripateticos mentis noſtrę ſempiternitatis amatores, vt cum Auerroe in mentis vnitate cōuenirent, qui non intellexerunt ſe, vt mentis perpetuitatem tueantur, & ſibi & nobis mentem ac immortalitatem eripere, multoque propterea iniquiores eſſe, quàm ſi mentem noſtram interimerent. Ego, vt quod ſentio, liberè dicam, quid ſit Ariſtotelicè reſpondendum, prorſus ignoro; Equidem Boethus grauis ac vetuſtus Peripateticus putauit mentem noſtram eſſe immortalem, quippe quæ homine intereunte minimè occidat, cæterum non eſſe perpetuam, quòd à corpore diſiuncta vbi plurimos vixerit annos, tandem ruat in interitum eius opera ad nihilum redacta, cuius vi de nihilo fuit facta; atque id quoque probatum fuiſſe Zenoni Stoicorum principi ſignificauit D. Auguſtinus in lib. de eccl. dogm. cap. 16. & ab eo non abhorruiſſe Stoicorum familiam is ſibi facilè perſuadebit, qui nō ignorauerit hanc induxiſſe Dæmones certis temporum curriculis intereuntes, cui adſtipulatur Plutarchus in lib. de oracul. defectu: verùm nunquid hoc ponendum ſit in Ariſtotelis opinione mihi dubium eſt; quanquam non dubito, ſi Ariſtoteles animæ noſtrę ſtatum à corpore ſeparatum contemplatus fuiſſet, ipſum aliquid dicturum fuiſſe, ex quo in promptu haberetur & reſponſio, & euaſio ex ijs, quæ fuerunt propoſitæ, difficultatibus. Non enim credendum eſt Ariſtotelem, qui doctri-

na & ingenio ſic valuit, vt in homine nihil ſupra poſſit deſiderari; nullam fuiſſe rationem inuenturum educendi ſe ex his anguſtijs, in quas hoc ſuo argumento nos compellunt Alexandrei, & ex quibus quo pacto euadant, cùm non intelligant, in dumeta multò horridiora inducuntur. Verùm ſi quoque conceſſum fuerit Ariſtotelem de reſponſione vehementer fuiſſe dubitaturum, non propterea exiſtimandum eſt ipſum fuiſſe animi noſtri ſempiternitatem improbaturum, quādoquidem par non eſt grauiſſimum philoſophum, quia modum & rationem non teneret ex vno argumento euadendi, fuiſſe manus daturum, ac eam opinionem depoſiturum, quam communis in omni ætate ſapientium conſenſus, & certiſſima argumenta confirmant, quaque abiecta neceſſe eſt hominis vitam grauiſſimis, ac pernicioſiſſimis erroribus implicari, nā, vt idem nos admonuit in lib. de lineis inſecabilibus, ignauus eſt is, qui quòd neſciat oblatas argumentationes diſſoluere, ſuccumbit, ſuamque imbecillitatem fouendo grauioribus ſe decipit fallacijs. Nec nobis detur vitio, quòd Ariſtotelem inducamus dubitantem, nam ſi ei turpe nō fuit de leuioribus dubitare, quippe qui initio contemplationis eorum, quæ fiunt in ſublimi, conceptis verbis affirmat ſe de quibuſdam dubitare, & quædam modo aliquo attingere, nihil eſt, vt reprehēdatur is, qui Ariſtotelem induxerit dubium & ancipitem in quæſtione obſcuriſſima, & de re à noſtris ſenſibus remotiſſima. Quòd nonnulli exiſtimant Ariſtotelem reſponſurum fuiſſe noſtras animas ſine corpore manſuras eſſe perpetuò, atque conceſſurum harum multitudinem eſſe innumerabilem & infinitam; nam infinitas, quæ ab ipſo fuit e rerum natura eiecta, eſt affectio quantitatis, & non rei à materia ſeparatę, in hoc vehementer hæreo, quoniam etſi veriſſimum ſit Ariſtotelem vnam eam infinitatem habuiſſe propoſitam, quæ à veteribus fuit corporibus & magnitudinibus conceſſa, quod ipſe teſtatus eſt in lib. 3. phyſ. 39. nō poſſum tamen mihi perſuadere ipſum animo vnquam fuiſſe admiſurum infinitam animarum a corpore ſeparatarum multitudinem, non quidem quia in lib. 12. poſt nat. 49. concluſerit tot eſſe ſubſtantias immobiles, & à materia ſeparatas, quot ſunt cœleſtium corporum lationes, quę minimè ſunt numero infinitę, nam hoc in loco eas ſolas ſubſtantias immobiles à materia ſo-

lutas

lutas contemplabatur,quę ſunt naturæ integræ,& propter ſe, & non vt aliquod conſtituant, comparatæ, cuius generis non ſunt animæ noſtræ à corpore diſiunctæ,ſed quoniam mihi certum eſt Ariſtotelem minus tribuiſſe Dei poteſtati, ac fuerit à noſtris Theologis tributum,quapropter cùm Deum non poſſe efficere infinitum actu ſit opinio à D. Thoma, a D. Bonauentura, a Scoto, & ab alijs grauiſſimis Theologis defenſa & retenta, non eſt, vt ad Ariſtotelis ſententiam inuehatur infinita animarum multitudo a Deo procreata. His alia adiungerem, quæ hoc mihi perſuaſerunt, ſed laborandum non eſt in eo, in quo mihi cum Alexandreis nihil eſt controuerſiæ. Non ſum neſcius Durandum in lib.2.ſent.diſt.18.quæſt.3.Heruæum in quolib.1.quæſt.11.Molinam in 1.p. D.Thomæ quæſt.45. & alios nonnullos ſcripſiſſe Ariſtotelem imprudenter in ea inci-diſſe,quæ inter ſe non poſſunt cohærere,cùm ſtatuit mundum eſſe æternum, carereque principio, atque animas noſtras eſſe immortales; verùm hac reſponſione is abſtineat, oportet, qui ſuſcepit diſputationem contra Alexandreos,quibus religio eſt de Ariſtotele tam malè ſentire. Cùm igitur huic argumento quo pacto ſit Ariſtotelicè occurrendum, ignotum ſit, eius ſolutio petenda eſt à noſtræ religionis proceribus, & auxiliũ implorandum eſt à veritate,quæ nos docet mundum, cùm nõ eſſet,de nihilo factum eſſe,& animas noſtras ad corpora eſſe redituras. Hoc autem nec vanum, nec abſurdum viſum eſt Pythagoricis,Platonicis,Stoicis,& alijs ex veteribus philoſophis; quanquam hi, quòd in tenebris iacerent, non integrè intuiti ſunt veritatem, nam Pythagorici reiecta corporũ reſurrectione ſenſerunt animas noſtras ſępè in hanc vitam redire, & modò humana corpora induere,& modò in alia,ſpecieque diuerſa ſe inſerere:hinc memoriæ proditum eſt Pythagoram dixiſſe ſe ex Euphorbo Troiano fuiſſe ſeparatum; & Empedocles cum in eadem eſſet opinione,cecinit.

„ *Olim namque fui, ceſpeſque, puerque, puellaque,*
„ *Et volucris cæli, atque alti maris incola piſcis.*

Hæc opinio,vt ſcribit Herodotus in lib.2. fluxit ab Ægyptijs, ſicq; Mercurio fuit probata,vt voluerit animas quoq; belluarũ excipere has mutationes, & in varia corpora migrationes: „ Animarum, inquit in ſerm.cui titulus eſt Clauis, permultæ

ſunt

,, fiunt mutationes partim in melius, feliciuſque, partim in
,, contrarium, nam in reptilium animæ in aquatilia tranſmu-
,, tantur; aquatilium migrant in terreſtria: terrenorum in vo-
,, latilia transferuntur; aereorum in homines conuertuntur;
,, horum verò animæ probæ in Dæmones tranſeunt, & ad ex-
,, tremum in Deorum chorum feliciter reuolentes ſanctiſſima
,, & beatiſſima gloria perfruuntur. Cæterùm quamuis hæc opinio fuerit probata Mercurio, hic tamen noſtras animas tãti fecit, vt turpe eſſe exiſtimauerit has induere ferarum corpora:
,, Animæ impiæ, paulò poſt ſubiungit, poſtquam per mortẽ à
,, corporis carcere ſunt ſolutæ, in natura propria remanent, ac
,, ſeipſas cruciant, corpus quęrunt, quod ingrediantur, terrenũ
,, & humanum: Aliud quippe corpus, quàm humanum animã
,, nõ capit humanam, neq; fas eſt in corpus animæ ratione ca-
,, rentis animam rationalem corruere: lex.n.diuina genera-
,, tionem tam nefariam prohibet. Hæc puniendi ratio nõ improbabilis viſa eſt Cabaliſtis Hebræorum doctoribus, qui tradiderunt hominis animam ter in hanc vitã reuertere, atq; hoc modo ſuę improbitatis pęnas ſuſtinere. Cùm Pythagoricis Platonici nõ ſolùm conſenſerunt, verùm etiam longiùs progreſſi tradiderunt noſtras aĩas idẽ corpus eſſe ingreſſuras magno anno conſummato, qui annus Franciſco Cataneo in epiſtolis authore conſtat 12. millibus ann. & de ſentẽtia Ariſtotelis apud Cẽſorinum in lib. de die natali eſt illud temporis ſpaciũ, quod inter duas ſimiles cęlorũ & ſiderum facies ac poſituras interijcitur. At verò ex Platonicorũ numero excipio Porphyriũ, qui, vt ſcribit D. Aug. in lib. 22. de Ciuit. Dei c. 27. aĩas noſtras voluit poſt corporis diſſolutionẽ non eſſe rurſus cũ corporibus cõiungendas, ne iterũ factæ huius vniuerſitatis incolæ in eos incurrant angores, quibus antè conficiebantur; qua in re diſcors eſt a Platone, qui in Phędone, & ſub exitũ lib. 10. de Repub. cõfeſſus eſt noſtrarum animarũ ad corpora regreſſionẽ, atq; in lib. de Regno ſcriptũ reliquit poſt præſentẽ, fatalemq; mundi curſum hominum aĩas imperante Deo corpora ſua, quę in hoc curſu amiſerunt, recepturas eſſe, vt quemadmodum ſub fato quõdam corpora humana in terram deſiderant, ita ſub prouidentiæ diuinæ imperio ex terra reſurgant, atq; reuiuiſcant. In eandem opinionẽ iuerunt Stoici, ex quibus Seneca in epiſt. 36.

ad

ad Lucillum ſcribit mortem, quam pertimeſcimus, ac recuſamus, intermittere vitam, non eripere, dieq; iterum eſſe venturum, qui nos in lucem reponat: & Chryſippus in lib. de prouidētia, cùm de mundi innouatione loqueretur, hæc intulit Lactantio in lib. 7. inſtitut. diuin. referente: Quod cùm ita ſit,
,, perſpicuum eſt non eſſe in ijs, quæ fieri non poſſunt, vt nos
,, defuncti iam vita certis temporum reuolutionibus exactis
,, rurſus in eam, quam nunc habemus, formam reſtituamur.
Quinetiam eandem ſunt amplexi quidam Genethliaci, (hoc nomine vocabantur illi, qui ex ſtellarũ motu & poſitu ſe poſſe futura præcognoſcere profitebantur) quos ſcripſit Varro, vt teſtatur D. Aug. in lib. proximè recitato c. 28. exiſtimaſſe confici annis quadringentis quadraginta, vt idem corpus, & eadē anima, quæ fuerant coniuncta in homine aliquando, in eandem rurſus redeant coniunctionem. Hęc non omnino abſunt a noſtræ religionis myſterijs: quod cùm intelligeret D. Aug. in loco adducto dicebat, ſi ex his ſingulis aliquid capiatur, fore, vt habeatur id, quod cum noſtra fide conſentit, nam ſi Aegyptijs, Pythagoricisq; detur animas noſtras ad corpora regreſſuras eſſe; Platoni, Chryſippo, Senecæ, ac Genethliacis hęc corpora eſſe illamet corpora, quæ antè fuerunt ab ipſis animata; & denique Porphyrio animas in poſterum non eſſe ad mala redituras, dabitur id, quod prædicat fides Chriſtiana. Cæterùm cùm de hoc noſtrarum animarum reditu ad corpora noſtri Theologi copioſè præclarèque diſputauerint, & ab Ariſtotele nihil ſit memoriæ traditum, non eſt, vt de eo quicquam amplius dicatur. Et hæc dictā ſint ſatis, vt oſtenderetur ſtatum animæ noſtræ a corpore ſeparatum poſt hominis obitum non eſſe ab Ariſtotelis doctrina diſſentaneum, in quibus ſi Alexandreis ſatis abundè factum eſt, gaudeo; ſiñ minus, hoc ſaltem effectum eſt, vt intelligant nullum locum in Ariſtotelis doctrina reperiri, a quo hic ſtatus noſtris animis adimatur. Quod ſi ita eſt, quoniam non obſcura habentur argumenta, quòd Ariſtoteles animos noſtros poſuit immortales, ij malè ſani, nec ſine crimine ſunt exiſtimandi, qui cùm de Ariſtotele poſſint piè ſentire, hunc ſtatuunt impietatis authorem, & impiè ſentientium anteſignanum.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Frater Zacharias Inquiſitor Paduæ.

Octauius Liuellus pro Sereniſſima Republica Veneta.

Paulus Emilius Ghelinus Vicarius pro Illuſtriſsimis Rectoribus.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Patauij, Apud Gaſparem Criuellarium, Typographum Almæ Vniuerſitatis DD. Artiſtarum.